Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. SB S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Aloisii Monza Sacerdotis dioecesanis et Parochi fundatoris Instituti Saecularis Parvarum Apostolarum a Caritate (1898-1954)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Aloisius Monza natus est die 22 mensis Iunii anno 1898 in pago v. d. *Cislago* intra fines Archidioecesis Mediolanensis. Sacro ipse presbyteratus ordine insignitus, primum coadiutor in loco v. d. *Vedano dona*, deinde addictus Sacrario Beatae Virginis a Miraculis in oppido v. d. *Saronno*, postremo parochus fuit Leuciensi ecclesiae S. Ioannis a Castanea, ubi quidem magnam navitatem pastorem, impensa videlicet vita interiore sustentam, exercuit. Ipse vero, ut priorum christifidelium caritatem hodie-

nae hominum societati restitueret, Opus condidit v. d. « La nostra Famiglia » ipseque, huiusce animatricibus sociatis, anno 1950 Institutum Saeculare Parvarum Apostolarum a Caritate fundavit. Sancte in Domino requievit die 29 mensis Septembris anno 1954.

Quem quidem Servum Dei die 20 mensis Decembris anno 2003 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theológicas et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationi vero prospiciens, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servi Dei intercessionem tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod factum pertinet ad Paulum Peroni qui, vertente mense Maio anni 1959, anno scilicet aetatis suae vicesimo primo, crises comitiales perpeti coepit. Cum autem ipse subsequenti die 11 mensis Iunii Heidelbergensis Universitatis valetudinario esset receptus, diagnosis edebatur de « epilepsia cum crisi morbi sacri ». Quae quidem crises praeter therapiam adhibitam perrexerunt, eademque magna trepidatione, delirio febrilique comitantibus; post alias inspectiones perventum est ad diagnosin de meningoencephalite viro pathogenico effecta. Die 30 eiusdem mensis Iunii aegrotus veterno cum rigore cervicali est correptus. Mense autem Iulio morbus gravior factus est, quippe praesertim haemorrhagiis gastroentericis, thrombophlebite, dexteri pulmonis eiusque membranae inflammatione, corporis denique calore iugiter elato, exorientibus. Mense porro Octobri cum morbus ingravescere coepisset, ulcera quoque decubitalia, sinistrae auris inflammatio extremorumque pedum atrophiam oriebantur. Praeterea transitus factus est a delirio ad profundum veternum, qui a mense Iulio ad Octobrem productus est. Aegrotus exinde somniculosus, apathicus minimeque cum circumstantibus communicans permanebat. Quae quidem rerum condicio usque ad mensem Novembrem anni 1959 exactum ducebatur. Prognosis nempe gravissima, eademque quoad vitam potentialiter infausta, neuropsychicis quoque de exitibus providendis admodum reservata, manebat.

Interea familiares aegrotantis, una cum nonnullis sodalibus ex Instituto Saeculari Parvarum Apostolarum a Caritate, coeperant invocare intercessionem Servi Dei Aloisii Monza, cuius lipsana quaedam inde a mense Iulio exeunte sub ipsius aegrotantis culcitam suggesta erant. Itaque factum est ut inde a mense Decembri ineunte neuropsychica pathologia in melius mutari videretur; nam duobus quidem mensibus subsequentibus sanatio perficiebatur, adeo ut mense Martio anni 1960 aegrotus valetudinarium Heidelbergense relinqueret, neuropsychicis facultatibus in integrum restitutis, indeque Me-

diolani sanativae custodiae amandatus orthopedicum tantum experimentum subivit.

Quo de casu, statim pro miraculo habito, apud Curiam Mediolanensem annis 1993-1994 Inquisitio Dioecesana est instructa, cuius validitas iuridica agnita est ab hoc Dicasterio per decretum die 8 mensis Novembris anno 1996 latum. Consilium vero Medicorum, in sessione die 21 mensis Octobris anno 2004 habita, declaravit « sanationem procedente tempore gradatim progredientem, mense autem Decembri anni 1959 properatam, eandemque perfectam stabilemque, quippe neuropsychicis reliquatis infirmantibus prorsus absentibus; omnium porro et singularum aegroti facultatum in integrum restitutionem scientifice inexplicabilem » exstitisse. Die autem 2 mensis Februarii huius anni 2005 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro subsequenti die 3 mensis Maii Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Aloisii Monza, Sacerdotis dioecesani et Parochi, Fundatoris Instituti Saecularis Parvarum Apostolarum a Caritate, videlicet de progrediente, completa ac duratura « restitutione ad integrum » singularum cerebri facultatum Pauli Peroni affecti « gravissima meningoencefalite di probabile natura virale, con coma prolungato e successiva sindrome apallica, con complicazioni pleuropolmonari ed emorragiche gastroenteriche, con manifestazioni infettive a vari livelli, e con decorso critico durato circa 6 mesi ».*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**
Praefectus

L. 88 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

RUREMUNDENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Teresiae a Sancto Ioseph (in saec.: Annae Mariae Tauscher van den Bosch) fundatricis Congregationis Sororum Carmelitarum a Divino Corde Iesu (1855-1938)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Teresa a Sancto Ioseph (in saec.: Anna Maria Tauscher van den Bosch) in vitam venit die 19 mensis Iunii anno 1855 e familia confessioni Lutheranae ferventer addicta, in loco *Sadow*, prope Francofurtum in Germania. Anno 1888 ingressa est Ecclesiam Catholicam. Christi caritate compulsa, anno 1891, ut pueris egenis sub veniret, parvam aperuit «Domum Sancti Ioseph» quae veluti primarius lapis exstitit Congregationis Sororum Carmelitarum a Divino Corde Iesu, quam Dei Serva, studiose ac sapienter duxit usque ad obitum suum, qui eam, meritis ditatam et sanctimoniae fama exornatam, oppressit die 20 mensis Septembris anno 1938.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 20 mensis Decembris anno 2002 agnovit Servam Dei theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroice exercuisse.

Beatificationi consulens, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum proposuit sanationem, quae mira videbatur, dominae Mariae Iosephinae Pieters-Maas, degentis in urbe *Heerlen*, in Hollandia, quae circiter annum 1971 prima indicia ostendere coepit doloris in pede sinistro, cum vehementi prurigine. Haec incommoda in dies atrociora reddebantur. Dermatitis, inde exorta, ad utrumque pedem, ad digitos et ad plantas est diffusa. Cruciatu acerbiores facti sunt eo ut infirmas deambulationem impedirent. Ob frictionum laesiones adventicia coorta est contagio ex adiunctis bacteriis. Quodam elapso tempore edicta est diagnosis dermatomycosis et onychomycosis. Quamvis partiales et generales curationes non defuerunt, dermatosis plures per annos perstitit. Condicio valetudinis in peius ruit inter annos 1995-1996. Consilium excipiens P. Bonifatii Honings, OCD, Postulatoris Causae beatificationis, infirma, simul cum marito novendiales supplicationes ad Servam Dei Mariam Teresiam a Sancto Ioseph fundere incepit. Die 16 mensis Decembris anno 1996 dolores et prurigo necopinato ac funditus evanuerunt.

Hac de sanatione Episcopus Ruremundensis anno 2002 dioecesanam instruxit Inquisitionem, de cuius iuridica validitate hoc Dicasterium decretum vulgavit die 4 mensis Octobris eiusdem anni. Consilium Medicorum, in sessione habita die 11 mensis Martii anno 2004, asseruit sanationem repentnam

fuisse, perfectam, constantem, sine residuis et ex scientia medica inexplicabiles!. Die 10 mensis Iulii anno 2004 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris factus est et die 11 mensis Ianuarii huius anni 2005 Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Exc.mo D. Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi, Sessio Ordinaria habita est. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Teresiae a Sancto Ioseph (in saec.: Annae Mariae Tauscher van den Bosch), Fundatricis Congregationis Sororum Carmelitarum a Divino Corde Iesu, videlicet de repentina, perfecta ac constanti sanatione dominae Mariae Iosephinae PietersMaas ab « onicomicosi subungueale distale e laterale dei piedi, con "tinea pedis" e sovrainfezione batterica, ad andamento cronico, su terreno distrofico per varicosità locale in soggetto con valgismo e piede piatto bilaterale ».*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS

Praefectus

L. 68 S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BARENSIS-BITUNTINA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Eliae a Sancto Clemente (in saec.: Theodora Fracasso) Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum (1901-1927)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Elias a Sancto Clemente (in saec.: Theodora Fracasso) nata est Barii die 17 mensis Ianuarii anno 1901. Inde a pueritia religionibus navitatieque apostolicae se tradidit, donec anno 1920 in sua ipsius patria

Carmelum S. Iosephi ingressa est. Cum exinde professionem emisisset in Ordine Carmelitarum Discalceatarum, cuius quidem regulam fideliter observavit, viam crucis humiliter confecit. Obiit die 25 mensis Decembris anno 1927.

Quam quidem Servam Dei die 11 mensis Decembris anno 1987 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologiales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationi vero prospiciens, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servae Dei intercessioni tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod quidem factum pertinet ad Petrum Milano qui, decem annos arteriosa hypertensione laborans, die 4 mensis Februarii anno 2002 acriorem crism cephalalgiae, nausea vomituque comitantibus, est perpressus. Cui nempe in valetudinario oppidi v. d. *Acquaviva delle Fonti*, in ditione scilicet Barensi, nonnullae effectae inspectiones haemorrhagiam subarachnoideam, quae nempe oriebatur ex aneurysmate dissoluto in adversa cerebri arteria communicanti, in lucem protulerunt. Aegrotus itaque in Tarentinum valetudinarium traductus profundo veterno est correptus. Cum autem die 10 mensis Februarii, nocturno adhuc tempore, gravis quoque haemorrhagia endo ventricularis, eademque admodum desperata, exorta esset, ipse postquam sectionem chirurgicam subivit in sedem redimatoriam est traductus. Prognosis nempe cum quoad vitam tum quoad valetudinem maxime reservata vigeat.

Rebus sic stantibus uxor aegrotantis opem divinam coepit invocare; precesque flagitavit a monialibus ex Ordine Carmelitarum Discalceatarum, quae in eodem coenobio degebant ubi Serva Dei sepulcro condebatur. Ipsae igitur inde a Missa die 10 mensis Februarii sub hora secunda celebrata, intercessionem implorarunt Sororis Eliae a Sancto Clemente; cuius cum lipsana quaedam aegrotantis cervicali supposita esset, ille eodem die sub meridie improviso experrectus cito meliore exstitit valetudine. Biduo post in valetudinarium quoddam Romanum traductus, subsequenti die 22 integra utens valetudine est dimissus.

Quo de casu apud Curiam Barensi-Bituntinam anno 2004 Inquisitio dioecesana est instructa, cuius validitas iuridica agnita est ab hoc Dicasterio per decretum die 1 mensis Octobris eodem anno latum. Consilium vero Medicorum, in sessione subsequenti die 9 mensis Decembris habita, agnovit sanationem subitam, perfectam, stabilem que exstitisse eandemque scientificè inexplicabilem, quippe exitibus neuropsychicis, eiusmodi casus plerumque comitantibus, omnino absentibus. Die 7 mensis Februarii huius anni 2005

habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro subsequenti die 15 mensis Martii Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Ioanne Coppa, Archiepiscopo titulo Sertensi, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto **XVI** per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Eliae a Sancto Clemente (in saec.: Theodoraе Fracasso), Monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum, videlicet de subita, perfecta stabilique sanatione, eademque scientifice inexplicabili quippe exitibus neuropsychicis, eiusmodi casus plerumque comitantibus, omnino absentibus, Petri Milano a « rottura dell'aneurisma dell'arteria comunicante anteriore cerebrale, con grave emorragia subaracnoidea ed emorragia endoventricolare, coma profondo di 3° grado della Scala di Glasgow, ipertensione endocranica e idrocefalo triventricolare, in soggetto iperteso da 10 anni».*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 88 S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

FESULANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu (in saec.: Mariae Scilli) fundatricis Instituti Sororum a Domina nostra Carmeli (1825-1889)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Teresia a Iesu (in saec.: Maria Scilli) nata est die 15 mensis Maii anno 1825 in oppido v. d. *Montevarchi* intra fines dioecesis

Fesulanae. Ipsa inde ab adolescentia Tertii Ordinis Carmelitani sodalis fuit christianaeque puellarum educationi incubuit. Sodalicium quoque Sororum Tertii Ordinis Teresianarum fundavit in patria. Quod quidem opus, quamvis deinde a praefecto Etruriae sublatum esset, anno tamen 1878 restitutum est Florentiae, nomine hodie Instituti Sororum a Domina Nostra Carmeli polens. Serva autem Dei defuncta est die 14 mensis Novembris anno 1889.

Quam quidem Servam Dei die 20 mensis Decembris anno 2003 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologiales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationi vero prospiciens, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servae Dei intercessionem tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod factum pertinet ad Deuzitam Linhares Da Silva, Brasiliensem, cui tricesimum quartum annum agenti, post biopsim die 20 mensis Decembris anno 1982 effectam, diagnosis fiebat de tumore squamocellulari cervicis uterinae, eodemque perrumpenti provectoquo adusque stadium quod dicitur « 2B » iuxta Foederationem Internationalem pro Gynaecologia et Obstetricia (seu, in compendio: «FIGO»). Radiotherapia adhibita, tumor dilapsus est; nec ullae exinde sunt cellulae neoplasticae inspectionibus in lucem prolatae. Cum autem anno 1985 aliquot morbi exorti essent, mensibus Octobri et Novembri anni 1987 duae biopses vaginales sunt effectae, quae quidem carcinoma vaginae in situ, iisdem notis histologicis ac superius praeditum, increscere docuerunt: de morbo nempe recidivo agebatur. Medici itaque, therapiis cum radianti tum chirurgica exceptis, prognosim infaustam quoad vitam ediderant.

Aegrotam autem, quippe quae in ultimo vitae discrimine versaretur, sub medium mensem Novembrem anni 1987 Consociationem Matrum, cuius ipsa sodalis erat, rogavit ut pro se orarent. Quod quidem illae subsequenti quoque mense et communiter et singulatim egerunt, Servae Dei intercessionem invocantes. Mense autem Ianuario anno 1988 aegrotam repente bene valuit adeo ut opus usitatum resumere vellet; omnesque prorsus neoplásticas laesiones dilapsas clinicae inspectiones indicarunt.

Qua quidem de sanatione, pro miro adserta, apud Curiam Amazonensem anno 1995 Inquisitio dioecesana instructa est, cuius validitas iuridica rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 22 mensis Maii anno 1998 latum. Consilium vero Medicorum, in sessione die 3 mensis Iunii anno 2004 habita, agnovit sanationem celerem, perfectam, stabilem eandemque scientificè inexplicabilem exstitisse. Die 26 mensis Octobris eiusdem anni habitus est

Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro die 11 mensis Ianuarii huius anni Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Aloisio Dosena, Archiepiscopo tit. Carpitano, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu (in saec.: Mariae Scilli), Fundatricis Instituti Sororum a Domina Nostra Carmeli, videlicet de celeri, perfecta stabilique sanatione D.nae Deuzitae Linhares Da Silva a « carcinoma della cervice uterina invasivo, allo stadio 2B FICO, già trattato con radioterapia ma recidivato in vagina dopo 5 anni come carcinoma in situ e non sottoposto ad alcuna terapia ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. **FB S.**

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BELLOHORIZONTINA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Eustachii Van Lieshout (in saec.: Humberti) Sacerdotis Professi Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae (1890-1943).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Eustachius Van Lieshout (in saec.: Humbertus) natus est die 3 mensis Novembris anno 1890 in vico v. d. *Aarle-Rixtel* in Hollandia. Congregationem SS. Cordium Iesu et Mariae ingressus, religiosa

vota nuncupavit sacraque presbyteratus ordine est insignitus. Pastoralis ministerio benigne incubuit primum in Hollandia, deinde ex anno 1925 in Brasilia, ubi quidem in loco v. d. *Agua Suga*, postea vero in loco v. d. *Poá*, parochi munus explevit. Summo ubique studio summaque sacerdotali caritate populo famulatus, praecipuam diligentiam adhibuit iis, qui corpore vel animo aegrotantes eius ministerio frequentes utebantur. Mortem obiit die 30 mensis Augusti anno 1943.

Quem quidem Servum Dei die 12 mensis Aprilis anno 2003 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologiales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationi vero prospiciens, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servi Dei intercessionis tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod factum pertinet ad P. Gunsalvum Belém Rocha, sacerdotem professum Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae, qui mense Maio anni 1962 disphonia cum raucitate persistente coepit affici. Mense vero Augusto eiusdem anni laryngoscopia directa, quae aegroto facta est, tumorem vegetantem dexteræ chordae vocali fixum in lucem protulit. Biopsis autem facta, histológica probatio ostendit de epitheliomate agi cum quodam gradu discriminationis cumque conspicuis phaenomenis regressivis. Tumoris ideo malignitatis intuitu, chirurgicum per laryngectomiam totalem experimentum statuebatur. Quod quidem antequam efficeretur, aegrotus ipse pluresque alii sanitatis recuperandae gratiam a Deo, P. Eustachio Van Lieshout intercedente, petere coeperunt. Die autem proximo ante sectionem chirurgicam, quae in quodam valetudinario Bellohorizontino facienda erat, disphonia levior, eademque nullis therapiis adhibitis, esse videbatur. Prius igitur quam excisorium experimentum fieret, laryngoscopia iterum facta est, quae quidem neoplasma prorsus dilapsum esse ostendit. Patienti itaque, quem absoluto silentio per quindecim dies medici addixerunt, nullis vero therapiis adhibitis, vox tandem in pristinum statum rediit. Alia autem inspectio sanationem perfectam stabilemque existere confirmavit.

Quo de casu apud Curiam Bellohorizontinam anno 1997 Inquisitio dioecesana est instructa, cuius validitas iuridica approbata est ab hoc Dicasterio per decretum die 26 mensis Novembris anno 1999 latum. Consilium vero Medicorum, in sessione die 29 mensis Ianuarii anno 2004 habita, agnovit sanationem celerem, perfectam, stabilem eandemque scientifice inexplicabilem fuisse. Subsequenti die 19 mensis Octobris habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro die 1 mensis Februarii huius anni

2005 Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Aloisio Dossena, Archiepiscopo tit. Carpitano, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Eustachii Van Lieshout (in saec.: Humberti), Sacerdotis Professi Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae, videlicet de celeri, perfecta stabilique sanatione P. Gunsalvi Belém Rocha a « cancro scarsamente differenziato con accentuati fenomeni regressivi a carico della corda vocale destra, accertato da biopsia ed esame istologico (tramite laringoscopia diretta), con marcata disfonia».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. EB S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PALAIENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Augustini Thevarparampil (v. d. «Kunjachan») Sacerdotis dioecesanii (1891-1973)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Augustinus Thevarparampil, v. d. «Kunjachan» seu «parvulus presbyter», ortus est die 1 mensis Aprilis anno 1891 in loco *Ramapuram* intra fines eparchiae Palaiensis ritus syro-malabarensis, in provincia *Kerala* in India. Sacro presbyteratus ordine auctus, caritate pastoralis, zelo

missionali seseque devovendi studio pollens indefesse incubuit humano christianoque provectui eorum qui *Harijans* seu « nusquam contingendi » feruntur quique egentissimi maximeque exclusi Indicae societatis existebant. Postquam multos annos infirmitate, quam ipse humiliter patienterque toleravit, laboraverat, sancte in Domino obdormivit die 16 mensis Octobris anno 1973.

Quem quidem Servum Dei die 22 mensis Iunii anno 2004 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationi autem prospiciens, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servi Dei intercessionem tributam, huic Congregationi de Causis Sanctorum permisit iudicandam. Quod factum pertinet ad puerum Gilsonium Varghese Kalathil, incolam provinciae v. d. *Kerala*, qui pedum deformitate laborans natus est anno 1981. Medici quidem de « grave talipe congenito equino-varus » diagnosin fecerunt. Chirurgicum quoque experimentum ipsi proposuerunt pro pede dextero, quod tamen numquam factum est; nec aliae therapeuticae idoneae sunt adhibitae. Decem annos condicio stabilis permansit adeo ut iam irreversibilis haberetur. Die autem 29 mensis Maii anno 1991 Gilsonius puer una cum paroco aliisque amicis sepulcrum Servi Dei visit ipseque pro sua sanitate recuperanda oravit; domi vero, parentibus aliisque familiaribus sese sociantibus, eiusdem Servi Dei intercessionem invocare cotidie perrexit. Sub mane itaque subsequenter diei 25 mensis Iunii eiusdem anni puer e lectulo surgens dexteram pedem prorsus sanatum nactus est. Quam quidem sanationem stabilem esse subsequentes inspectiones clinicae et radiologicae confirmarunt.

Quo de casu apud Curiam Viayapuramensem annis 1997-1998 Inquisitio dioecesana instructa est, cuius validitas iuridica rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 9 mensis Aprilis anno 1999 latum. Consilium autem Medicorum, in sessione die 3 mensis Iunii anno 2004 habita, agnovit sanationem celerem, perfectam, stabilem eandemque scientificè inexplicabilem exstitisse. Die 26 mensis Octobris eiusdem anni habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro die 18 mensis Ianuarii huius anni 2005 Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Augustini Thevarparampil (v. d. «Kunjachan»), Sacerdotis dioecesani, videlicet de celeri, perfecta stabilique sanatione pueri Gilsonii Varghese Kalathil a «piede destro torto congenito».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**
Praefectus

L. 83 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TAURINENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Aloisii Boccardo Sacerdotis Archidioecesis Taurinensis fundatoris Sororum Filiarum Iesu Regis in Congregatione Sororum Pauperum Filiarum s. Caietani (1861-1936)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Aloisius Boccardo, «presbyter a sede confessionali et Eucharistia» nuncupatus, natus est die 9 mensis Augusti anno 1861 Monte Calerio, id est in oppido Archidioecesis Taurinensis. Multos annos ipse vice-rectoris munere functus est apud Sacrum Collegium Taurinense a Consolata idemque fuit iunioris cleri moderator in spiritalibus. Post autem fratrem eius, Beatum scilicet Ioannem Mariam, parochum in loco v. d. *Pancalieri*, vita functum, ipse Congregationis Pauperum Sororum Filiarum S. Caietani, quam frater fundaverat, superior ecclesiasticus est renunciatus. In quo ipse Instituto Filias Iesu Regis, scilicet Sorores oculis captas ac ad rerum divinarum contemplationem deditas, fundavit. Sancte in Domino obdormivit die 9 mensis Iunii anno 1936.

Quem quidem Servum Dei die 12 mensis Aprilis anno 2003 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes théologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Interea Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servi Dei intercessionem tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod factum pertinet ad puerum Alexandrum Benedetti qui, octo annos natus, die 9 mensis Maii anno 1962 cruciatibus abdominalibus iisque magis magisque ingravescens se laborare declaravit. Postquam vero puer in valetudinario quodam urbis v. d. *Civitanova Marche*, in ditione nempe Maceratensi, est receptus, massa abdominalis in regione caeco-appendiculari reperta est. In experimento autem excisorio, quod die 15 mensis Maii factum est, medici ingenti mole tumorem, qui quidem intestinum tenue, *Omentum* nonnullosque lymphonodos mesentericos secum trahebat, extirparunt. Probatio histológica sivit diagnosis edi de lymphogranulomate atypico quod esset in sarcoma mutaturum. Cum igitur de tumore eoque quam maxime maligno ageretur, prognos edebatur infausta.

Morbi quidem gravitatis intuitu, Sorores Pauperes Filiae S. Caietani, quae in eo valetudinario operam suam exercebant, ut puer aegrotus sanitatem recuperaret, Servo Dei Aloisio Boccardo intercedente, a Deo petere coeperunt. Quibus quidem precibus et puer ipse et parentes suas sociarunt. Sub fine autem novendialis supplicationis, quae die 15 mensis Maii vesperi inceperat, puer praeter omnem praevisionem medicorum meliore coepit frui valetudine dieque 6 mensis Iunii e valetudinario dimissus est. Nec ulla exinde therapia vel per radios vel per chemica medicamenta opus fuit nec ullus quidem recidivus tumor exortus est.

Quo de casu, statim pro miro adserto, apud Curiam Firmanam anno 1968 Processus Ordinarius est instructus, cuius validitas iuridica agnita est ab hac Congregatione per decretum die 3 mensis Martii anno 1995 latum. Consilium vero Medicorum, in sessione die 11 mensis Martii anno 2004 habita, agnovit sanationem celerem, perfectam, stabilem eandemque scientificè inexplicabilem fuisse. Die autem 11 mensis Ianuarii huius anni 2005 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro die 15 subsequentis mensis Martii Patres Cardinales et Episcopi, Em.mo Cardinali Sergio Sebastiani, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Aloisii Boccardo, Sacerdotis Archidioecesis Taurinensis et Fundatoris Sororum Filiarum Iesu Regis in Congregatione Sororum Pauperum Filiarum S. Caietani, videlicet de celeri, perfecta stabilique sanatione pueri Alexandri Benedetti a « linfoma di Hodgkin nella variante reticolo-sarcomatosa, ad alto grado di malignità, in stadio avanzato ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L J S .

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a Passione D.N.I.C, (in saec.: Mariae Gratiae Tarallo) ex Instituto Sororum Crucifixarum Adorantium Eucharistiam (1866-1912)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria a Passione Domini Nostri Iesu Christi (in saec.: Maria Gratia Tarallo) nata est die 23 mensis Septembris anno 1866 in pago v. d. *Barra* apud Neapolim. Ipsa vero, multis impedimentis superatis, anno 1891 ingressa est Institutum Sororum Crucifixarum Adorantium Eucharistiam, in quo varia munera sustinuit donec extremis vitae suae temporibus magistra novitiarum nominata est. Flagrantem Iesu Crucifixo atque Augustissimo Sacramento devotionem adhibuit, quae miris quoque a Deo muneribus est ditata. Sancte in Domino obdormivit die 27 mensis Iulii anno 1912.

Quam quidem Servam Dei die 19 mensis Aprilis anno 2004 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationi vero prospiciens, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servae Dei intercessioni, tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod factum pertinet ad puerum Franciscum Cimino, qui, anno 1903 natus, primo vitae suae anno trachomate bilaterali affectus est, quod quidem acutam ipsi photophobiam atque ardorem doloremque oculorum parabat. Oculos nempe, quippe qui haud raro tabidum liquorem manarent, apertos vix ipse tenere valebat ideoque aliquantulum obligatos habebat. Cum autem variae adhibitae therapeuticae inefficaces evasissent oculisque puer iam captus esset, auxilium divinum per intercessionem supradictae Servae Dei invocatum est. Nam die 20 mensis Aprilis anno 1914 ad sanitatis recuperandae gratiam petendam familiares quidam infirmum adduxerunt in coemeterium oppidi v. d. *San Giorgio a Cremano*, ubi quidem Servae Dei corpus, in ecclesiam Sororum Crucifixarum Adorantium Eucharistiam translaturum, effossum erat. Ubi primum Servae Dei manus, quae adhuc flexibilis exsistebat, oculis pueri admota est, statim ille videndi facultatem recuperavit nec se amplius infirmitatibus, quibus antea affectus erat, laborare declarabat.

Quo de casu apud Curiam Nucerinam Paganorum anno 1939 Processus Apostolicus est instructus, cuius validitas iuridica agnita est ab hoc Dicasterio per decretum die 10 mensis Novembris anno 1995 latum. Consilium vero Medicorum, in sessione die 22 mensis Aprilis anno 2004 habita, agnovit sanationem subitam, perfectam, stabilemque exstitisse eandemque scientificè inexplicabilem, licet exiguis exitibus cicatricosis, qui tamen functionem visivam minime afficerent, praesentibus. Die 22 mensis Octobris eiusdem anni habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro die 8 mensis Februarii huius anni 2005 Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae a Passione Domini Nostri Iesu Christi (in saec.: Mariae*

Gratiae Tardilo), ex Instituto Sororum Crucifixarum Adorantium Eucharistiam, videlicet de subita, perfecta stabilique sanatione pueri Francisci Cimino a « tracomia bilaterale al 3° stadio, protrattosi per circa 10 anni ».

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 83 S.

^m
83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BARCINONENSIS

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Antheri Mateo García et XI Sociorum ex II et III Ordine Praedicatorum (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« "Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit" (S. **AUGUSTINUS**, *De civitate Dei*, XVIII, 51, 2: *PL* 41, 614) Ecclesia, crucem et mortem Domini annuntians, donec veniat (cfr *1 Cor* 11, 26)» (**CONC. OECUM. VAT.** II, Constitutio dogm. de Ecclesia, *Lumen Gentium*, 8).

Inde a primordiis christianae religionis, haud pauci fideles vocati sunt ad propriam fidem inter vexationes et tribulationes profitendam. Ex iis qui vitam tradere voluerunt potius quam Christum negare, recensentur Antherus Mateo García et undecim Socii. Hi enim, religiosa infunante insectatione in Hispania inter annos 1936-1939 concitata, aperte declararunt se ad Catholicam Ecclesiam pertinere. Etsi diversis temporibus et locis sunt interempti, se fortitudine sociaverunt qua mortem passi sunt. Etenim, exemplum sequentes Divini Redemptoris qui pro fratrum salute vitam deposuit, constantes se praeberunt in tribulationibus et, per sanguinis effusionem, martyrii palmam sunt assecuti.

Qui quidem sunt:

1. ANTHERUS MATEO GARCÍA, laicus. Natus est die 4 mensis Martii anno 1875 in oppido *Valdevimbre*, intra fines dioecesis Legionensis. Anno 1902 uxorem

duxit Emmanuelam Trabadelo Malagón, ex quorum matrimonio octo liberi sunt nati, ex quibus duo consecratam amplexi sunt vitam. Assiduum se ostendens ad Eucharisticum sacrificium participandum et ad precandum, una cum uxore propriam familiam in parvam ecclesiam domesticam transformavit, apertam iugiter pauperum necessitatibus. Ipse simul cum uxore nomen dedit Tertio Ordini Sancti Dominici, cuius Regulam studiose servavit. Anno **1916** Barcinonem petiit, ubi ferriviarii officium explicavit, et, in ambitu laboris, suam fidem alacriter professus est. Filiae suae fidenter declaravit se paratum esse ad vitam pro Christo offerendam. Religiosa grassante persecutione, a militibus captus, necatus est die **8** mensis Augusti anno **1936**.

2. MICHAEL PEIRÓ VICTORÍ, laicus. Ortum habuit in loco vulgo *Aiguafreda*, dioecesis Vicensis, die **7** mensis Februarii anno **1887**. Anno **1915** matrimonium contraxit cum Francisca Ribas Roger. Postea inter sodales se adnumeravit Tertii Ordinis Sancti Dominici. Operatus est apud fabricam textoriam, honestate eminens et fidelitate in proprio officio implendo, nec non strenuitate in catholica fide profitenda. Nocte diei **24** mensis Iulii anno **1936** a militibus marxistis comprehensus est, tunc uxorem valedixit dicens: « In caelo congrediemur! », et statim est interemptus.

3. IOSEPHINA BONAVENTURA SAULEDA PAULÍS, Monialis ex Ordine Sancti Dominici. Nata est in oppido *Sant Pol de Mar*, Barcinone, die **30** mensis Iulii anno **1885**. Confirmata vocatione ad vitam consecratam, adscripta est inter moniales Barcinonensis monasterii Dominae Nostrae a *Montesión*. Duo per triennia moderatrix exstitit monasterii ac deinde magistra noviciarum. Spiritu refulsit caritatis et fervore in propriis obeundis muneribus. Capta, tormentis cruciata est et occisa die **31** mensis Augusti anno **1936**.

4. MARIA CARMELITIS ZARAZOGA Y ZARAGOZA, Religiosa Dominicana. Ad vitam venit die **1** mensis Iunii anno **1889** in loco *Villajoyosa*, intra fines provinciae Lucentinae. Anno **1916** ingressa est communitatem Sanctae Catharinae Senensis in urbe Barcinone (hodie Institutum est Sororum Domini - canarum Magistrarum ab Immaculata Conceptione). Proprii status munera adimplevit et semper laeto animo promptam se ostendit ad auxilium et curam consorioribus praestandam. Noctu inter dies **7** et **8** mensis Augusti anno **1936** martyrii palma coronata est.

5. MARIA ROSA ADRO VER MARTÍ, Religiosa Dominicana. Die **22** mensis Iulii anno **1888** orta est in loco vulgo *San Roque*, provinciae Gaditanae. Anno **1920** amplexa est communitatem Sanctae Catharinae Senensis in urbe Barcinone.

Apud illam religiosam domum magistra exstitit et aeditua, ubi Regulae praecepta fideliter servavit. Prehensa, noctu inter dies **7** et **8** mensis Augusti anno **1936** interfecta est simul cum Serva Dei Maria Carmelitide Zarazoga y Zaragoza.

6. RAIMUND A FOSSAS ROMÁNS, Religiosa Dominicana. Die **1** mensis Novembris anno **1881** primam lucem vidit in loco *Ripoll*, dioecesis Vicensis. Anno **1903** Vicensi in urbe excepta est in Congregationem Sororum Sancti Dominici ab Annuntiata, conditam a Beato Francisco Coli, O.P. Munus creditum est ei domus varias moderandi, quo in munere caritatem et aequum animum ostendit. Anno **1935** vocata est ad regendum Barcinonense collegium Sanctae Catharinae Senensis. Die **27** mensis Iulii anno **1936**, una cum quattuor consororibus, quas statim memorabimus, comprehensa est et necata.

7. ADELPHA SORO Bo, Religiosa Dominicana. Nata est in oppido *Villanueva de Castellón*, archidioecesis Valentinae, die **6** mensis Martii anno **1887**. Duodeviginti circiter annos nata, induit habitum Congregationis Sororum Sancti Dominici ab Annuntiata. Postquam varia munera diversis in communitatibus exercuerat, anno **1933** translata est in collegium Barcinonense. Martyrium subiit una cum suis consororibus die **27** mensis Iulii anno **1936**.

8. TERESIA PRATS MARTÍ, Religiosa Dominicana. Ortum habuit in oppido *Ciutadilla*, archidioecesis Tarraconensis, die **8** mensis Ianuarii anno **1895**. Iuvenili ab aetate catechesi tradendae et infirmis curandis incubuit. Anno **1920** inter Sorores Sancti Dominici ab Annuntiata cooptata est. Anno **1933** in Barcinonense collegium Sanctae Catharinae est translata, ubi coquae et vestificae officia simpliciter et humiliter explicavit. Exorta persecutione, a seditiosis occisa est die **27** mensis Iulii anno **1936**.

9. OTHILIA ALONSO GONZÁLEZ, Religiosa Dominicana. Ad vitam venit in pago *Enfistiella*, dioecesis Ovetensis, die **31** mensis Decembris anno **1916**. Anno **1932** Vicensi in urbe ingressa est conventum Sororum Sancti Dominici ab Annuntiata. Obiter excepta apud communitatem Barcinonensem, capta est et, simul cum consororibus, manuballista ignivoma est transfossa. Gravi-ter vulnerata, translata est in valetudinarium ubi paulo post, suis ignoscens carnificibus et pro eorum conversione orans, animam exhalavit.

10. RAMUNDA MARIA PERRAMÓN VILA, Religiosa Dominicana. Primam vidit lucem die **28** mensis Augusti anno **1898** in urbe Vicensi. Anno **1920** accepta est apud Sorores Sancti Dominici ab Annuntiata ipsa natali in urbe. Apud Barcinonense collegium Sanctae Catharinae insignis exstitit in muneribus obeundis. Patienter pertulit gravem morbum renalem, claram se praebens

spiritu humilitatis. Die **27** mensis Iulii anno **1936** a seditiosis vulnerata, paulo post e vita decessit. Priusquam mortem obiret carnificibus suis ignovit, orans pro iis ut ad rectam viam revocarentur.

11. REGINALDA PICAS PLANAS, Religiosa Dominicana. Nata est in loco *Borredá*, dioecesis Vicensis, die **25** mensis Maii anno **1895**. Nomen dedit apud Sorores Sancti Dominici ab Annuntiata, ubi munus exercuit magistrae diversis in collegiis Instituti. Pietatis spiritu floruit et fervore in servanda Regula. Die **27** mensis Iulii anno **1936**, dum tutiorem in locum se conferebat, simul cum Sorore Rosa Jutglar Gallart prope Minorissam necata est. Dum in martyrii locum ducebatur, orabat pro suis persecutoribus.

12. ROSA JUTGLAR GALLART, Religiosa Dominicana. Ortum habuit die **25** mensis Ianuarii anno **1900** in oppido *Sabassona* dioecesis Vicensis. Intravit in communitatem Sororum Sancti Dominici ab Annuntiata Vicensi in urbe, unde missa est in collegium Sanctae Rosae Limanae in urbe Minorissa; ibi omnino dedita est muneribus aedituae et magistrae; ob eius benignitatem et vitae conversationem omnium aestimationem sibi conciliavit. Palmam martyrii adeptam est die **27** mensis Iulii anno **1936**, simul cum Sorore quam supra memoravimus. Priusquam mortem obiret, ignovit carnificibus pro quibus etiam oravit.

Populus Dei hos Servos et Servas Dei martyres fidei statim habuit. Haec fama annorum decursu confirmata est, quamobrem Archiepiscopus Barcinonensis anno **1958** beatificationis seu declarationis martyrii Causam inchoavit, Ordinarium instruens Processum, qui anno **1963** est expletus. Iuridicam huius Processus validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum per decretum vulgatum die **4** mensis Maii anno **1992**. Exarata *Positione*, disceptatum est, uti de more, de eorum martyrio. Die **9** mensis Decembris anno **2003** habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, felici cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi congregati in Sessione Ordinaria die **1** mensis Martii huius anni **2005**, audita relatione Ponentis Causae, Em.mi Iuliani Cardinalis Herranz, edixerunt Servos Dei Antherum Mateo García et undecim Socios ob fidelitatem erga Christum interemptos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Antheri Mateo García et XI Sociorum, ex II et III Ordine Praedicatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. § S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TOLETANA

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Victoris Chumillas Fernández et XXI Sociorum ex Ordine Fratrum Minorum (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Confortamini in Domino et in potentia virtutis eius» (*Eph 6, 10*).

Paulo quidem Apostolo adhortante, Servi Dei Victor Chumillas Fernández et XXI Socii, contra christianorum persecutionem, quae annis 1936-1939 in Hispania exarserat, nihil humani praesidii vel auxilii petiere, quippe a Christo vim haurientes qua fidei vel in aerumnis testimonium perhiberent, sicque Domino servientes in communitatibus Ordinis Fratrum Minorum, quarum ipsi pars erant. Nam capti a seditionariis suam ipsi fidelitatem in Divinum Redemptorem et Ecclesiam minime repudiarunt palmamque martyrii sanguine profuso tandem sunt adepti.

Quibus quidem ex religiosis viris, viginti pars erant communitatis cuiusdam apud locum v. d. *Consuegra* apud Toletum florentis. Ipsi autem, ubi primum persecutio exarsit, a coenobio expulsi, ad familiares aliosque beneficos confugere sunt coacti. Postea vero capti nonnullosque dies in carcere conversati, die 16 mensis Augusti anno 1936 manuballista necati sunt, omnes in ipso articulo mortis orantes veniamque loquentes pro carnificibus.

Hi videlicet sunt:

1. **VICTOR CHUMILLAS FERNÁNDEZ**, sacerdos. Natus est die 28 mensis Iulii anno 1902 in loco v. d. *Olmeda del Rey* apud Concham Valeriam. Inde ab

adulescentia studium exhibuit nedum missionalis muneris obeundi sed vitae etiam pro Christo ponendae. In nonnullis coenobiis franciscalibus ministerium exercuit, variis officiis fungens zeloque apostolico praestans.

2. ANGELUS HERNÁNDEZ-RANERA DE DIEGO, sacerdos. Natus est die **1** mensis Octobris anno **1877** in loco v. d. *Pastrano*, apud Guadalaiaram. Evangelium nuntiavit in Philippinis, qui saepe antea confessus erat se cupere martyris ritu mori.

3. DOMINICUS ALONSO DE FRUTOS, sacerdos. Natus est die **12** mensis Maii anno **1900** in loco v. d. *Navares de Ayuso* apud Segoviam. Theologiam dogmaticam docuit ipseque definitur provincialis, praedicator, ephemeridum scriptor fuit. Nonnullas quoque religiosas associationes direxit.

4. MARTINUS LOZANO TELLO, sacerdos. Natus est die **19** mensis Septembris anno **1900** in loco v. d. *Corrai de Almaquer*, qui tunc temporis intra fines dioecesis Conchensis continebatur. Multa ipse in nonnullis coenobiis, etiam extra Hispaniam, docuit.

5. IULIANUS N A vi o COLADO, sacerdos. Natus est die **12** mensis Augusti anno **1904** in loco v. d. *Mazarete* apud Guadalaiaram. Ipse professor, disciplinae praefectus librorumque censor fuit.

6. BENIGNUS PRIETO DEL Pozo, sacerdos. Natus est die **25** mensis Novembris anno **1906** in loco v. d. *Salce* apud Legionem. Ipse tempore, quo martyrium accepit, professor discipulorumque magister erat in coenobio apud locum v. d. *Consuegra*.

7. MARCELLINUS OVEJERO GÓMEZ, alumnus. Natus est die **13** mensis Februarii anno **1913** in loco v. d. *Becedas* apud Abulam. Studia theologica ipse, utpote evocatus, conficere minime valuit.

8. IOSEPHUS DE VEGA PEDRAZA, subdiaconus. Natus est die **30** mensis Augusti anno **1913** in oppido v. d. *Dos Barrios* in ditione Toletana. Cui propter persecutionem religiosam pater quoque una cum tribus fratribus periere.

9. IOSEPHUS ALVAREZ RODRÍGUEZ, subdiaconus. Natus est die **14** mensis Octobris anno **1913** in loco v. d. *Sorriba* apud Legionem.

10. ANDREAS MAJADAS MÁLAGA, subdiaconus. Natus est die **2** mensis Martii anno **1914** in loco v. d. *Becedas*.

11. IACOBUS MATÉ CALZADA, subdiaconus. Natus est die **25** mensis Iulii anno **1914** in loco v. d. *Cañizar de Argano* apud Burgum.

12. ALFONSUS SÁNCHEZ HERNÁNDEZ-RANERA, alumnus. Natus est Ilerdae die **26** mensis Ianuarii anno **1915**. Qui quidem, paulo ante martyrium, sacra tonsura insignitus, etiam «minores Ordines» accepit.

13. ANASTASIUS GONZÁLEZ RODRÍGUEZ, alumnus. Natus est die **11** mensis Octobris anno **1914** in loco v. d. *Villaute* apud Burgum. Studia theologica ipse, utpote evocatus, conficere minime valuit.

14. FELIX MAROTO MORENO, alumnus. Natus est die **30** mensis Ianuarii anno **1915** in loco v. d. *Gutierrezmuñoz* apud Abulam. Nec ipse quidem, utpote militare coactus, studiis theologicis conficiendis vacavit.

15. FRIDERICUS HERRERA BERMEJO, alumnus. Natus est die **21** mensis Februarii anno **1915** in oppido v. d. *Almagro* apud Civitatem Regalensem. Paucis hebdomadibus antequam martyrium subiret, sacram ipse tonsuram « Ordinesque minores » acceperat.

16. ANTONIUS RODRIGO ANTÓN, alumnus. Natus est die **8** mensis Iulii anno **1913** in loco v. d. *Velamazán* apud Soriam. Nec ipse quidem, utpote evocatus, studia theologica conficere valuit.

17. SATURNINUS RÍO ROJO, alumnus. Natus est die **16** mensis Februarii anno **1915** in loco v. d. *Mansilla de Burgos*. Paucis hebdomadibus antequam martyrium subiret, sacram ipse tonsuram « Ordinesque minores » accepit.

18. RAIMUNDUS TEJADO LIBRADO, alumnus. Natus est die **20** mensis Aprilis anno **1915** in loco v. d. *Alcázar de San Juan* apud Civitatem Regalensem. Nec ipse quidem, utpote evocatus, studia theologica confecit.

19. VINCENTIUS MAJADAS MÁLAGA, alumnus. Natus est die **27** mensis Octobris anno **1915** in loco v. d. *Becedas*. Martyrium ipse sumpsit ante confecta studia theologica.

20. VALENTINUS DÍEZ SERNA, alumnus. Natus est die **11** mensis Novembris anno **1915** in loco v. d. *Tablada de Villadiego* apud Burgum. Vota sollemnia ipse, quippe qui ad aetatem canonicam nondum pervenisset, non emisit.

Cuius quidem martyrum manus pars sunt et duo alii Servi Dei, qui aliis in locis aliisque temporibus fidei causa sunt interfecti. Hi videlicet sunt:

21. FELIX GÓMEZ-PINTO PINERO, sacerdos. Natus est die **18** mensis Maii anno **1870** in loco v. d. *La Torre de Esteban Hambrán* apud Toletum. In nonnullis coenobiis eius Ordinis ministerium exercuit. Anno **1934** in conventum apud locum v. d. *Pastrana* missus est; ubi quidem usque ad martyrium deguit, quod die **7** mensis Septembris anno **1936** evenit. Ipse moriens suis carnificibus ignovit.

22. PERFECTUS CARRASCOSA SANTOS, sacerdos. Natus est die **18** mensis Aprilis anno **1906** in loco v. d. *Villacañas* apud Toletum. Physica ipse docuit in Seminario apud locum v. d. *Pastrana*; mox autem in secretarium provincia-

lem est electus. Captus et in cruciatus deditus, nempe ut impia dicta proferre cogeretur, ipse Christum prodere noluit ideoque die 17 mensis Octobris anno 1936 necatus est. Qui vero, antequam obiret, Sociorum martyrii confessiones audivit.

Hos omnes Populus Dei statim pro martyribus fidei habuit. Quae autem fama, dum labentibus annis confirmaretur, Archiepiscopo Toletano suasit ut Causae beatificationis seu declarationis martyrii initium faceret per Processum Ordinarium, qui annis 1966-1987 de undeviginti tantum ex duobus et viginti qui ferebantur martyribus Toletanis est celebratus. Postea vero apud eandem Curiam, anno scilicet 1992, etiam de tribus ceteris Inquisitio dioecesana est instructa. Quarum omnium et singularum Inquisitionum canonicarum validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 27 mensis Novembris anno 1992 latum. *Positione* confecta, disceptatum est, secundum normas, super asserto praefatorum Servorum Dei martyrio. Die 9 mensis Decembris anno 2003 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 15 mensis Martii huius anni 2005 congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titulo Cilibiensis, Causae Ponentis, agnoverunt Servos Dei Victorem Chumillas Fernández et XXI Socios propter fidelitatem erga Christum interfectos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Victoris Chumillas Fernández et XXI Sociorum, ex Ordine Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**
Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

REATINA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Maximi Rinaldi e Congregatione Missionariorum a Sancto Carolo Episcopi Reatini (1869-1941)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Gregis Christi Pastores imprimis oportet ut ad imaginem summi et aeterni Sacerdotis, Pastoris et Episcopi animarum nostrarum, sancte et alacriter, humiliter et fortiter exsequantur ministerium suum, quod ita adimpletum, etiam pro eis erit praeelsum sanctificationis medium » (**CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, 41**).

Caritate Christi compulsus, Servus Dei Maximus Rinaldi, primum fervens presbyter ac missionarius, deinde perdiligens Reatinae dioecesis Episcopus, «sancte et alacriter, humiliter et fortiter» Ecclesiae et animabus inserviit. Nam utpote qui divini Pastoris discipulus existeret genuinus, ipse enixus est ut forma gregi fieret (cf. *1 Pe 5, 3*) utque diem ex die animam suam pro ovibus poneret (cf. *Io 10, 15*).

Servus Dei natus est Reate die **24** mensis Septembris anno **1869** e Iosepho Rinaldi et Barbara Mannelli colonis, ipsoque die natali sacrum baptisma recepit. Cum autem anno **1873** mater eius obiisset, pater, quattuor liberos secum ducens, hospitio acceptus est a Dominico Rinaldi fratre, qui sacerdotali ministerio fungebatur apud Reatinam paroeciam Sancti Michaelis Archangeli. Ab anno **1882** ad annum **1884** Servus Dei in ipso Seminario dioecetano studia excoluit, quae postea vel egressus perrexit. Cum demum sacro presbyteratus ordine augetur die **16** mensis Iulii anno **1893**, sua ipse consilia complexus est hisce verbis, quae sumpserat e Beati Pauli Apostoli epistula altera ad Corinthios: «Impendam et superimpendar pro salute animarum» (cf. *2 Cor 12, 15*). Ipse enim iam tum scribebat «hominum vitam summum inane esse; Deum et animas, hoc ipsum valere. Omnia ergo, omnia prorsus impendenda, dum perveniatur ad Deum animaeque serventur».

Ipse itaque, oeconomi spiritalis munere fungens, ministerium pastorale exercuit in paroeciis apud loca v. d. *Ornaro* et *Greccio*. Mox autem Dominicus Rinaldi patruus, Episcopus Montis Falisci creatus, eum secum duxit in scribam et curatorem. Interea Servus Dei vocationem missionalem in animo volutabat. Cum itaque Romae Beatum Ioannem Baptistam Scalabrini convenisset, ipse anno **1900** ingressus est Congregationem Missionariorum a Sancto Carolo, quam Beatus ille pro pastoralis migrantium cura instituerat.

Postquam die 4 mensis Novembris eiusdem anni Placentiae sacris se votis obligasset, in Brasiliam conscendit ibique in loco v. d. *Encantado*, in provincia scilicet Rivo Magno Australi, miro studio et alacritate apostolatam missionalem exercuit. Nam ipse anno 1904 praefectus est paroeciae Sancti Petri apud locum v. d. *Encantado* pauloque post, ipsius Fundatoris iussu, factus est Superior provincialis Rivi Magni Australis. Cum autem anno 1910 in Italiam reversus esset, munus assumpsit Procuratoris et Oeconomi generalis propriae Congregationis, cuius ipse Vicarius generalis anno 1915 nominatus est.

Die vero 2 mensis Augusti anno 1924 Summus Pontifex Pius XI eum Episcopum Reatinum elexit. Sacram ergo ordinationem Servus Dei accepit in patrio templo cathedrali die 19 mensis Martii subsequentis anni per Em.-mum Raphaellem Cardinalem Merry Del Val. Propriae exinde dioecesis societati famulatus est operum vitaeque sanctitate. Suos ipse presbyteros singulariter dilexit, iis nempe indulgens et ignoscens, eosque omni tempore defendens; parique dilectione humiles inopesque ipse est prosecutus. Complura porro incepit cum in provectum catholici laicorum ordinis tum in maiorem civium dignitatem spiritalem et sociale: nam Actionem Catholicam constituit; coloni am rusticam a Sancto Antonio, quae nunc «Opera Massimo Rinaldi» Italice nuncupatur, pro aniculis orphanulisque aperuit; sacerdotalem denique convictum in episcopio condidit. Infirmos eosque, qui in carcere iacebant, saepe ipse visebat; peregrinos etiam et pauperes hospitio excipiebat, omnia opera misericordiae corporalis et spiritalis exercere conans. Praeterea Servus Dei catholicae pressoriae et catechesis apostolus exstitit: nonnullas enim ephemerides fundavit, inter quas profecto memoranda est illa, quae Italice inscribitur: «L'Unità Sabina», annoque 1930 Officium Catecheticum Dioecesanum instituit. Anno vero 1938 episcopale ephebeum aperuit ubi adolescentes studiis dediti, a longinquis dioecesis venientes, hospitio exciperentur et efformarentur. Cum autem verno tempore anni 1941 in gravem morbum incidisset, Romam demigra vit in Domum generaliciam suae Congregationis, quam ipse Procuratoris generalis munere fungens extruendam curaverat. Aeque animo morbum sustulit, quo tamen ipse die 31 mensis Maii eiusdem anni mortuus est.

Dehinc maxima populi frequentia exsequiae magnifice factae sunt Reate. Corpus eius, quod primum in coemeterio urbano conditum est, inde ab anno 1966 in ecclesia cathedrali iacet, cleri plebisque veneratione circumdatum. Vivit enim adhuc memoria sanctitatis vitae Servi Dei, nedum virtutum quas ipse prompte, assidue ac delectabiliter exercuerat.

Fide imprimis effulsit, quam ipse per unionem cum Deo aluit et in vita diem ex die acta testificatus est. Deus summa eius cogitationum et animi exstitit inde a tempore quo ipse sacro tirocinio operam navabat. Cuius ministerium pastorale vitamque interiorem aiebant divini verbi meditatio singularisque pietas erga Eucharistiam, quam ipse magna devotione celebrabat, efficiens ut omnes Iesum praesentem sentirent atque gustarent. Saepe diurno vel nocturno tempore solebat is Augustissimum Sacramentum producta adoratione prosequi. Filiali et ardenti pietate flagravit in Mariam, quam ipse frequenter Rosario recitando colebat. Spem suam in Domino posuit, quippe qui in arduis et in periculis divinae se Providentiae commendaret. Utpote ad ea tantum porrectus quae sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens (cf. *Col 3, 1*), semetipsum et mundana neglexit. Hoc quidem tantum appetiit, ut Deo gratus evaderet eiusque voluntatem adimpleret, viam sanctitatis conficiens ipseque sine mora operam impendens pro Ecclesiae aedificatione animarumque salute.

Ubi primum episcopalem ordinationem accepit, ipse ad clerum et populum conversus: «Virtute et caritate — inquit — in eos, qui bonum oderunt, pugnabimus; hisque tantum freti muneribus viam boni consequi valebimus». Proximum suum propter Deum dilexit, maximeque infirmos, maerentes, inopes, pueros, sacerdotes eosque praesertim provectos aetate vel laborantes, religiosos denique viros religiosasque virgines. Ipse porro, ut peccatores Deo reconciliaret, diu noctuque longas horas in confessionum tribunali debebat. Summam prudentiam adhibuit cum in Dioecesi regenda, tum in deligendis aptissimis rationibus ad suam aliorumque sanctificationem. Exemplo quoque fuit in exercenda iustitia tum in Deum tum in proximum inque aliarum virtutum exercitio, videlicet fortitudinis, fidelitatis in propriam missionem, patientiae in difficultatibus, temperantiae, paupertatis, castitatis, oboedientiae denique Deo superioribusque ecclesiasticis. Nec mirum ergo ut hic vir populum delectaverit humilitate et paupertate studioque suimet devovendi et mortificandi, quod ipse excoluit per integrum curriculum suae vitae sacerdotalis et episcopalis.

Quae quidem omnia Episcopo Reatino persuaserunt ut Causam beatificationis et canonizationis inchoaret. Nam annis 1991-1997 Inquisitio dioecesana peracta est, cuius validitatem iuridicam haec Congregatio agnovit per decretum die 20 mensis Novembris anno 1998 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Servus Dei virtutes in gradu heroico exercuerit. Die 1 mensis Februarii huius anni 2005 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordi-

naria congregati die 3 mensis Maii subsequentis, Ponente Causae Exc.mo D. Laurentio Chiarinelli, Episcopo Viterbiensi, Servum Dei agnoverunt virtutes théologales, cardinales eisque adnexas heroico gradu excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Maximi Rinaldi, e Congregatione Missionariorum a Sancto Carolo, Episcopi Reatini, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. S **ARAI VA MARTINS**
Praefectus

L. B S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

RATISBONENSIS

**Beatificationis et canonizationis Servi Dei Eustachii Kugler (in saec.: Iosephi)
Religiosi Professi Ordinis Hospitalarii Sancti Ioannis de Deo (1867-1946)**

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In hoc enim laboramus et certamus, quia sperantes sumus in Deum vivum» (1 Tim 4, 10).

Servus Dei Eustachius Kugler (in saec.: Iosephus), qui asperis temporibus vixit, propter fidem labores et persecutiones subivit. Is tamen, fide in Domino fultus, speravit in promissa evangelii (cf. Col 1, 23) stabileque usque ad mortem servavit vinculum unionis fidelitatisque erga Christum, indefesse pugnans divinae legi vindicandae seque servitio tradens infirmorum, in quibus vultum Dei refulgentem cernebat.

Natus est die 15 mensis Ianuarii anno 1867 in oppido v. d. *Neuhaus* intra fines dioecesis Ratisbonensis, modico pioque genere. Inde ab adolescentulo disciplina, sese devovendi studio, indole quieta eminebat. Catechesim in paroecia assidue audiebat. Post patris obitum missus est Monachium artis fabri discendae gratia, ibique ob suam pietatem vexationes et humiliationes est perpessus. Nam, dum olim a socio operario ipsum percussuro effugere conatur, contignatione delapsus grave vulnus crure accepit, quo per reliquum vitae claudicans fieret.

Tum Servus Dei commigravit in oppidum v. d. *Reichenbach* apud sororem, eius maritum in operis artis hydraulicae adiuturus; ibique plurima existimationis testimonia sedulus et honestus movit. Cum autem consilium status vitae consecratae capessendi in animo volvisset, anno 1893, nomine Fratris Eustachii sumpto, ingressus est Ordinem Hospitalarium Sancti Ioannis de Deo, post resistentes, qui primitus ei infirmitatem obiecerant, expugnatos. Mense denique Octobri anno 1895 vota temporaria nuncupavit, quae quidem perpetua sunt secuta.

Tum iussus est migrare in locum v. d. *Gremsdorf* ubi aeditui et viceprioris munere fungeretur; munera quoque exsecutus est infirmorum ministri in loco v. d. *Kaisheim* (annis 1902-1905) necnon prioris, videlicet in coenobiis apud loca v. d. *Straubing* (annis 1905-1914) et *Gremsdorf* (annis 1914-1925). Anno autem 1925 Bavaricae Provinciae Superior renunciatus est; quod quidem munus usque ad mortem servavit, vitam spiritalem fovens, pios confratrum sensus verbo et exemplo excitans, disciplinam observandam caritatemque fraternam curans. Anno 1926 Reginae Castra seu Ratisbonae valetudinarium virorum aedificandum inchoavit, quod progrediente aetate alterum mulieribus suscipiendis est secutum.

Ipsi autem socialismi nationalis regiminis vexationes adeundae fuerunt. Nam, cum ex eo pertinax quaestio haberetur, nempe ut adversus confratres testimonium diceret, ipse eorum honestatem et Ordinis valuit servare.

Quibus arduis temporibus ille quidem semetipsum sanctificavit, dominicae voluntati cotidie assentiens, Decalogum et Regulam observans, munera denique sibi commissa exsequens diligenter. Dum autem ad progrediendum in via sanctitatis animo contendit, christianas religiosasque virtutes assidue ac delectabiliter exercuit.

Fidem, quam testificatus est, zelanter propagavit eamque adversus atheum socialismi nationalis praeconium fortiter propugnavit. Suam pietatem alere cupiens Augustissimo Sacrificio intererat assidueque et ferventer orabat.

Firma praeterea in Eucharistiam devotione flagrabat, adeo ut etiam inter pyrobolorum coniectiones plurimas horas coram Sanctissimo transigerei adorans. Filiali denique in Beatam Mariam Virginem pietate nectebatur, quam quidem Rosario recitando invocabat. Propter caritatem in Dominum semper egit, qui semper haec in ore haberet: «Omnia propter Deum, omnia ad maiorem Dei gloriam». Infirmis, quibus vel humillima ministeria praestaret, assidebat iisque animum spemque divini auxilii addebat. Moribus suavis, de largitate cordis omnibus iis, qui iniuria eum affecissent, ignovit. Cum in Providentia tantum confideret, aliis hominibus ardua incepta prospere suscepit.

Prudentiam adhibuit in commercio cum magistratibus suamque Provinciam religiosam sapienter administravit. Ratiocinandi artem in Ordine reformavit atque inexpugnabilem reddidit contra novas saevasque leges, quas socialismi nationalis regimen invexerat. Aequus et incorruptus in officiis attribuendis, iustam semper mercedem operariis solvit. Fortiter insidias et persecutiones suscepit quibus ipse, quippe religioso viro catholico, a socialistis nationalibus est subiectus; plurimasque humiliaiones mira est tolerantia perpassus. Tenuis cultu fuit nec cibos singulares sibi, quamvis e stomacho laboraret, expetivit. Pauper vixit idemque confratres exhortatus est ut agerent; ecclesiasticis Superioribus paruit exemploque fuit in excolendis votis castitatis et hospitalitatis, hoc quidem utpote sui Ordinis religiosi proprio. Mundanos honores minime exquisivit nec umquam, cum Superioris munere fungeretur, molestus evasit, sed continenter latuit in umbra.

Ipsa vel pro calamitatibus alterius populorum conflictus minime animo defecit, qui potius eos, qui magis essent cladibus pyrobolorumque coniectionibus lacessiti, consolaretur. Domum Patris petivit die 10 mensis Iunii anno 1946.

Diffusae famae sanctitatis intuitu, Episcopus Ratisbonensis Causam beatificationis et canonizationis inchoavit per Processum Ordinarium Informativum annis 1963-1965 celebratum, cuius validitas iuridica approbata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 10 mensis Aprilis anno 1992 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Servus Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 8 mensis Iunii anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 1 mensis Februarii huius anni 2005 congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Laurentii Chiarinelli, Episcopi Viterbiensis, Causae Ponentis, agnoverunt Servum Dei Eustachium Kugler virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto **XVI** per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Eustachii Kugler (in saec.: Iosephi), Religiosi professi Ordinis Hospitalarii Sancti Ioannis de Deo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri statuit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**
Praefectus

L. E8.S.

EB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

NOVARIENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Caroli a Basilica Petri (in saec.: Ioannis Francisci Bascapè) Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli (« Barnabiti ») Episcopi Novariensis (1550-1615)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, increpa, obseca, in omni longanimitate et doctrina» (2 *Tim* 4, 2).

Verba, quibus Paulus Apostolus Timotheum adhortabatur, accepit et Carolus a Basilica Petri, seu Ioannes Franciscus Bascapè, Episcopus, qui mira sollicitudine et fortitudine servitio pastoralis Ecclesiae decretisque Concilii Oecumenici Tridentini in Dioecesi Novariensi efficiendis se tradidit, labores, incommoda difficultatesque suscipiens. Ipse enim plurima talenta, quae divinitus acceperat, est sapienter negotiatus omniaque in Dei gloriam salutemque animarum impendit, exempla Sancti Caroli Borromeo, cuius discipulus et efficax adiutor fuit, diligenter secutus.

Servus Dei natus est die 25 mensis Octobris anno 1550 in oppido v. d. *Melegnano*, intra fines Archidioecesis Mediolanensis, antiquo nobilique genere Langobardo. Baptizatus nomina Ioannis Francisci recepit. Puerili institutione domi imbutus, studiorum curriculum perrexit Papiæ, ubi laurea iuris est potitus. In Mediolanense iurisperitorum Collegium cooptatus, magistratus munera suscepit, sed cum ad sacerdotium vocaretur a Domino, omnibus dimissis, pervenit inter coadiutores Caroli Card. Borromeo, Archiepiscopi Mediolanensis, qui ipsius iuris et humaniorum litterarum doctrinam magni faciebat. Anno 1575 ordines minores simul ac dignitatem in templo maximo canonici honorarii recepit. Anno 1576 est sacro presbyteratus ordine insignitus. Proprium exin Archiepiscopum in visitationibus apostolicis Cremonam et Bergomum comitatus est eumque naviter auxilio laboris adiuvit in ingenti reformationis opere, quod Tridentinum Concilium moverat.

Cum autem ad vitam consecratam alliceretur, anno 1578, nomine Caroli sumpto, ingressus est Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli, v. d. « Barnabitarum », cuius anno 1584 Praepositus Generalis renunciatus est. Religiosos viros instituendos curavit eorumque vitam interiorum Patribus Ecclesiae legendis aluit, qui porro severe vigilavit ut Constitutiones Instituti, quas ipse novis temporibus exaequaverat, servarentur ab omnibus. Anno 1584 Sancto Carolo emorienti affuit, cuius anno 1592 vitam, mox undique di vulgatam, edidit.

Cum Episcopus Novariensis die 8 mensis Februarii anno 1593 electus esset, gregem suum rexit, christianam presbyterorum populique vitam constanter alendo zelumque Sancti Caroli Borromeo aemulando. Errores ac vitia tollere adortus, leges Dei et Ecclesiae servandas fovit. Qui praesertim formationem et disciplinam sacerdotum atque institutorum vitae consecratae, tum virorum tum virginum, curavit; nova Seminario praescipit; Oblatos S. Gaudentii in dioecesi fundavit; ludos pro pueris christianae doctrinae docendae aperuit; verbum Dei assidue praedicavit; opera misericordiae, eademque maxime pro pauperibus, infirmis orphanisque, promovit; visitationem pastorem pluries peregit terque synodum celebravit; Beatae Virginis delubra sicut et cultum Eucharistiae, Sanctorum reliquiarumque dignis honoribus auxit; Causae canonizationis Sancti Caroli Borromeo suffragatus est, quem tandem in Sanctorum caelitem album adscriptum gaudens conspexit; impavide iura Ecclesiae vindicavit plurimisque scriptis, aliis editis aliis nondum vulgatis, est suo populo famulatus.

Tam magna apostolica navitas, quam saepe aerumnae comitabantur, Servum Dei ad perfectionem illam admovit, quam Divinus Magister ostendit

discipulis suis, dicens: «Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est» (*Mt* 5, 48). Ipse enim, ut Deo placeret suumque apostolicum ministerium praesentius redderet, in via sanctitatis constanter progrediens christianas virtutes magno animo summoque studio excoluit, quippe qui mente et corde divinae revelationi et magisterio Ecclesiae adhaereret. Deo enim ipse nitebatur in vita sua et navitate pastorali, quae tota ad regnum Christi aedificandum intendebatur. Ipse nempe haec: «Nihil aliud cupio — scribebat — ac Deo famulari quamque maxime hasce gentes iuvare».

Suam cum Domino unionem suumque ministerium aluit per cotidianam Missae celebrationem et Eucharisticam devotionem, per orationem et filialem erga Deiparam pietatem, praeterea per veritates supremas considerandas, per lectiones spirituales, per rerum mundique vanitatum contemptum, perque suimetipsius mortificationem, per fugam peccati et studium sanctitatis. Oratione consilium a Deo petebat, vim hauriens qua suam ipse missionem sancte adimpleret. Propter Deum et proximum indefessus Christum secutus est vineamque sibi concreditam coluit. Quod si quando *Severus* exstitit, minime iustitiam et caritatem violare, sed opus dioecesis reformandae ad felicem exitum perducere sibi proposuit. Iustus immo in Deum et proximum, aptissimas sibimetipsi, presbyteris plebique sanctificandis rationes prudenter elegit, idem in omnibus temperans, Providentiae auxilio fisus, in incommodis periculisque fortis et patiens, in bono perseverans. Cum a natura ingenium accepisset aere et ad severitatem laudesque proclive, firmo tamen et constanti animo, Dei gratia opitulante, mundum abdicavit, oboedientiam excolens et humilitatem.

Vetulus autem et aegrotabilis factus, dioecesim regendam abdicare voluit; at Summus Pontifex, qui eum magni faciebat, in sede reliquit. Infirmirate per gradus ingravescenti membris captus, extremos annos in cruciatibus tum corporis tum animi transegit, donec die 6 mensis Octobris anno 1615 sancte in Domino obdormivit.

Fama sanctitatis, quae viventem prosecuta erat, post mortem eius permansit, quamobrem Episcopus Novariensis anno 1623 Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per Processus Ordinarii celebrationem. Postquam per diu siluit, Causae iter rursus susceptum est anno 1906, iterum postea moraturum. Anno autem 1952 opus resumptum est secundum normas quas Pius PP. XI de causis antiquis ediderat. *Positione* confecta, habita est die 20 mensis Maii anno 2003 Consultorum Historicorum Sessio. Felici cum exitu, die 9 mensis Martii anno 2004, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris peractus est. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria

congregati die 18 mensis Ianuarii huius anni 2005, Ponente Causae Exc.mo D. Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino, Servum Dei Carolum a Basilica Petri excoluisse virtutes theologiales, cardinales iisque adnexas heroico in gradu agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Caroli a Basilica Petri (in saec.: Ioannis Francisci Bascapè), Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli («Barnabiti»), Episcopi Novariensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri statuit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. EB S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Isabellae de Rosis fundatricis Congregationis Sororum Reparatricum a SS. Corde (1842-1911)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Unum tantum exopto, ut Iesum ex tota animi mei fortitudine diligam. Eo enim tantum ducor, quod meipsam Domino meo permitto, nec alium quasi in polum conspicio... Nihil amplius petere valeo nisi ut Voluntas Domini in anima mea et in Congregatione ad finem perfectum adducatur».

Haec quidem, quae Serva Dei Isabella De Rosis paucis mensibus ante obitum conscripsit, vitae gendendae rationem, quam ea per totum terrenum

iter servaverat, exprimunt. Ipsa enim, quippe quae inde ab adolescentia opes huiusque saeculi honores nulli facere ostendisset, totam Deo se tradidit pro victima peccatis hominum reparandis. Forti igitur animo ac miti plurimas aerumnas plurimosque dolores acceptavit, quibus ipsa nempe usa est ut redimenti Christi operi interesset, sicque, iter per crucem et caritatem carpens, sanctitatis fastigia est adepta.

Magna haec fautrix, quin immo vere apostola devotionis SS. Cordi Iesu adhibendae, Rosciani apud Consentiam nobili eius loci genere orta est die 9 mensis Iunii anno 1842. Inde a pueritia ad vitam pietate innixam exstitit propensa, quod quidem ipsa, licet familiaribus repugnantibus, excolere valuit. Circa decimum aetatis annum alumna ingressa est Neapolitanum collegium S. Clarae, ubi usque ad annum 1860 mansit. Nonnullis denique uxoriis condicionibus repudiatis, statuit vitam consecratam amplexari. Aliquantulum itaque inter Puellas a Caritate S. Vincentii de Paul, mox autem inter Antillas a SS. Corde Iesu, quas quidem Beata Catharina Volpicelli condiderat, deguit. Variis tamen de causis ipsa aliud sibi iter faciendum intellegit; quapropter in familiam reversa apostolicae navitati orationique operam impendit, conans itidem divina de se consilia perspicere. Quae tandem, dum propter incommodam valetudinem Neapoli moratur, pristinam spem consecratae vitae capessendae, cui semper familia repugnauerat, ratam facere valuit. Mense enim Maio anni 1875 una cum nonnullis sociabus idem ac se sentientibus conversationem et sodalicium auspicata est. Quibus quidem e primordiis Institutum exstitit Sororum Reparatricum a SS. Corde, quae hoc praecipue sibi proponebant, ut ipsae se SS. Cordi Iesu prout victimas amoris et reparationis devoverent utque caritatis missionalibusque operibus deditae impensum apostolatatum exercerent.

Anno autem 1884, pestilentia cholerae morbi ingruente, cum multae sanctimoniales obirent, Serva Dei, eodem morbo temptata, vovit se, siquando valetudinem recuperaret, fore ut votivam aedem SS. Cordi Iesu exstruendam curaret. Reapse igitur ex infirmitate recreata exstruere incepit Sacrarium Nationale Reparationis, cuius ipsa possessione anno 1901 Societati S. Francisci Salesii cessit. Suum interea Institutum prudenter diligenterque dirigebat, quod quidem novis domibus aperiendis augebatur quodque mense Iulio anni 1906 decretum laudis obtinuit. Die autem 7 mensis Augusti eiusdem anni ipsa una cum aliis sociabus vota perpetua nuncupavit, quae quidem foret exinde egregie servatura. Suas porro filias spirituales per viam perfectionis evangelicae duxit, quas scilicet ipsa efformandas curaret verboque et

opere incitaret ut Domino adhaerentes animabusque famulantes magis magisque elata fastigia adipiscerent. Ipsa vero, quippe propriae condicionis officia exsequens perfecte christianasque virtutes iugiter ac delectabiliter exercens, inter omnes eminebat.

Fides quidem omnia ab ea patrata informavit eamque in compluribus aerumnarum temporibus sustentavit. Nec ipsa umquam de bonitate Dei dubitavit, quem potius corde indiviso, ardore summaque fidelitate dilexit, cuius et voluntatem prorsus efficere studeret cuiusque Regno operam navaret. Propter Deum numquam ipsa sacrificium, humiliationem, despectum, persecutionem, labores, infirmitates recusavit. Gaudia autem aerumnasque de manibus Dei aequo animo accepit, Divinae iugiter Providentiae confisa, quippe quae semetipsam pro peregrina et advena in hoc saeculo existimaret vitamque aeternam appeteret. Intimam cum Domino unionem excoluit per orationem perque devotionem Eucharistiae, SS. Cordi Iesu, Passioni Christi, Beataeque Mariae Virgini adhibitam. Materna quoque cura indigenti proximo se tradidit, spiritalia et corporalia opera misericordiae exercens. Nam in Sorores, easque maxime quae ipsi adversarentur, amabilis exstitit; pueris ad christiana praecepta efformandis operam dedit; infirmorum inopumque labores allevavit; afflictos consolata est; omnes se molestia afficientes pertulit; omnibusque ad se confugientibus sapienter ac prudenter consilia dedit. Iustitiam cum in Deum tum in proximum, temperantiam quoque ac mortificationem exercuit.

Opes huiusque saeculi honores contemnens, divinis ecclesiasticisque legibus paruit et auctoritatibus, quorum praeceptis dominicam voluntatem refulgentem cernebat. Anno autem 1909 cum Sancta Sedes iussisset visitationem apostolicam fieri in Servae Dei Congregationem, ipsa iussa est se munus Moderatricis Generalis abdicare. Quibus quidem aerumnis fortiter humiliterque perfuncta, suum Christo laborem pro bono Instituti et Ecclesiae obtulit; domumque Patris attigit die 11 mensis Augusti anno 1911, postquam nempe omnibus ignovit qui ipsam humiliationibus vel molestiis affecissent.

Diffusae famae sanctitatis intuitu, Archiepiscopus Neapolitanus Causae beatificationis et canonizationis initium dedit per Processum Ordinarium annis 1939-1953 celebratum, quem quidem Processus Historicus annis 1969-1975 secutus est. Quorum amborum et singulorum validitas iuridica approbata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 24 mensis Septembris anno 1993 latum. *Positione* confecta, Sessio Consultorum Historicorum habita est die 25 mensis Maii anno 1993. Dehinc vero disceptatum est de more utrum Serva Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die

igitur 6 mensis Decembris anno 2004 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 1 mensis Martii huius anni congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Hieronymi Grillo, Episcopi Centumcellarum-Tarquiniensis, Causae Ponentis, agnoverunt Servam Dei Isabellam De Rosis virtutes théologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Isabellae De Rosis, Fundatricis Congregationis Sororum Reparatricum a SS. Corde, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**
Praefectus

L. ES S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CAMERINENSIS-SANCTI SEVERINI IN PICENO

Canonizationis Beatae Baptistae Varano (seu Camillae Baptistae de Varano) Memorialis Professae Ordinis Sanctae Clarae (1458-1524)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, ut annuntiem omnes operationes tuas in portis filiae Sion» (*Ps* 73, 28).

Nobili genere orta, Beata Baptista Varano tota cordis dilectione Domino adhaerere statuit adeo ut, si martyrium subeundum esset, citius hoc eligeret quam ut ipsa, sicut scripsit, se paeniteret, ideoque mirabilia Dei, qui qui-

dem omnes filios suos ad sanctitatem vocat, christifidelibus annuntiare apta facta est.

Beata Camilla Baptista nata est Camerini in Piceno die 9 mensis Aprilis anno 1458 e Iulio Caesare de Varano, Camertium principe Sanctae Sedi Apostolicae subiecto, et D.na Cecchina cuiusdam magistri Iacobi filia; convenienterque sacris rebus, litteris, elegantis quoque in aedibus paternis, Ioanna Malatesta Iulii Caesaris uxore praesertim docente, est imbuta. Puella olim, circa octavum vel decimum annum aetatis, postquam Beati Dominici a Leonissa sermonem audivit, se unam saltem lacrimam propter Iesu Christi Passionem feria sexta cuiusque hebdomadae exinde profusuram vovit. Adulescens autem facta et mundanis voluptatibus allecta, ipsa in sua iuventute, ut refert, clericos et sanctimoniales aspicere ac devota audire vel legere aversabatur; animi tamen fortitudine sustenta firmissimaque voluntate impulsa, numquam ipsa feria sexta omisit orare, quin immo, Divino auxiliante Spiritu, meditationem, ieiunium suppliciaque voto paulatim addidit. Eam interea in virtutibus progredientem divina gratia Sacramenti Reconciliationis et consilia confessorum adiuvarunt. Virgo tandem, vicesimum primum annum agens, dum festum Annuntiationis Deiparae celebrabatur, votum castitatis nuncupavit pauloque post, divino quodam impulsa afflatu, licet secum ipsa pugnans, se Iesu Christo devoturam constituit.

Quamvis ergo Beata iampridem esset a terrenis desideriis mundanisque voluptatibus soluta, pater tamen, quippe qui eius proposito repugnaret, blanditias, minas, carcerem, omnia denique conatus est dummodo filia a consilio recederet; sed Camillae voluntatem amovere minime valuit. Ipsa quidem septem menses graviter aegrotare coepit, at Christus sponsam sustinebat «cum multis beneficiis et donis», sicuti in ipsius Beatae epistula autobiographica legitur. De quibus quidem ipsa haec: «Melius est pauca de multis dicere — scripsit — quam multa de paucis loqui». Cui nempe semel iterumque Iesus apparuit, primum scilicet ante Beatam incedens, deinde vero Cor ostendens, in quo erat scriptum: «Ego te diligo Camillam».

Duobus tandem post annis Iulius Caesar filiae assensus est ut ipsa Deo se devoveret. Camilla itaque die 14 mensis Novembris anno 1481 Urbinatense Sanctae Clarae asceterium ingressa est, ubi quidem eiusdem Sancta Regula vigeat, nomen assumens Sororis Baptistae. Quo in monasterio ipsa opus *De Iesu recordationibus* scripsit, quod postea anno 1491 rescripsit. Post autem vota sollemniter nuncupata, Soror Baptista una cum octo sociabus Camerinum rediit ibique die 4 mensis Ianuarii anno 1484 novum Clarissarum asce-

terium, quod Iulius Caesar de Varano pro filia acquisi verat, religiosis Superioribus obtemperans est ingressa.

Egregiis mentis et cordis facultatibus ornata, vita spiritalis Beatae, quae adhuc profecerat, de virtute in virtutem increbuit. Fontes eius inexhaustae contentionis deprecatio, Sacrae Scripturae necnon divina liturgia fuerunt. Ipsa in praesentia Dei constanter vivebat. Cuius quidem meditatio non tantum in Domini Iesu Passionem vel vulnera, quantum in acerbissimos Cordis Iesu maerores dirigebatur, de quibus Beata scripsit: «Hi velut totius vasis mel sunt, alii tamquam mellis gutta extra vas». Ipsa igitur «in Sacratissimum Cor Iesu ingredi Eiusque acerbissimorum maerorum pelago submergi» itemque «singulos anni dies tamquam Parascevem habere» decrevit. Dominus nempe Cordis sui maerores ipsi dederat intuendos: quamobrem Beata opus *De maeroribus Cordis Iesu Christi in sua passione* composuit, quod de maeroribus quidem refert a Iesu sustentis propter damnatos, electos, Beatam ipsius Genetricem, Mariam Magdalenam, discipulos, Iudam, populum dilectionis iudaicum omniumque creaturarum ingratitude. Quod quidem opus anno 1490 Neapoli absque auctoris nomine est impressum, ipsa videlicet auctrice adhuc vivente nesciente; postea in multas linguas translatum innumeras editiones habuit, sicque compluribus earum factum est christifidelibus, sancteque Philippo Neri in primis. Inde ab anno 1488 ad annum 1491 Beatae fides ceteraque virtutes animi tenebras ob Dei silentium sunt expertae, quae quidem occasionem ipsi aperuerunt autobiographicae epistulae conscribendae: quod opus non tantum litterarum rei que mysticae velut gemma refulget, quantum fidei vitaeque consecratae iter describit. Sororibus igitur virtutes ipsius, prudentiam scilicet et mansuetudinem et caritatem, admirantibus, Beata tricesimo quinto aetatis suae anno pluriesque exinde monasterii antisita est creata.

Annis tamen 1501 et 1502 Soror Baptista acerbissimorum seriem dolorum perpressa est. Primum enim Alexander VI Iulium Caesarem de Varano, Rodulfi consobrini de caede quamvis absque testimoniis accusatum, excommunicavit; deinde vero Caesar Borgia, eiusdem Papae filius, Camerinum oppugnavi[^] quapropter Beata una cum Angela e gente Octoniana, ipsius sodali, Firmum aufugit indeque, cum haud benigne a Firmanis primoribus excepta esset, in regnum Neapolitanum perrexit, in civitatem tandem Atriensem perveniens. Interea vero Caesar Borgia patrem Beatae tresque germanos trucidavit. Nec igitur ante Alexandri VI obitum, qui quidem die 18 mensis Augusti anno 1503 evenit, Baptista et Angela sodalis Camerinum redire va-

luerunt. Notandum vero quod numquam Beata quidquam mali hisce de rebus dixit vel scripsit. Quam immo Iulius II adeo existimatione dignam habuit, ut anno 1505 eam Firmum mitteret ad novum Clarissarum coenobium constituendum; ibique ipsa circiter duos annos est morata.

Beatae caritas et erga Deum refulsit, quamvis vero Camilla Baptista in suis operibus homines minime adeo aptos ad respondendum infinitae Dei caritati adseveret, quin ipsa Maria Virgo ipsique Sancti et angeli vix digne Deo gratias agere potuerint «propter parvulum florem ad nostram utilitatem creatum magisque propter immensam ac singularem caritatem qua dilexit nos ut Filium suum Unigenitum daret pro nobis vilissimis peccatoribus». Post hanc supernam illuminationem Beata exclamavit: «O insania, o insania!», quippe cui «nullum verbum tanto amori exprimendo idoneum» videretur, adeo ut ipsa semet infernis dignam existimaret, nempe sub Iudae pedibus, sed, ut scripsit, hisce condicionibus: «Dummodo ibi te, Domine, diligam». Cum verum de Beatae amore pro Christo superius dixerimus, nunc restat ut nonnulla de eius amore in Sanctissimam Eucharistiam tractemus. De quo quidem ipsa haec: «Per biennium — scripsit — Eucharistiam singulis dominicis diebus acceperam, cotidie autem eandem appetebam»; praeterea olim «dum ecclesiam ingreditur ad Sanctissimum Sacramentum adorandum, ex hoc sagitta exivit, quae divino eius cor amore vulneravit».

Caritatem erga proximum Beata patefaciebat primum erga sodales, de quibus bene semper sentiebat quarumque errores excusabat, teste ipso Antonio a Segovia monacho olivetano; deinde vero erga asceterii amicos omnesque eos qui ipsius consilium vel orationem petebant (namque epistulas Beata conscripsit pro capitis damnatis servandi vel pro civibus a devastatione eripiendis); denique erga omnes, sicuti e cuiusdam sodalis epistula constat: «Soror Baptista adeo in animarum zelo defixa est ut se flagrantem habeat nec alia consolatione afficiatur; nec alium ipsa cibum sumit nisi illum, et loquens de animarum salute languere videtur». Praeterea Beata amore Ecclesiae refulsit, prout eadem sodalis testatur: «Saepe adeo pro Ecclesiae renovatione ardet ut dormire vel comedere vix queat neu cuiquam aurem praebere, quamobrem nonnumquam graviter aegrota vit». Constat enim Beatam temporibus vixisse quibus corrupti mores ipsam Ecclesiam Dei afficerent quibusque lutherana a Romano Pontifice discessio evenit.

Baptista fuit etiam spe in Providentia referta, superioribus oboediens, moribus casta, in terrestrium bonorum usu necnon in cibo potu que tempe-

rans; summam ipsa paupertatem excoluit omnique tempore humilem se prae-buit, eadem in infirmitatibus patiens, devotione quoque erga Beatam Mariam Virginem et angelos et Sanctos florens. Anno circiter 1521 ipsa opus De cordis puritate conscripsit, quod profecto, dum sublime perfectionis iter effingit, praestantis ab illa actae vitae imaginem exprimit.

Inde a iuventute Beata dissolvi cupiit dummodo fieret cum Christo spon-so, qui eam quidem ad nuptias aeternas vocavit die 31 mensis Maii anno 1524, tempore vero pestilentiae, eaque sexagesimum sextum annum agente.

Fama sanctitatis, qua Soror Baptista de Varano claruit in vita, nec eius quidem post mortem obsolevit, sicuti per plurimas eius exuviarum recogni-tiones et imagines cum nimbis depictas, per ipsum denique Beatae titulum, quo ea invocata est per saecula, cultumque ab immemorabili tempore eidem praestitum, arguitur. Nam Gregorius XVI die 7 mensis Aprilis anno 1843 Beatam inde ab antiquissimis temporibus cultu publico fruitam esse agnovit; postea vero Leo XIII die 8 mensis Aprilis anno 1891 Processum in Curia Archidioecesis Camerinensis auctoritate Apostolica instructum confirmavit, qui porro die 4 mensis Februarii anno 1893 scripta Beatae approbavit. Vice-simo denique vertente saeculo, in Italia aliisque nationibus studium vitae operumque Beatae pariter ac eius devotio increbuit.

Positione super virtutibus a Consultoribus Historicis huius Congregationis de Causis Sanctorum die 22 mensis Octobris anno 2003 expensa, postea dis-ceptatum est secundum normas utrum Beata virtutes in gradu heroico exer-cuerit. Die autem 14 mensis Decembris anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 1 mensis Martii huius anni 2005, Ponente Causae Exc.mo D.no Francisco Croci, Episcopo tit. Potentino in Piceno, agnoverunt Beatam Baptistam Varano théologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroico in gradu excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Tempe-rantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Beatae Baptistae Varano (seu Camillae Baptistae de Varano), Monialis professae Ordinis Sanctae Clarae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri statuit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. B. S.

EB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CRACOVIENSIS

Canonizationis Beati Simonis De Lipnica Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum (ea. 1439-1482)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Omnes fratres, ubicumque sunt, recordentur, quod dederunt se et reliquerunt corpora sua Domino Iesu Christo» [*S. Franciscus Assisiensis, Regula non Buttata*, caput XVI, 10].

Beatus Simon de Lipnica fideliter annuit huic adhortationi Seraphici Patris Sancti Francisci, in cuius Ordine consecratam vitam amplexus est. Etenim semet ipsum ab negavit, terrenas relinquens opes ut de Domino prorsus viveret (cf. **IOANNES PAULUS II**, Adhortatio Apostolica post-synodalis *Vita consecrata*, n. 35) atque fideliter ac ferventer ita Ei inserviit ut evangelicae perfectionis fastigia attingeret.

Hic Christi testis Lipnicae ortus est in Polonia australi ad annum **1439**.

Studiis incubuit apud Academiam Cracoviensem Artibus colendis, ubi baccalaureatus titulo decoratus est. Deinde Ordinem Fratrum Minorum ingressus est, et, expleto anno tirocinii quod fecit sub moderamine Patris Christophori a Baretio, religiosam emisit professionem. Sacro sacerdotali ordine circiter anno **1460** est insignitus.

Moderator exstitit religiosae domus Tarnoviensis, ac postea contionator nominatus est apud Cathedrale templum Cracoviense et in conventu vici *Stradoni*. Hoc munus tali implevit studio ut annalium scriptores illius temporis «ferventissimum praedicatorem» appellaverit. Delegatus propriae Provinciae partes habuit Capituli Generalis quod Ticini celebratum est; dein-

de Romam inuisit ac postea peregrinus iter fecit in Terram Sanctam, amore ductus Passionis Christi et Sanctum Franciscum imitari intendens ceterosque fratres qui in loca sancta se contulerant ad Evangelium nuntiandum. Innúmera itineris incommoda fortitudine pertulit. Franciscalem cotidie servans Regulam, munia obiens sibi credita et pauperibus sub veniens sanctitatem affectavit. Omnibus viribus Dominum dilexit; divinam adimplendam voluntatem usque curavit et suo sacerdotali ministerio complures animas ad rectam viam perduxit. Exemplum eius sanctae vitae, christianis, sacerdotalibus religiosisque virtutibus ornatae contulit ad apostolatam efficacius explicandum. Fidei, spei et caritatis exemplar exstitit. Spiritualem vitam nutritivitate oratione, Eucharistico cultu, devotione ad nomina Iesu Virginisque Immaculatae, lectione meditationeque tam Verbi Dei quam scriptionum Sanctorum praesertim Sancti Bonaventurae. Cum arduis in adiunctis versabatur, in Providentia fiduciam servare consueverat. Omnibus se adeuntibus ad auxilium quaerendum benevolentiam ostendit.

Religiosam domum sapientia et aequitate moderatus est. Per Christi vias fratres duxit, quos, cum necesse fuit, benignitate admonuit eosque prudenti iuvit consilio. In cibis sumendis parcum se praebuit et per voluntarium poenitentiae exercitium sensus cohibuit. Pauperculum Assisiensem vestigiis sequens, oboedientia, paupertate et castitate eminuit. Officia quoque infima et vicia diligenter exercuit.

Anno 1482, quo Cracovia pestilentia vexabatur, Simon urbem non reliquit, immo una cum aliis fratribus, auxilium tulit infirmis, contiones habuit, pro eorum salute oravit iisque, contagionem oppetens, paterna subvenit sollicitudine. Ipse quoque pestilentia correptus est, quamobrem valetudo eius celeriter corruit. Patienti et aequo animo adversam valetudinem passus est, quin mortem metueret; et dum Crucifixi imaginem intuebatur terrestrem existentiam piissime explevit die 18 mensis Iulii anno 1482. Prout optaverat, corpus eius conditum est sub pavimento ecclesiae ut ab omnibus proculcetur.

Ratione habita de sanctitatis miraculorum que fama, qua Beatus post mortem gavisus est, perpenso quoque cultu ab immemorabili illi praestito, die 24 mensis Februarii anno 1685 Summus Pontifex Beatus Innocentius XI cultum recognovit, beatorum honores ei decernens. Politicae Poloniae vicissitudines impediverunt ne iter ad canonizationem praestituto tempore concluderetur. Tandem, anno 2000 Archiepiscopus Cracoviensis inire potuit Inquisitionem dioecesanam de eius vita et virtutibus. Iuridicam processus auctoritatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum, decretum pervulgans

die 25 mensis Octobris anno 2002. Apparata *Positione*, die 2 mensis Martii anno 2004 habita est Consultorum Historicorum Sessio. Deinde, ut de more, disceptatio facta est de virtutibus heroico gradu a Beato exercitis. Die 12 sequentis mensis Octobris actus est, favente sententia, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 11 mensis Ianuarii anno 2005 Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati, audita relatione Ponentis Causae, Em.mi Iuliani Cardinalis Herranz, edixerunt Simonem de Lipnica heroum in modum théologales, cardinales eisque adnexas virtutes excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto **XVI** per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Beati Simonis de Lipnica, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri statuit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. & S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

SPIRENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Pauli Iosephi Nardini Sacerdotis dioecisani et parochi fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium a Sacra Familia (1821-1862)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Tuam mihi, quaeso, gratiam, Sanctum Spiritum Tuum largire, quo tantum vere ipse tibi meae origini, meo proposito ac fini, meae denique perfectioni coalescam».

Haec quidem, quae Paulus Iosephus Nardini sacerdos in memoriali libello adnotavit, ipsius voluntatem pro Christo tantum vivendi exprimunt. Ipse enim Dominum omnibus viribus dilexit in eiusque maiorem gloriam inque salutem animarum operam iugiter navavit. Pastor eximius omnem vim profudit ad suos paroecianos in animi rerumque egestate iacentes sublevandos, pro quibus quidem novam familiam religiosam fundavit.

Hic igitur testis Redemptoris genuinus natus est die 25 mensis Iulii anno 1821 in loco v. d. *Germersheim* in Germania e Margarita Lichtenberger patreque incognito. Circa bimatum ipse ab avi sorore quadam adoptatus est et ex illa cognomen Nardini sumpsit. Studia primum in patria, mox autem in gymnasio Spirensi persecutus est; cum vero sacerdotii amplexandi consilium in animo volvisset, studiis philosophicis in seminario Spirensi, theologicis denique in Universitate Monacensi incubuit, sacrum presbyteratus ordinem accipiens die 22 mensis Augusti anno 1846.

Subsequentibus mensibus vice-parochus Franco vallensis, deinde vero episcopali ephebeo Spirensi praefectus nominatus est. Mense autem Aprili anni 1850 paroeciam v. d. *Geinsheim* administrandam accepit, quam ipse quidem ad pristinum vigorem spiritalem revocavit, christifidelium animum et reverentiam sibi concilians. Subsequenti anno munus illi parochi in loco v. d. *Pirmasens* in Palatinatu delatum est. Cum in difficillimo hominum rerumque contextu actum missus esset, impensam pro spiritali temporali que bono portionis Populi Dei sibi concreditaе operam navavit. Omnes enim occasiones tenuit fidei in populo diffundendae fideliumque fulgenti facundia e torpore excitandorum. Illis igitur ut Augustissimo Sacrificio interessent inculcavit; Sanctorum quoque cultum festorumque celebrationem instauravit. Multas horas in sacro paenitentiae tribunali degebat, aegrotantes invisebat christianaque potissimum puerorum educationi studebat. Zelo et caritate pastoralis refertus, idem imperitos educare, devios reducere, bonos confirmare conabatur. Qui autem in infirmorum, pauperum puerorumque subsidio adiuvaretur, nonnullas accivit Filias Sanctissimi Redemptoris a «Niederbronn». Novam deinde familiam religiosam fundavit, quae hodie «Congregatio Sororum Franciscalium a Sacra Familia» fertur. Quod novum Institutum, pupillis educandis pauperumque infirmorumque curae habendae incumbens, in multiplices dioeceses extra Palatinatus fines cito manavit.

Servus quidem Dei, dum populo Sororibusque sanctificandis prospexit, suam ipse vitam spiritalem diligentissime excolebat, qui nempe Christo fideliter imitando singulisque virtutibus exercendis in via sanctitatis procedere

conaretur. Dei itaque voluntati, quem ipse ante omnia diligebat, adhaesit. Fidem, qua maxime ditatus est, per opera demonstravit. Suam cum Deo unionem suumque pastorale ministerium aluit per divinam liturgiam assiduumque orationem, quam quidem ipse praecipuum christifidelium telum existimabat, perque ipsa negotia apostolatus. Singularem Eucharistiae devotionem adhibuit, qui nempe plurimas horas coram SS.mo Sacramento traduceret adorans. Fidei catholicae integritatem et Ecclesiae decus constantissime ipse propugnavit idemque vel plerisque protestantium instituta profitentibus. Cultus etiam decori templisque ornandis consuluit. Talis vir ne asperri- mis quidem temporibus deficiebat, quippe qui in Deum et divinam Providentiam speraret.

Suum prudenter ministerium exercuit consilii que plenus fuit moderator in spiritualibus. Iustus in proximum, patiens in adversis, in omnibus temperans exstitit. Humana ipse contemnentem se praebuit isque vel difficillimis adiunctis oboedientem egregiaque castitate florentem. Nec ullam suis ipse operibus probationem expetivit, quippe qui omnia laudi duceret Deo.

Die autem 8 mensis Ianuarii anno 1862 gravi genere pulmonum inflammationis, quam ipse aegrotis assidendo implicatus esse videbatur, temptatus est domumque Patris subsequenti die 27 mensis Ianuarii petivit.

Diffusae famae sanctitatis intuitu, Exc.mus Episcopus Spirensis anno 1997 Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per Inquisitionem dioecesanam, cuius vis iuridica approbata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 15 mensis Octobris anno 1999 latum. *Positione* confecta, die 12 mensis Martii anno 2002 habita est sessio Consultorum Historicorum; post autem disceptatum est secundum normas utrum Servus Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 9 mensis Novembris anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 8 mensis Februarii huius anni 2005 congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Petri Georgii Nesti, Archiepiscopi emeriti Camerinensis-Sancti Severini in Piceno, Causae Ponen- tis, agnoverunt Servum Dei Paulum Iosephum Nardini presbyterum virtutes théologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Tempe-*

rantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Pauli Iosephi Nardini, Sacerdotis Dioecesanii et Parochi, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscanum a Sacra Familia, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri statuit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. § S.

EB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Iosephae Segovia Morón Primae Moderatricis Generalis Institutionis Teresianae (1891-1957)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Spiritus Institutionis Teresianae in te caro factus est ».

Haec Sancti Petri Poveda Castroverde sollemnis declaratio vitam Mariae Iosephae Segovia Morón breviter complectitur, quae benigna cum magnanimitate ac prudentia, una cum ipso Institutionis Teresianae fundatore, incremento confirmationique sedulo istius interfuit Operis, quod, tamquam fidelium internationalis consociatio iuris pontificii, per humanam disciplinam et scientiarum cultum Evangelium praedicare sibi statuit.

Serva Dei Giennii in Hispania die 10 mensis Octobris anno 1891 nata est. Puella scholam Religiosarum Servarum Mariae frequentavit ac postea Granatam se contulit, ut annis 1905-1907 in Magisterio Inferiore, dein annis 1907-1909 in Superiore studia perageret. Optimis ornata titulis, qui fructus erant magnae eius ingenii facultatis, expeditum obtinuit aditum ad Matritensem Altiorum Studiorum Magisterii Scholam nuper institutam.

Cum annis 1911-1913 cursus duos academicos perficeret, Giennium rediit, ut annum Tirocinii et thesim in Paedagogia aggrederetur. Illo tempore, Sacerdos Petrus Poveda Castroverde regimen Academiae Sanctae Teresiae a

Iesu pro puellis in Magisterio instituendis ei commisit: duobus illis annis, quibus huic Academiae praefuit, spiritu incipientis Operae Teresianae ipsa perfusa est.

Titulum consecuta est Magistrae Normalis in Schola Altiorum Studiorum Magisterii. Anno 1915 in Giennensi Magisterii Schola Magistra Paedagogiae nominata est et anno 1916 Inspectrix Scholae Primariae eiusdem urbis et provinciae, quod officium cum prudentia et deditioe explevit, omni studio animum intendens, ut populi Dei litterarum ignorantiam depelleret et gradus eruditionis institutionisque in Scholis provinciae eius Inspectionis perficeret.

Formam peculiarem praescripsit, qua fides cum scientia et oratio cum studio iungerentur, atque incubuit ut Opera eius ad instituendas mulieres studio deditas conferret, in Academiis auram firmae pietatis et gravis informationis intellectualis offerens ac per magistrarum christianarum institutionem profectum ipsum humanum religiosum que puellarum, quae scholas publicas frequentabant, promovens. Sodalibus suae Institutionis modum vivendi priscorum christianorum et doctrinam spiritualem Sanctae Teresiae a Iesu proposuit. Variis constituta coetibus et plurimis in culturae et societatis circulis adstans, Institutio Teresiana Giennii anno 1917 ab auctoritate ecclesiastica et civili approbata est.

Huic Operae Maria Iosepha sedula cum suis Iesu Christo oblatione se dedit. Ex ipsius fundatoris optatu anno 1917 primo Directorio interfuit et anno 1919 prima Moderatrix Generalis designata est, cuius muneris causa, anno 1923, Romam se contulit, ut a Summo Pontifice Pio XI approbationem impetraret Piae Unionis, cui nomen «Institución Teresiana», quae per Breve Apostolicum *Inter frugiferas* diei 11 mensis Ianuarii anno 1924 concessa est.

Intellegentia prudentiaque gubernavit, libros et plurima scripta in Commentario Institutionis Teresianae («Boletín de la Institución Teresiana») edidit, Conventibus Congressibusque interfuit, varia incepta Operae in Hispania comminus fovit atque in Chilia et Italia suscitavit. Anno 1934 Romam rursus adiit, ubi grato et commoto animo «Crucem pro Ecclesia et Pontifice» accepit.

Post martyrium Sancti Petri Poveda Castroverde, quod evenit die 28 mensis Iulii anno 1936, Maria Iosepha novum inceptit iter, in quo regimen Institutionis Teresianae absente fundatore suscepit, operas in aspera ac longa vastatione belli civilis relictas reficiens. Mira animi fortitudine illos difficiles

annos vixit et tamquam gravissimam curam Institutionem personarum sub aspectu spirituali, intellectuali et professionali adhibuit, quod, ipsius sententia, unum modum putavit Operae solidandae atque Ecclesiae mundoque valentis servitii tradendi. Ipsa Institutione fovente, anno 1947 Sancta Sedes eam Moderatricem permanentem Operae nominavit.

Licet inter aerumnas, quae etiam finem secundi totius mundi belli subsecutae sunt, tamen spiritu verae universalitatis praesentiam Institutionis Teresianae variis in locis et culturis excitavit, uti in Argentina, Uruquaria, Guinea Aequinoctiali, Bolivia, Peruvia, Lusitania, Anglia, Philippinis Insulis, Mexico, Brasilia, Terra Sancta, Venetiola, Gallia, Republica Dominicana, Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Germania. Magnae suae voluntati Sinas accedendi obsequi nequit; fundationem vero in Iaponia omnino iam statuerat. Annis 1949-1950 quinque nationes Americae Australis visitavit et frequenter Europam peragravit, indefesse personas concitans operasque fovens. Peculiarem sensum habuerunt pro ea itinera ad Urbem et peregrinatio in Terram Sanctam anno 1955, Dominum quaerens.

Progressus scientiarum conspiciens, anno 1954 ephemeridem «Eidos» fundavit, fasciculum scilicet Institutionis Teresianae pro cultura hodierni temporis investiganda et communicanda. Cum se proximam omnibus qui maxime indigebant sentiret, praesentiam sodalium Institutionis Teresianae in scholis stimulavit, quae in locis pauperibus essent rarum et suburbiorum; curavit ut omnes, ullo absque discrimine, ad operas Institutionis accederent atque ut puellae, praesertim illae quae Universitates Studiorum frequentabat, consuetudinem cum pauperibus haberent. Semper ad vitam spiritus attendit et omnes ad altiolem et veram sanctitatem concitavit.

Serva Dei mulier ampla eminuit cultura, ob indolem tamen et conversationem simplici ac naturali consuetudine signata est, quibus accedebant urbanitas et facultas cum personis cuiuslibet coetus socialis colloquendi.

Arta in unione cum Beatissima Virgine Maria hoc unum cupiebat, placere nempe Domino. Magna fuit eius fides precandique studio eminuit, spem strenue coluit et Deum atque fratres tenere dilexit. Aliis hominibus assumptisque officiis ac obligationibus suis fidelem semper se praebeuit. Alto et sincero Ecclesiae sensu praedita, laboribus sibi perficiendis patientia et suae utilitatis derelictione incubuit.

Consuetus eius defectus salutis, qui in ea inediam diuturnam afferebat, sectionem quandam chirurgicam necessariam reddidit, quae Matri ti die 25

mensis Martii anno 1957 facta est. Die 29 eiusdem mensis Sacra Eucharistia, quam tantis in adversis diu exoptaverat, recreata in Domino quievit.

Cum Serva Dei magna sanctitatis fama in vita et post mortem circumdaretur, Archiepiscopus Matritensis annis 1966-1973 Processum Ordinarium Informativum celebravit, pluribus comitantibus Processibus Rogatorialibus. Harum Inquisitionum dioecesanarum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 27 mensis Ianuarii anno 1995 probatae sunt. *Positione* confecta, disceptatum est iuxta consuetum iter an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 22 mensis Iunii anno 2004, prospero cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 18 mensis Ianuarii anno 2005, audita relatione Exc.mi Domini Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi tit. Cilibiensis, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei Iosepham Segovia Morón virtutes théologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iosephae Segovia Morón, Primae Moderatricis Generalis Institutionis Teresianaе, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2005.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. E8 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

PROVISIO ECCLESiarUM

Latis decretis a Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 3 Ianuarii 2006. — Cathedrali Ecclesiae Stanfordensi Ucrainorum Exc.mum P.D. Paulum Patricium Chomnycky, O.S.B.M., hactenus Exarchum Apostolicum pro christifidelibus Ucrainis ritus Byzantini in Britannia versantibus.

— Titulari episcopali Ecclesiae Limisensi R.D. Ioannem Bura, hactenus paroeciae Sancti Nicolai in urbe Vilmingtoniensi curionem, quem deputavit Episcopum Auxiliarem Archieparchialis Ecclesiae Philadelphiensis Ucrainorum.

die 9 Ianuarii. — Archieparchiali Metropolitanae Ecclesiae Vinnipegensi Ucrainorum Exc.mum P.D. Laurentium Huculak, O.S.B.M., hactenus Episcopum Ecclesiae Edmontonensis Ucrainorum.

CONGREGATIO PRO EPISCOPIIS

PROVISIO ECCLESiarUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 7 Ianuarii 2006. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Mariae Angelorum, Exc.mum P.D. Philippum Bacarreza Rodríguez, hactenus Episcopum titularem Nepesinum et Auxiliarem archidioecesis Sanctissimae Conceptionis.

die 10 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Tariensi R.D. Franciscum Xaverium Del Río Sendino, e clero dioecesis Palentinae, hactenus Rectorem Basilicae Cathedralis et Directorem pro pastorali cura Sacerdotum in archidioecesi Sanctae Crucis de Sierra.

die 14 Ianuarii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Herdonitanae, R.D. Robertum Calara Mallari, e clero archidioecesis Sancti Ferdinandi, ibique hactenus curionem paroeciae Nostri Domini Ascensionis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Coadiutorem Cathedralis Ecclesiae Alaminensis, R.D. Marium Mendoza Peralta, e clero dioecesis Urdanetensis, ibique hactenus Vicarium Generalem et paroeciae Sancti Nini curionem.

die 17 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Iosephi a Guaviare, R.D. Vilelmum Orozco Montoya, e clero dioecesis Sonsonensis-Rivi Nigri, hactenus Officio Secretariae Conferentiae Episcoporum Columbiae Praepositum.

— Cathedrali Ecclesiae Bancoënsi, noviter erectae, R.D. Iacobum Henricum Duque Correa, M.X.Y., hactenus in archidioecesi Medellensi parochum.

die 18 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Uchitanae R.D. Remidium Iosephum Bohn, e clero archidioecesis Portalegrensis in Brasilia, hactenus Vicarium Episcopalem atque parochum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Furnitanae maiori R.D. Alexandrum Carmelum Ruffmoni, C.S., hactenus in Brasilia Congregationis Missionariorum a S. Carolo Superiorem Provincialem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Portalegrensis in Brasilia.

die 24 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sancti Leonis R.D. Victorem Emmanuelem Ochoa Cadavid, e clero archidioecesis Medellensis, hactenus Pontificiae Commissionis pro America Latina Officiale, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Medellensis.

die 28 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Tehuacaniensi, Exc.mum P.D. Rodericum Aguilar Martínez, hactenus Episcopum Matehualensem.

— Suburbicariae Ecclesiae Veliternae-Signinae, Exc.mum P.D. Vincentium Apicella, hactenus Episcopum Auxiliarem Romae et titularem Ierafitanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Nepesinae R.D. Benedictum Tuzia, e clero Romano, hactenus ibidem paroeciae Sancti Roberti Bellarmino curionem.

die 1 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tipasensi in Numidia R.D. Iosephum Aloisium Ferreira Salles, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris, hactenus in archidioecesi Fortalexiensi Magistrum Novitiorum eiusdem Congregationis, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Fortalexiensis.

die 2 Februarii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Vazaritanae Diddensi, R.D. Iosephum Colin Mendoza Bagaforo, e clero archidioecesis Cotabatensis, ibique hactenus Vicarium Generalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 3 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Zaratensi-Campanensi Exc.mum P.D. Ansgarium Dominicum Sarlinga, hactenus Episcopum titularem Uzalensem et Auxiliarem archidioecesis Mercedensis-Luianensis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Benedictus Divina Providentia Pp. XVI, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 10 Octobris 2005. — Metropolitanae Ecclesiae Bloemfonteinensi Exc.mum P.D. Jabulani Nxumalo, O.M.I., hactenus Episcopum titularem Ficensem et Auxiliarem archidioecesis Durbanianae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Babrensi R.D. Barry Wood, O.M.I., olim Vicarium Generalem archidioecesis Durbanianae, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 3 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Kagoshimaënsi R.D. Paulum Kenjiro Koriyama, hactenus parochum in oppido vulgo Shibusu.

die 8 Novembris. — Episcopum coadiutorem Nhatrangensem R.D. Iosephum Vo Due Minh, hactenus parochum templi cathedralis et Vicarium Generalem dioecesis Dalatensis.

die 11 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Lokoianae R.D. Martinum Dada Abejide Olorunmolu, hactenus Professorem Sacrae Scripturae apud Institutum Catholicum Africae Occidentalis in Portu Harcurtensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Voncariensi R.D. Iacobum Mariam García De la Rasilla Domínguez, S.I., hactenus Superiorem Domus «Sancti Petri» in Lima, quem constituit Vicarium Apostolicum Giennesem in Peruvia.

die 22 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Barianensi, noviter constitutae in Vietnamia, Exc.mum R.P. Thomam Nguyen Van Tram, hactenus Episcopum titularem Hiltensem et Auxiliarem dioecesis Xuanlocensis.

die 26 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Farafanganensi R.D. Beniaminum Marcum Ramarason, C.M., hactenus Superiorem provincialem Congregationis Missionis in Madagascaria.

die 29 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Ammaedarensi R.D. Petrum Nguyen Van De, S.D.B., hactenus Professorem Seminarii Hanoiensis, quem constituit Auxiliarem dioecesis Buichuensis.

die 7 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Antananarivensi, Exc.mum R.P. Odonem Mariam Arsene Razanakolona, hactenus Episcopum Ambaniaensem.

— Cathedrali Ecclesiae Itanagarensi, noviter constitutae in India, Exc.mum R.P. Ioannem Thomam Kattrukudiyil, hactenus Episcopum Diphuensem.

— Cathedrali Ecclesiae Miaoensi, noviter constitutae in India, R.D. Georgium Palliparambill, S.D.B, hactenus Rectorem Scholae Ioannis Bosco in dioecesi Dibrugarhensi.

die 10 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Sendaiensi R.D. Martinum Tet-suo Hiraga, hactenus Administratorem dioecesanum, olim Vicarium Generalem eiusdem dioecesis.

die 12 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Buxarensi, noviter constitutae in India, R.D. Vilelimum D'Souza, S.I., olim Superiorem Provincialem Societatis Iesu et parochum in oppido vulgo Itarhi.

die 14 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Uromiensi, noviter constitutae in Nigeria, R.D. Augustinum Obiora Akubeze, hactenus Vicarium Generalem dioecesis Isseleukuanae.

— Cathedrali Ecclesiae Maumerensi, noviter constitutae in Indonesia, R.D. Vincentium Sensi, hactenus Directorem Instituti Pastoralis dioecesis Endeheanae.

die 15 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Pekhonensi, noviter constitutae in Birmania, Exc.mum R.P. Petrum Ria, hactenus Episcopum titularem Castellanum in Numidia et Auxiliarem dioecesis Taunggyiensis.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 1 Octobris 2005. — Exc.mum R.P. Richardum Domba Mady, Episcopum Dorumaënsem-Dunguensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Bondoënsis.

die 22 Octobris. — Exc.mum R.P. Prakash Mallayarapu, Episcopum Viiayavadanum, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Nellorens.

die 21 Novembris. — Exc.mum R.P. Simonem Ntamwana, Archiepiscopum Kitegaënsem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Bururiensis.

die 7 Decembris. — Exc.mum R.P. Armandum Caietanum Razafmdratandra, Archiepiscopum emeritum Antananarivensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem archidioecesis usquedum novus Episcopus possessionem capiat.

— Exc .mum R.P. Odon Arsène Razankolona, Archiepiscopum Antananarivensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Ambaniaënsis.

ACTA TRIBUNALIUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

DECRETUM

Speciales conceduntur Indulgentiae christifidelibus occasione «XIV Mundialis Infirmorum Diei».

Summus Pontifex Benedictus XVI, ardenti desiderio motus ut ex hominum infirmitatibus doloribusque patienter toleratis et per Virginem Mariam, una cum doloribus eius Filii Redemptoris, Aeterno Patri humiliter oblatis, uberes spiritalis fructus proveniant, et prae primis spe suffultus ut opera et incepta christianae pietatis et socialis sollicitudinis promoveantur erga infirmos, praesertim illos qui, aliqua mentis debilitate laborantes, facile a societate propriaque familia negleguntur, in Audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori die II Ianuarii vertentis anni concessa, speciales Indulgentias, prout sequitur, christifidelibus dilargiendas statuit occasione «XIV Mundialis Infirmorum Diei», proxima die xi Februarii, in liturgica scilicet memoria B. Mariae Virginis Lapurdensis, quae culmen attinget eucharistica celebratione in Cathedrali ecclesia S. Francisci Xaverii urbis Adelaidensis in Australia.

A. *Indulgentiam plenariam*, sub suetis condicionibus (sacramentalis nempe Confessionis, eucharisticae Communionis et orationis ad mentem eiusdem Summi Pontificis), animo quidem elongato a quocumque peccato, christifidelibus die xi Februarii huius anni obtinendam, si cui sacro ritui, ad «Mundialis Infirmorum Diei» fines a Deo impetrandos celebrato, vel in Cathedrali ecclesia Adelaidensi vel in quocumque alio loco, ab ecclesiastica auctoritate determinato, devote interfuerint. Christifideles vero qui, vel in publicis nosocomiis vel in quavis privata domo, ut «boni Samaritani» aegrotantium misericordiae sollicitudine curam agunt, illorum praesertim qui ob aliquem mentis defectum maiore patientia, diligentia et animi attentione indigent, et huiusmodi muneris explendi causa supradicto sacro ritui interesse nequeunt, eiusdem tamen plenariae Indulgentiae donum consequentur, si illud

caritatis servitium, veluti ipsi Christo Domino persolutum (cf. *Mt* 25, 40), generose saltem per aliquot horas dicta die expleverint, eadem animi dispositione habita et proposito concepto, cum primum poterunt, perficiendi condiciones ad Indulgentiam plenariam obtinendam requisitas. Christifideles denique qui infirmitate, senectute vel alia huiusmodi causa, impediuntur quominus ritui ut supra celebrando interesse possint, Indulgentiam plenariam consequentur, si, elongato animo a quocumque peccato et concepto proposito suetas condiciones, cum primum eis possibile erit, adimplendi, illa die sese in spiritu et desiderio una cum Summo Pontifice dictae celebrationi univerint, pro omnibus infirmis pie oraverint et sui corporis infirmitates animique aegritudines Deo per Deiparam Virginem Mariam, «Salutem infirmorum», obtulerint.

B. *Indulgentiam partialem* omnibus christifidelibus, a die ix usque ad diem xi proximi mensis Februarii corde saltem contrito assequendam, quoties ad supradictos fines in adiutorium infirmorum implorandos devotas Misericordie Deo preces fuderint. Praesenti hac vice valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarie Apostolicae, die xviii Ianuarii MMVi, qua initium capit octiduum supplicationum pro Christianorum unitate.

IACOBUS FRANCISCUS Card. **STAFFORD**

Paenitentiaris Maior

Ioannes Franciscus Girotti, O.F.M. Conv.

Regens

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, **9 gennaio 2006**, l'Ecc.mo Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede;

Lunedì, **16 gennaio 2006**, S.E. il Signor **FILIP VUJANOVIC**, Presidente della Repubblica di Montenegro;

Giovedì, **19 gennaio 2006**, il Signor **GÜNTHER H. OETTINGER**, Ministro Presidente del Land Baden-Württemberg;

Giovedì, **26 gennaio 2006**, S.E. il Signor **LECH KACZYNSKI**, Presidente della Repubblica di Polonia;

Sabato, **28 gennaio 2006**, S.E. il Signor **KAROLOS PAPOULIAS**, Presidente di Grecia;

Lunedì, **30 gennaio 2006**, il Signor **DIETER ALTHAUS**, Ministro Presidente dello Stato Libero di Thüringen.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

- | | | | |
|----|---------|------|---|
| 21 | gennaio | 2006 | S.E.R. Mons. Antonio Franco, Arcivescovo titolare di Gallese, finora Nunzio Apostolico nelle Filippine, <i>Nunzio Apostolico in Israele e Cipro e Delegato Apostolico in Gerusalemme e Palestina.</i> |
| 24 | » | » | Il Rev.do Mons. Nicola Girasoli, finora Consigliere della Nunziatura Apostolica in Argentina, <i>Nunzio Apostolico in Zambia e in Malawi elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Egnazia Appula, con dignità di Arcivescovo.</i> |

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato::

- 9 gennaio 2006 II Rev.mo P. Wojciech Giertych, O.P., Teologo della Casa Pontificia, *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*
- 16 » » I Dottori Francesco Silvano, Walter M. Bonino e Antonio Chiminello, *Consultori della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « ad quinquennium ».*
- » » » S.E.R. Mons. Marco Dino Brogi, Arcivescovo titolare di Città Ducale, Nunzio Apostolico, *Consultore della Segreteria di Stato - Sezione per i Rapporti con gli Stati « ad quinquennium ».*
- 18 » » S.E.R. Mons. Salvatore Fisichella, Vescovo tit. di Voghenza ed Ausiliare di Roma, *Rettore Magnifico della Pontificia Università Lateranense, a norma delVArt. 10 degli Statuti della medesima università, « in aliud quadriennium ».*
- » » » Il Rev.do Mons. Livio Melina, Ordinario di Teologia morale fondamentale e Vice-Preside della Sezione Centrale del Pontificio Istituto « Giovanni Paolo II » per Studi su Matrimonio e Famiglia, *Preside dello stesso Istituto, a norma delVArt. 8 degli Statuti del medesimo Istituto, « in aliud quadriennium ».*
- 19 » » Il Rev.do Mons. Udo Breitbach, finora Aiutante di Studio nella Congregazione per i Vescovi, *Capo Ufficio nello stesso Dicastero.*
- 23 » » L'Ecc.mo Mons. Claudio Maria Celli, Arcivescovo titolare di Civitanova *Segretario dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica «in aliud quinquennium ».*
- » » » Il Rev.do Mons. Jean Laffitte, finora Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia, *Vice Presidente della Pontificia Accademia per la Vita « ad quinquennium ».*
- S.E.R. Mons. Odon Marie Arsène Razanakolona, Arcivescovo di Antananarivo (Madagascar), *Membro del Consiglio Speciale per l'Africa della Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi « ad quinquennium ».*
- 31 » » Il Rev.do don Alessandro Perego, del clero della Diocesi di Roma, *Difensore del Vincolo presso il Tribunale della Rota Romana « ad quinquennium ».*
- Il Rev.do Mons. Juan Ignacio Arrieta Ochoa de Chinchetru, *Giudice del Tribunale Ecclesiastico dello Stato della Città del Vaticano « in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

- | | | | |
|----|----------|------|--|
| 11 | gennaio | 2006 | Mons. Marko Sopi Vescovo tit. di Celerina, Amministratore Apostolico di Prizren (<i>Serbia</i>). |
| 16 | » | » | Mons. Carlos Schmitt, O.F.M., Vescovo em. di Dourados (<i>Brasile</i>). |
| 19 | » | » | Card., Pio Taofinu'u, S.M., del titolo di S. Onofrio. |
| 29 | » | » | Mons. Giovanni Ceirano, Arcivescovo tit. di Tagase, Nunzio Apostolico (<i>Italia</i>). |
| 3 | febbraio | » | Mons. Ivan Chôma, Vescovo tit. di Patara (<i>Italia</i>). |

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE ENCYCLICAE

Episcopis, presbyteris et diaconis, viris et mulieribus consecratis omnibusque christifidelibus laicis *De christiano amore.*

PROOEMIUM

1. DEUS CARITAS EST, et, qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo manet» (*1 Io 4, 16*). Haec *Primae Epistolae Ioannis* verba singulari quidem perspicuitate veluti fidei christianae centrum aperiunt: christianam Dei imaginem atque etiam congruentem hominis imaginem eiusque itineris. Praeterea eodem hoc in versículo nobis concedit Ioannes compendiarium, ut ita dicamus, christianae vitae formulam: «Et nos cognovimus et credidimus caritati quam habet Deus in nobis».

Nos Dei caritati credidimus — sic praecipuam vitae suae electionem declarare potest christianus. Ad initium, cum quis christianus fit, nulla est ethica voluntas neque magna quaedam opinio, verumtamen congressio datur cum eventu quodam, cum Persona quae novum vitae finem imponit eodemque tempore certam progressionem. Suo in Evangelio iam notaverat Ioannes hunc eventum hisce verbis: «Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum... habeat vitam aeternam» (**3, 16**). Cum medio puncto amoris suscepit christiana fides id quod fidei Israel fuerat nucleus simulque eidem nucleo novam addidit altitudinem atque amplitudinem. Credens enim Israelita cotidie verbis precatur *Libri Deuteronomii*, ubi includi is novit suae vitae nucleum: «Audi, Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde

tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua» (6, 4-5). In unicum aliquod praescriptum coniunxit Iesus amoris Dei mandatum cum amoris proximi praecepto, quod quidem continetur in *Libro Levitico*: «Diliges proximum tuum sicut te ipsum » (19, 18; cfr *Me* 12, 29-31). Quoniam prior nos Deus dilexit (cfr *I Io* 4, 10), nunc non est iam tantum «praeceptum» amor, verum est responsio erga amoris donum, quo Deus nobis occurrit.

In orbe, ubi cum Dei nomine nonnumquam etiam vindicta quin immo officium odii et violentiae coniunguntur, hic nuntius magnum habet in praesentia pondus atque certam quandam significationem. Hac de causa in his Nostris primis Encyclicis Litteris de amore cupimus loqui quo Deus nos replet quique a nobis cum aliis communicari debet. Sic harum Encyclicarum Litterarum duae magnae demonstrantur partes, quae inter se arte nectuntur. Earum prima pars prae se magis indolem speculativam fert, quandoquidem in ea — Nostri Pontificatus initio — quaedam de Dei amore praecipua extollere volumus, quem ipse arcana gratuitaque ratione homini praebet, una cum intrinseco vinculo illius Amoris cum humani amoris natura. Altera pars certiore speciem, quoniam amoris in proximum mandati ecclesiale exercitium tractat. Argumentum peramplum exhibetur; attamen longior quaedam tractatio propositum excedit harum Litterarum Encyclicarum. Nostra est voluntas in quibusdam praecipuis elementis perstare, sic ut in mundo renovata quaedam operositatis vis excitetur uti amoris Dei humanum responsum.

PARS PRIMA

AMORIS UNITAS IN CREATIONE ET SALUTIS HISTORIA

Loquela quae

2. Dei amor nobis quae est de vita principalis atque interrogationes fert decretorias quid sit Deus quidque simus nos. Hac de re nos ante omnia vocabulorum impedit difficultas. Verbum enim «amoris» nostra aetate factum est unum ex maxime adhibitibus vocabulis et etiam pessime tractatis, cui videlicet interpretationes addimus prorsus inter se adversantes. Etiam si harum Litterarum Encyclicarum argumentum in ipsam intelligentiam atque usum amoris dirigitur apud Sacras Litteras et Ecclesiae Traditionem, non

possumus tamen simpliciter recedere a significatione quam idem verbum varias apud culturas et in hodierno sermone obtinet.

In primis meminimus Nos latissimae verborum provinciae quam occupat vox «amor»; de amore patriae agitur, sicut et de amore in proprium vitae munus, de amore inter amicos, de amore erga proprium opus, de amore inter parentes filiosque, inter fratres ac familiares, de amore in proximum deque amore in Deum. Hac profecto in significationum multitudine tamen excellit amor inter virum ac mulierem, ubi corpus animaque inseparabiliter concurrunt et ubi etiam promissio felicitatis hominibus recluditur quae recusari videtur non posse, perinde ac amoris per excellentiam imago perfecta, ad quam primo intuitu cetera universa amoris genera deflorescunt. Hinc oritur quaesitum: omnesne amoris hae formae tandem consociantur et amor ille, etiam ipsa in varietate propriarum demonstrationum, denique unicus et solus est, an contra eodem uno vocabulo utimur ad res prorsus diversas significandas?

« Eros » et « agape » - *diversitas et unitas*

3. Amori inter virum ac mulierem, qui non ex cogitatione nascitur neque ex sola voluntate verum certo quodam modo homini imponitur, Graecia antiqua nomen tribuit *eros*. Iam in antecessum fatemur Vetus Testamentum Graecum bis tantum, Novum contra Testamentum numquam vocabulum *eros* adhibere: tribus enim ex vocibus Graecis ad amorem spectantibus — *eros*, *philia* (amicitiae amor) et *agape* — Novi Testamenti scripta concedunt quoddam fere privilegium extremo nomini, quod in Graeca lingua potius ad marginem remittebatur. Quod amicitiae ad amorem (*philia*) attinet, is repetitur et in *Ioannis Evangelio* altiorem accipit significationem, quatenus necessitudinem inter Iesum eiusque discipulos declarat. Haec exclusio verbi *eros* atque simul novus amoris prospectus qui per vocem exprimitur *agape* eo usque quasi exclusam sine dubitatione in christianae vitae novitate aliquid necessarium omnino ad amorem comprehendendum designat. In censura christiani nominis quae ab illuminismi tempore profecta processit maiore usque vehementia, haec novitas modo plane negativo est aestimata. Ad mentem Friderici Nietzsche christiana religio dicitur venenum bibendum dedisse ipsi *eros*, qui licet non inde moreretur, impulsus accepit ut in vitium corrumperetur.¹ Ita philosophus Germani cus communem late diffusam sententiam testabatur: nonne suis mandatis atque vetitis Ecclesia rem vitae pul-

¹ Cfr *Jenseits von Gut und Böse*, IV, 168.

cherrimam fortasse reddit nobis am aram? Nonne fortasse nuntios prohibitionis attollit Ecclesia ibi omnino ubi laetitia nobis a Creatore praeparata felicitatem nobis praebet quae praegustare nos etiam sinit aliquid de Divina natura?

4. Num ita revera sese res habent? Dele vit revera christiana religio amorem — *erosi* Respiciamus mundum ante aetatem christianam. Certissime congruentes cum aliis culturis, viderunt Graeci in illo *eros* ante omnia aliquam ebrietatem, nempe rationis ipsius oppressionem per «divinum furorem» qui hominem ad ipsius vitae limitem abripit et, quod sic potestate quadam divina percutitur, quam maximam beatitudinem facit ut ipse experiatur. Reliquae omnes inter caelum terramque potestates sic videntur minoris cuiusdam momenti: «Omnia vincit Amor», ait in *Bucolicis* Vergilius atque addit: «et nos cedamus Amori».² In religionibus habitus hic in fertilitatis cultus inductus est, ad quos etiam «sacra» pertinebat prostitutio quae florebat multis in templis. Sic celebrabatur *eros* veluti divina quaedam vis, tamquam communio cum divina natura.

Huic religionis formae, quae uti validissima invitatio dissidet a fide in unicum Deum, Vetus Testamentum firmissime est ad versatum, quam tamquam religionis perversitatem oppugnavit. Hinc vero minime *eros* repudiavit in se, sed quasi bellum indixit eius eversioni deletoriae, quoniam falsa divinizatio *eros*, quae hic contingit, destituit eum dignitate, eripit ei humanitatem. Nam in templo meretrices, quae ebrietatem Divini concedere debent, non tractantur uti homines ac personae, sed adsunt tantummodo uti instrumenta ad «furorem divinum» excitandum: non sunt ipsae revera deae, verum humanae personae, quibus alii abutuntur. Hanc ob rem *eros* ebrius et immoderatus non est ascensio, «exstasis» adversus naturam Divinam, sed prolapsus hominisque dignitatis imminutio. Sic manifestum evadit *eros* indigere disciplina et purificatione ut homini concedat non alicuius momenti voluptatem, sed quandam culminis vitae praegustationem, illius nempe beatitudinis quam tota nostra natura appetit.

5. Duae quidem res manifesto oriuntur in hac celeri contemplatione ipsius imaginis *eros* in historia atque hoc praesenti tempore. Ante omnia inter amorem et Divinum existit quaedam quasi necessitudo: infinitatem enim aeternitatemque promittit amor — rem scilicet maiorem et aliam omnino atque cotidianam vitae nostrae condicionem. Eodem autem tempore perspectum est viam hunc ad finem in eo simpliciter non consistere quod

² X, 69.

quis se sinat instinctu vinci. Necessariae purificationes sunt et maturationes quae per abdicationis quoque tramitem progrediuntur. Hoc non est repudiatio ipsius *eros* neque eius «venenatio», sed sanatio propter veram illius magnitudinem.

Hoc pendet in primis ab ipsa hominis constitutione qui corpore constat atque anima. Homo revera sui ipsius proprius evadit, quotiens corpus et anima penitus coniunguntur; haec *eros* concertatio revera evincitur, cum haec efficitur coniunctio. Si vero solus spiritus homo esse studet cupitque carnem reicere veluti hereditatem ut ita dicamus tantum animalis propriam, tunc dignitatem suam tam spiritus quam corpus amittunt. At si altera ex parte ille spiritum repudiat iudicatque materiam, nempe corpus, tamquam unicam veritatem, aequabiliter suam perdit magnitudinem. Per iocum Epicureus Gassendi salutatione illa Cartesium appellavit: «O Anima!». Cui Cartesius respondit: «O Caro!».³ Verumtamen neque solus spiritus neque corpus solum amat: homo enim est, persona videlicet, quae uti creatura composita amat, ad quam pertinent corpus et anima. Tunc tantum, cum in unum quiddam ambo revera coalescunt, plene sui ipsius fit homo. Uno hoc modo amor — *eros* — veram ad suam maturescere valet magnitudinem.

Non raro hodie christianis praeteritis obicitur quod corporeae veritatis fuerint adversarii; reapse in hanc partem proclivitates semper fuerunt. Verumtamen corporis extollendi via, cuius hodie sumus ipsi testes, prorsus decipit. Deiectus enim *eros* merum ad «sexum» merx aliqua evadit, «res» nuda quam emi licet vendique, homo immo vero ipse fit mercimonia. Re vera non est haec omnino magna illa hominis affirmatio proprio de corpore. Ille contra nunc corpus aestimat atque sexum tamquam materiam dumtaxat sui ipsius quam iudicio quodam adhibet et penitus lucratur. Haec tamen pars est quae ei non sicut provincia libertatis videtur, sed aliquid potius quod suo modo reddere ille simul conatur iucundum et innocens. Reapse consistimus hic ante corporis humani depravationem quod non amplius totum ingreditur vitae nostrae libertatem, quod non iam viva demonstratio est totius summae vitae nostrae, at in regionem abicitur dumtaxat biologica. Quae videtur corporis esse honoratio cito transire potest in odium naturae corporalis. Ex contrario hominem semper iudicavit christiana fides tamquam ens unum et duplex, in quo spiritus et materies mutuo miscentur, dum ita profecto alterutrum novam experitur nobilitatem. Sic est: studet *eros* attollere nos «in exstasi» versus Divinum, extra nos perducere nos ipsos;

³ R. DESCARTES, *Œuvres*, curante V. Cousin, vol. 12, Paris 1824, pp. 95ss.

verum hanc ob rem poscit ascensionis cursum et abnegationum, purgationum ac sanationum.

6. Quomodo fingere nobis in re possumus hoc ascensionis et purificationis iter? Quo pacto amor vivi valet, ut eius humana divinaque promissio plane compleatur? Primam magni ponderis indicationem reperire possumus in *Cantico Canticorum*, videlicet uno Veteris Testamenti librorum, bene cognito a mysticis. Secundum hodie vigentem interpretationem carmina hunc in Librum inclusa primitus fuerunt cantus amoris, fortasse principio dedicati Hebraeorum nuptiarum celebritati, ubi coniugalis efferendus erat amor. His in adiunctis plurimum id ipsum docet quod per eundem librum duae diversae voces «amorem» indicantes deteguntur. Ante omnia vocabulum habemus «*dodim*» — pluralis forma qua amor adhuc incertus profertur, nempe in conditione generalis cuiusdam inquisitionis. Huic autem vocabulo deinceps sufficitur verbum «*ahabà*», quod in Veteris Testamenti interpretatione Graeca vox similis sonitus «*agape*» substituit, quae, prout iam vidimus, indicium proprium amoris est facta pro biblica rerum conceptione. Contra amorem indefinitum et adhuc inquirentem, hoc verbum experimentum exprimit amoris qui nunc vere fit alterius hominis inventio, excedendo indolem personalem, ad proprium commodum proclivem, quae antea manifesto dominabatur. Nunc alterius hominis curatio fit amor et sollicitudo pro eo. Non se ipsum amplius quaerit, immersionem in felicitatis ebrietatem; verum amati hominis quaerit bonum: abdicatio evadit quae ad sacrificium parata est quin immo illud conquirit.

Partem amoris efficit progredientis ad altiora stadia, ad suas extremas purificationes, ut manentem statum inquirat et quidem duplici intellectu: sensu exclusionis — «sola praesto est unica haec persona» — atque sensu «sempiternae condicionis». Summam enim vitae complectitur amor omni quidem in ipsius aspectu, etiam temporis. Non aliter se res habere potest, quoniam promissum eius spectat ad rem definitam: prospicit in aeternitatem amor. Ita, amor est «exstasis», attamen non aliqua exstasis veluti tempore ebrietatis, sed exstasis uti iter, tamquam stabilis exodus de persona in se ipsa clausa adversus propriam liberationem in dono sui ipsius, atque omnino sic versus novam sui detectionem, quin immo versus Dei inventionem: «Quicumque quaesierit animam suam salvam facere, perdet illam; et, quicumque perdiderit illam, vivificabit eam» (*Lc* 17, 33), ait Iesus — cuius affirmatio apud Evangelia reperitur pluribus in variationibus (cfr *Mt* 10, 39; 16, 25; *Me* 8, 35; *Lc* 9, 24; *Io* 12, 25). Sic iter proprium suum describit Iesus quod per crucem ad resurrectionem illum perducit: est iter grani frumenti quod

decidit in terram ac perit et sic multum profert fructum. A sui personalis sacrificii ipso principio atque amoris qui in illo suam attingit perfectionem proficiscens, his verbis ipse describit etiam amoris essentiam et hominum in universum vitae.

7. Deliberationes nostrae, initio potius philosophicae, de amoris essentia per interiorem vim ad fidem usque biblicam nos nunc perduxerunt. Principio enim quaestio est posita utrum variae, immo contrariae, vocabuli amoris significationes subaudiunt quandam altiorem unitatem an contra manere debeant solutae, una iuxta aliam. Ante omnia tamen quaestio emerit habeatne nuntius amoris nobis a Sacris Bibliis adlatus nec non ab Ecclesiae Traditione aliquid commune cum universali hominum amoris experientia an fortasse illi potius opponatur. Huius rei causa incidimus duas in principales voces quae sunt: *eros* uti titulus amoris «mundani» significandi atque *agape* tamquam amoris declaratio qui fide nititur eaque conformatur. Hi duo conceptus crebro inter se opponuntur ut «ascendens» amor et amor «descendens». Aliae quoque praesto sunt similes definitiones, verbi gratia distinctio inter amorem possessivum atque amorem oblativum (*amorem concupiscentiae* - *amorem benevolentiae*), cui interdum etiam amor subiungitur qui ad propriam spectat utilitatem.

In philosophica atque theologica disceptatione haec discrimina saepius ad extremum deducebantur, usquedum inter se opponebantur: amor proprie christianus esse dicebatur descendens, oblativus, id est *agape*; cultura autem non christiana, praesertim Graeca, amore signabatur ascendente, cupido et possessivo, qui nempe est *eros*. Si quis autem voluerit hanc oppositionem ad ultima producere, tunc christianae rei essentia separabitur a principalibus vitae rationibus ipsorum hominum atque in se iam alium orbem constituet, qui fortasse mirabilis erit, at penitus ab ipsa summa vitae humanae segregatus. Re quidem vera *eros* et *agape* — amor ascendens atque amor descendens — non se sinunt umquam inter se seiungi. Quo enim plus etiam aliis modis rectam unitatem reperiunt in una amoris veritate, eo sane plus vera amoris natura in universum completur. Etiam si principio ipse *eros* in primis est studiosus, ascendens — quod fascinum ex magna felicitatis pollicitatione procedit — appropinquans deinde alteri, minus usque interrogant de se atque beatitatem alterius plus usque inquit, magis semper de illo sollicitantur, sese donabit atque cupiet «pro altero se esse». Sic tempus *agape* in eum inseritur; alioquin *eros* decidit perditque suam ipsius naturam. Aliunde vero homo non potest vivere tantummodo de amore oblativo, descendente. Non valet semper solum donare, etiam recipere de-

bet. Quicumque amorem donare vult, illum tamquam donum ipse recipiat oportet. Quemadmodum ipse ait Dominus — profecto fieri potest homo fons et origo unde aquae vivae flumina erumpunt (cfr *Io* 7, 37-38). At ut talis fiat ipse fons, ipse usque denuo bibat oportet ex primigenio illo et primo fonte qui est Iesus Christus, cuius ex transfixo corde amor Dei scaturit (cfr *Io* 19, 34).

Viderunt Patres Ecclesiae variis modis figuratam, in Iacob scalae narratione, hanc coniunctionem inseparabilem inter ascensionem et descensionem, inter *eros* qui Deum conquirat et *agape* qui receptum transmittit donum. In illo biblico scripto narratur patriarcha Iacob in somno vidisse supra petram, quae illi fuit uti pulvinus, scalam quae ad caelum usque pertingebat, per quam ascendebant descendebantque Dei angeli (cfr *Gn* 28, 12; *Io* 1, 51). Percellit maxime animum interpretatio quam Pontifex Gregorius Magnus sua in *Regula Pastoralis* huius facit visionis. Dicit enim ille: in contemplatione radices agere debet pastor bonus. Hoc dumtaxat modo valebit ipse aliorum intra se suscipere necessitates, ita ut ipsius propriae evadant: «*Per pietatis viscera in se infirmitatem caeterorum transferat*».⁴ Hoc loco se refert sanctus Gregorius ad sanctum Paulum qui sublime abripitur summa in Dei arcana sicque descendens omnia omnibus fieri potest (cfr *2Cor* 12, 2-4; *1 Cor* 9, 22). Exemplum praeterea Moysis indicat qui in sacrum tabernaculum denuo semper ingreditur cum Deo colloquens ut sic, a Deo recedens, utilis suo populo esse possit. «*Intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur*».⁵

8. Primam ita repperimus responsionem, adhuc potius universalem, duabus superius positis quaestionibus: «amor» denique unica res est, variis quamvis cum aspectibus; unus interdum vel alius aspectus magis emergere potest. Ubi vero duo eius aspectus penitus inter se seiunguntur, nascitur ridicula quaedam imago vel utcumque est forma reductiva amoris. Et in summa vidimus etiam biblicam fidem non efficere quendam mundum parallelum vel mundum illi primigenio eventui humano contrarium qui amor est, sed totum suscipere hominem eiusque adiuvere amoris inquisitionem ut is purificetur eodemque tempore novi aspectus ei aperiantur. Haec biblicae fidei novitas duobus ante omnia commonstratur in locis, qui digni sunt ut extollantur: videlicet in Dei imagine et imagine hominis.

⁴ **II**, 5: *SCh* 381, 196

⁵ *Ibid.*, 198

De biblicae fidei novitate

9. De nova imagine Dei in primis agitur. In culturis quae circa Sacra Biblia versantur, dei deorumque imagines, usque ad finem, parum perspicuae et inter se perstant discrepantes. Biblica autem progrediente fide, magis usque id fit manifestum univocumque, quod praecipua Israel precatio, *Sh'ma* scilicet, his verbis summatim perstringit: «Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est» (*Dt* 6, 4). Unus est Deus, qui caelum terramque creavit ideoque omnium hominum quoque est Deus. Duo in hac disceptatione sunt singularia, omnes ceteros deos non esse Deum et omnes item res, in quibus vivimus, a Deo manare, ab Eo esse creatas. Creandi certe notio etiam alibi reperitur, sed hic tantummodo prorsus patet non quemlibet deum, at unum verum Deum, ipsum omnium rerum esse factorem; quae ex eius creandi Verbi potentia oriuntur. Id significat eius creaturam ei esse caram, quandoquidem eam ipse voluit, eam ipse «fecit». Magni momenti sic altera exstat pars: Deus hic hominem amat. Divina potentia, quam Aristoteles, Graeca philosophia attingente fastigium, meditando intellegere studuit, certe omnium hominum est quiddam desiderandum et amandum — quia amatur, haec deitas mundum movet⁶ —, sed nulla re indiget ipsa et non diligit, solummodo diligitur. Enimvero unus Deus, in quo Israel credit, personaliter amat. Eius amor praeterea electivus est amor: inter omnes gentes ipse populum Israel eligit eumque amat — ut hoc vero ipso modo humanitas universa sanetur. Ipse amat, et amor hic eius sine dubio veluti *eros* designari potest, qui tamen est etiam et prorsus *agape*.⁷

Osee potissimum et Ezechiel prophetae per audaces amatorias imagines hanc Dei in eius populum cupiditatem significarunt. Dei cum Israel necessitudo sponsalium coniugiique imaginibus collustratur; quapropter idololatria adulterium est et prostitutio. Quod cum ita sit — quemadmodum significavimus — re cultus attinguntur fertilitatis et *eros* abusus, sed eodem tempore inter Israel et Deum fidelitatis vinculum describitur. Dei Israelisque amoris narratio in eo penitus sistit quod ipse *Torah* ei tradit, Israel scilicet germanam hominis naturam recludit atque veri humanismi iter demonstrat. Historia haec in eo nititur quod homo, in Deo uno fidem servando, experitur se esse a Deo ipsum amatum et in veritate laetitiam, in iustitia detegere — quae in Deo laetitia eius fit essentialis felicitas: « Quis enim mihi est in caelo?

⁶ Cfr *Metaphysica*, XII, 7.

⁷ Cfr PSEUDO-DIONYSIUS AREOPAGITA, qui in suo opere *De divinis nominibus*, IV, 12-14: PG 3, 709-713, Deum eodem tempore appellat *eros* et *agape*.

Et tecum nihil volui super terram ... Mihi autem adhaerere Deo bonum est» (Ps 73 [72], 25.28).

10. Dei in hominem *eros* — quemadmodum diximus — eadem opera est prorsus *agape*. Non modo quia gratuito omnibus ex partibus donabitur, nullo antecedente merito, sed etiam quia amor est qui ignoscit. Osee potissimum *agape* modum nobis ostendit in Dei erga hominem amore, qui multum ad spectui gratuitatis antecellit. Israel «adulterium» patravit, Foedus fregit; debet eum iudicare Deus et repudiare. Hoc autem ipso loco demonstratur Deum esse Deum, non hominem: «Quomodo dabo te, Ephraim, tradam te, Israel? ... Convertitur in me cor meum, simul exardescit miseratio mea. Non faciam furorem irae meae, non convertar, ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego et non homo, in medio tui Sanctus» (Os 11, 8-9). Flagrans Dei amor in populum suum — in hominem — ignoscens est simul amor. Sic est is magnus ut contra se ipsum vertat Deum, eius amorem contra eius iustitiam. Christianus, in hoc, Crucis mysterium per speciem adumbrari intellegit: sic Deus hominem diligit, ut, se ipsum efficiens hominem, usque ad mortem eum sequatur, atque hoc modo iustitiam et amorem conciliat.

Philosophicus adspectus itemque historicus-religiosus in hac Sacrorum Bibliorum ratione revelandus in eo nititur quod ex una parte nos ante imaginem ponimur Dei, stricte quidem metaphysicam: absolute est Deus omnium rerum primigenius fons; sed hoc omnium rerum creandarum principium — *Logos*, primordialis ratio — est eadem opera amans quiddam, veri amoris impetu praeditum. Hoc modo *eros* summe extollitur, sed eodem tempore ita purificatur ut cum *agape* misceatur. Quocirca intellegere possumus *Canticum Canticorum* in Sacrae Scripturae canonem receptum, esse explicatum ex eo quod canticis his amoris demum Dei necessitudo significatur cum homine vicissimque hominis cum Deo. Hac ratione *Canticum Canticorum* factum est, tam in Christianis quam in Iudaicis litteris, cognitionis ac mysticae experientiae scaturigo, in qua biblicae fidei essentia manifestatur: ita sane, est hominis cum Deo consociatio — somnium scilicet hominis primigenium —, at haec consociatio non debet una simul fundi, in oceano videlicet Divini sine nomine mergi; est coniunctio quaedam quae amorem gignit, in quo ambo — Deus et homo — sui ipsorum manent atque tamen plene unum fiunt: «Qui... adhaeret Domino, unus Spiritus est» cum eo (1 Cor 6, 17), ait sanctus Paulus.

11. Biblicae fidei prima res nova, sicut perspeximus, Dei est imago; altera, cum ea essentialiter coniuncta, in hominis imagine reperitur. Biblica crea-

tionis narratio de primi hominis solitudine disserit, scilicet Adami, cui adiumentum Deus addere vult. Nihil autem ex rebus creatis auxilium illud homini afferre potest, quo ipse indiget, licet omnibus bestiis agri cunctisque volatilibus nomen dederit, in suae vitae ambitum ea ingerens. Tunc ex hominis costa mulierem fingit Deus. Nunc Adamus, cuius indiget, auxilium reperit: « Haec nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea! » (*Gn 2, 23*). Ex his rebus narratis opiniones quaedam intellegi possunt, quae exempli gratia etiam in fabula exstant, quam Plato refert, ubi primigenius homo globosus erat, eo quod completus in se suisque rebus sufficienter praeditus ipse erat. Sed suam propter superbiam a love bipertitus est, sic nunc alteram dimidiam partem desiderat et ad eam decurrit, ut suam integritatem reperiat.⁸ In Sacrarum Scripturarum narratione de poena non fit mentio; at quod homo quodammodo est imperfectus, ex constitutione itineratur, alteram suae integritatis complementem partem inventurus, cogitatio scilicet procul dubio adest illa, ad quam ipse solummodo cum altero sexu per communionem potest esse « perfectus ». Sic biblica narratio de Adamo propheta concluditur: « Quam ob rem relinquet vir patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae; et erunt in carnem unam » (*Gn 2, 24*).

Duae hic reperiuntur maioris momenti notiones: *eros* in ipsius natura hominis est quasi defixus; Adamus aliquid exquirat atque « relinquet patrem suum et matrem » mulierem inquisiturus. Sua in unitate tantum humanitatis integritatem fingunt, « una caro » fiunt. Non minus praestat altera notio: in cursu quodam, qui in creatione nititur, ad matrimonium committit *eros* hominem, ad vinculum scilicet quoddam, singulariter definiteque signatum. Sic et sic tantum suus intimus finis ad effectum adducitur. Ad unius Dei imaginem monogamicum coniugium respondet. Matrimonium, quod in amore unico ac definito fundatur, imaginem efficit Dei necessitudinis cum eius populo ac vicissim: ratio qua Deus amat mensura fit humani amoris. Artum hoc inter *eros* et coniugium in Bibliis Sacris vinculum fere in litteris extra ea similitudinem non reperit.

Christus Iesus - Dei incarnatus amor

12. Etiamsi adhuc usque Vetus Testamentum plerumque tractavimus, intima tamen duorum Foederum coagmentatio veluti una christianae fidei Scriptura est patefacta. Vera Novi Testamenti novitas haud in novis opinionibus sistit, sed in ipsa Christi effigie, qui cogitationibus praebet carnem et

Cfr *Convivium*, XIV-XV, 189c-192d.,

sanguinem — inauditum realismum. In Vetere iam Testamento biblica novitas non tantum existit ex abstractis notionibus, sed ex Dei inopinata opera et quodammodo inaudita oritur. Ratio haec agendi Dei dramatis formam nunc acquirit, eo quod in Iesu Christo ipse Deus «ovem amissam» persequitur, humanitatem videlicet dolentem atque deperditam. Cum Iesus suis in similitudinibus de pastore disserit, qui ad amissam ovem vadit, de muliere drachmam quaerente, de patre qui prodigo filio occurrit eumque amplexatur, id non in verba tantum recidit, sed eius essentiae et actionis rationem explanat. Eius per crucem in morte illud completur per quod contra se vertit Deus, in quo ipse se tradit, hominem sublevaturus eumque servaturus — amor hic in forma sua extrema adest. Visus in Christi latus perfossum conversus, de quo apud Ioannem fit mentio (cfr 19, 37), illud comprehendit ex quo hae Litterae Encyclicae initium sumpserunt: «Deus caritas est» (*lio* 4, 8). Ibi nempe veritas haec spectari potest. A quo initio capto, definiatur oportet quid sit amor. Ex hoc visu sumens initium, videndi amandique semitam reperit christianus.

13. Iesus huic oblationis actui perpetuam per constitutam in Novissima Cena Eucharistiam tribuit praesentiam. Antecapit ipse suam mortem resurrectionemque, iam illa hora suis discipulis in pane et vino se ipsum tradens, suum corpus suumque sanguinem tamquam novum manna (cfr *Io* 6, 31-33). Si vero antiqui somniaverunt, ad extremum verum hominis cibum — id quo homo vivit — esse *Logos*, aeternam sapientiam, nunc hic *Logos* nobis vere factus est alimentum — veluti amor. Eucharistia in actu oblationis Iesu nos trahit. Non recipimus nos solummodo immobiliter *Logos* incarnatum, sed in eius oblationis motum involvimur. Coniugii imago inter Deum et Israel illa efficitur ratione, quae antea concipi non potuit: quod antea fuit pro Deo stare, fit nunc, per Iesu donationem communicatam, eius corporis et sanguinis participatio, fit coniunctio. Sacramenti «mystica» indoles quae in Dei erga nos demissione nititur alia prorsus est res et sublimius perducit quam quaevis mystica hominis elevatio efficere possit.

14. Nunc autem alia pars est consideranda: Sacramenti «mystica» natura socialem rationem secum fert, quandoquidem in sacramentali communiōne ego cum Domino una simul cum ceteris communicantibus coniungor: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus », effatur sanctus Paulus (*I Cor* 10, 17). Cum Christo coniunctio est eadem opera cum ceteris omnibus consociatio, quibus ipse se tradit. Christum pro me uno habere non possum; ad eum pertinere possum solum-

modo cum iis omnibus coniunctus, qui ipsius facti sunt fientve. A memet ipso extrahit me communio ad eum, et sic etiam ad unitatem cum omnibus christianis ducit. « Unum corpus » efficitur, in existentiam unam fusi. Amor in Deum et in proximum amor nunc vere coniunguntur: incarnatus Deus omnes ad se nos trahit. Ex hoc intellegitur quo pacto *agape* Eucharistiae facta sit etiam nomen: in ea Dei *agape* ad nos corporaliter accedit ut in nobis ac per nos suam operam producat. Ex hoc tantum fundamento christologico-sacramentali sumpto initio, recte doctrina Iesu de amore intellegi potest. Transitus, quem ipse efficit, a Lege Prophetisque ad duplex amoris mandatum erga Deum ac proximum, fidei scilicet omnis existentia, quae deinde ex hoc mandato, medium locum occupante, oritur, non est simpliciter res moralis quae exinde sui iuris prope fidem in Christum eamque per ritum in Sacramento expressam esse possit: fides, cultus et *ethos*, veluti res unica inter se miscentur, quae Dei *agape* convenienda significatur. Sueta cultus ethicaeque oppositio simpliciter hic procidit. In « cultu » ipso, in eucharistica communionem amari vicissimque reliquos amare continentur. Eucharistia, quae in amorem re effectum non transfertur, in se ipsa in particulas est redacta. Vicissim — sicut subtilius erit considerandum — amoris « mandatum » effici potest solummodo quia postulatio non est tantum: amor « mandari » potest quoniam antea donatur.

15. Ex hoc posito principio praecipuae Iesu parabolae sunt intellegendae. Epulo ille dives (cfr *Lc* 16, 19-31) ex supplicii loco implorat ut sui fratres certiores de illa re fiant, quae ei eveniat, qui impudenter pauperem ignoraverit in necessitate versantem. Iesus, ut ita dicamus, talem auxilii clamorem excipit, quem refert ut nos cauti simus, ut ad rectam semitam nos reducat. Boni Samaritani parabola (cfr *Lc* 10, 25-37) duas magni ponderis explanat res. Dum vero « proximi » notio iam tum ad populares alienigenasque in solo Israelitico commorantes ideoque ad participem alicuius regionis populique communitatem praecipue referebatur, nunc fines hi tolluntur. Quicumque me indiget et ego eum iuvare possum, mihi est proximus. Proximi notio universa complectitur, attamen concreta manet. Quamvis ad omnes homines pertineat, ad significationem non contrahitur incerti et indefiniti cuiusdam amoris, qui parum officii secum fert, sed meam postulat operam, re hic et nunc praestandam. Usque est Ecclesiae munus inter propinquitatem et longinquitatem interpretari rursus hoc vinculum, quae suorum membrorum re exigendam vitam habeat ob oculos. Memoretur tandem hic peculiarem in modum oportet novissimi Iudicii insignis parabola (cfr *Mt* 25, 31-46), in

qua amor de humanae vitae bono vel non bono definitivae deliberationis fit norma. Personam induit Iesus indigentium: videlicet esurientium, sitientium, alienigenarum, nudorum, aegrotorum, in vinculis detentorum. « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (Mt 25, 40). Amor Dei itemque amor proximi inter se commiscuntur: in minimis ipsum Iesum et in Iesu Deum invenimus.

Amor Dei proximique amor

16. Omnibus his de amoris essentia eiusque in biblica fide significatione considerationibus absolutis, duplex superest interrogatio de nostra agendi ratione: amarine potest Deus, quamvis is non videatur? Rursus: amordine imperari potest? Adversus duplex amoris mandatum duplicia contra dicuntur, quae in his interrogationibus insunt. Nemo Deum umquam vidit — quomodo eum amare possumus? Atque porro: amordine imperari non potest; est tandem quaedam animi affectio, quae adesse aut non adesse potest, sed ex voluntate gigni non potest. Sacra Scriptura primam hanc objectionem roborare videtur, cum dicit: «Si quis dixerit: "Diligo Deum", et fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, non potest diligere» (Ioh 4, 20). Sed sententia haec minime autumat Dei amorem quiddam esse impossibile; contra, in toto modo memoratae *Primae Epistolae Ioannis* contextu, talis amor manifeste requiritur. Inter Dei amorem ac amorem proximi artum vinculum confirmatur. Alter ad alterum sic se stricte refert ut Dei amoris affirmatio fiat mendacium, si homo a proximo se subducatur, vel etiam eum oderit. Ioannis sententia hoc sensu potius intellegi debet: in proximum amor iter est ad Deum quoque inveniendum atque qui ab oculis proximum amovet, coram Deo etiam fit caecus.

17. Reapse, nemo umquam Deum vidit sicut ipse est. Attamen Deus nobis haud est prorsus invisibilis, non est nobis simpliciter inaccessibilis. Deus primus nos dilexit, sic asseverat memorata *Ioannis Epistula* (cfr 4, 10) atque amor hic Dei nobis apparuit, visibilis factus est eo quod «Filius suus unigenitus misit Deus in mundum, ut vivamus per eum» (Ioh 4, 9). Visibilis factus est Deus: in Iesu Patrem nos videre possumus (cfr Ioh 14, 9). Multifarie revera videri potest Deus. In amoris historia, quae in Sacris Bibliis narratur, ipse nobis obviam venit, nos acquirere studet — usque ad Novissimam Cenam, usque ad Cor in cruce perforatum, usque ad Resuscitati visus magnaue opera, quibus ipse per actus Apostolorum Ecclesiae nascentis iter

direxit. Etiam in Ecclesiae subsequentibus annalibus haud absens Dominus deprehenditur: usque denuo nobis occurrit — per homines in quibus ipse conspicitur; suum per Verbum, Sacramenta, potissimum Eucharistiam. In Ecclesiae liturgia, in eius precatione, in viva credentium communitate, Dei amorem experimur nos, eius praesentiam percipimus atque hoc modo in cotidiano vitae cursu eam etiam agnoscere discimus. Primus ipse nos dilexit ac primus nos diligere pergit; idcirco per amorem nos respondere possumus. Non imperat nobis animi affectum Deus, quem in nobis excitare non possumus. Ipse nos diligit idemque efficit ut suum amorem perspiciamus experiamurque, atque ex hoc «primum» Dei tamquam responsio etiam in nobis oriri potest amor.

Hoc in conveniendi processu non esse tantum animi affectum amorem palam demonstratur. Animi affectiones accedunt eaeque recedunt. Affectio mira potest esse initialis scintilla, sed non totum amorem complectitur. In principio de purificationum maturationumque processu disseruimus, quarum ope *eros* plane efficitur sui ipsius, amor fit plene significante verbo. Ad amoris maturitatem pertinet omnes hominis virtutes complecti et includere, ut ita dicamus, hominem tota in eius integritate. Cum Dei amoris visibiles significationes conveniuntur, laetitiae sensus in nobis excitari potest, quae ex eo oritur quod amamur. Sed hic occursus nostram etiam voluntatem intellectumque involvit. Vivens Deus agnitus via est qua ad amorem pervenitur, atque assensus nostrae voluntatis eius voluntati coniungit intellectum, voluntatem et affectionem in amoris actu, omnia complectente. Processus autem hic continenter progreditur: amor numquam «finitur» et completur; in vitae decursu mutatur, maturescit ideoque sibi ipse fidelis manet. *Idem velle atque idem nolle*,⁹ quibus verbis antiqui germanum amoris sensum definiabant: cum alter alteri assimilatur, id volendi cogitandique perducit ad communitatem. Inter Deum hominem que amoris historia in eo nempe stat quod haec voluntatis communio in cogitationis affectionisque communionem adolescit, atque sic nostra et Dei voluntas magis ac magis idem expetit: Dei voluntas mihi iam non est extranea voluntas, quam mihi extrinsecus mandata praecipunt, sed mea eadem est voluntas, eo quod ex experientia Deus re vera «interior intimo meo»¹⁰ est quam ego. In Deo tum crescit deditio et Deus nostrum fit gaudium (cfr *Ps* 73 [72], 23-28).

⁹ SALLUSTIUS, *De coniuratione Catilinae*, xx, 4,

¹⁰ S. AUGUSTINUS, *Confessiones*, III, 6, 11: CCL 27, 32.

18. Exstare sic potest proximi amor, quem Sacra Scriptura, Iesus enuntiarunt. Is quidem sibi vult me in Deo et cum Deo amare etiam personam quae mihi non probatur vel quam non novi. Id effici solummodo potest intime Deo conveniendo, ubi haec congressio facta est voluntatis communio atque usque ad animi affectionem pervenit. Tunc non modo meis oculis meisque affectionibus, sed ad Iesu Christi mensuram alteram personam respicere disco. Eius amicus meus est amicus. Praeter externam alterius speciem eius interiorem expectationem amoris actus, observantiae, conspicio, quae non solum quaedam per instituta ad illud propositum destinata ei ostendo ac ministro, eundem accipiens, necessitate aliqua politica coactus. Christi oculis inspicio ac alteri plus quam extrinsecus necessaria tribuere possum: tribuere ei possum amoris contuitum, quo ille indiget. Hic reciproca ac necessaria actio inter Dei amorem ac amorem proximi manifestatur, cuius apud *Primam Ioannis Epistulam* instanter fit mentio. Si quidem cum Deo consuetudo mea in vita omnino deest, in altero semper alterum solummodo cerno, sed in eo divinam imaginem agnoscere nequeo. Si autem mea in vita omnibus ex partibus alterum observandum non curo, cum «pius» tantum esse et «religiosa officia» complere velim, tum vero cum Deo etiam necessitudo arescit. Tum autem haec consuetudo tantummodo «recta» est, sed absque amore. Mea solum proximi conveniendi promptitudo, ut ei amor significetur, coram Deo quoque me sensibilem reddit. Tantum proximi famulatus id patefacit mihi quod Deus pro me efficit et significat quo pacto me ipse amet. Sancti — verbi gratia beatam Matrem Teresiam Calcuttensem cogitemus — ex Domino eucharistico convento suam proximi usque de integro amandi vim hauserunt, atque vicissim hic occursus suam realem virtutem altitudinemque ex eorum famulatu pro aliis obtinuit. Amor Dei proximique amor seiungi non possunt; unum est mandatum. At uterque amore fruitur, qui ex Deo manat, qui primus nos dilexit. De «mandato» sic non agitur externo, quod iubet quae fieri non possunt, sed de amoris experientia, intrinsecus data, atque amor hic, sua ex natura, cum aliis ultro est communicandus. Amor per amorem adolescit. Amor «divinus» est, quoniam ex Deo procedit isque nos cum Deo coniungit et hoc in unitatis processu in quiddam veluti «Nos» convertit, quod nostras partitiones praetergreditur et efficit ut unum fiamus, ita ut postremo Deus sit «omnia in omnibus» (*ICor* 15, 28).

PARS ALTERA

CARITAS - EXERCITATIO AMORIS IN ECCLESIA VELUTI
«COMMUNITATE AMORIS»*Ecclesiae caritas tamquam amoris trinitarii patefactio*

19. «Immo vero vides Trinitatem, si caritatem vides», scripsit sanctus Augustinus.¹¹ In cogitationibus quae praecesserunt, oculos nostros deligere potuimus in Crucifixo (cfr *Io* 19, 37; *Zach* 12, 10), agnoscentes Patris consilium qui, amore permotus (cfr *Io* 3, 16), in mundum misit unigenitum Filium ut hominem redimeret. In cruce emoriens Iesus — quemadmodum evangelista refert — «tradidit spiritum» (*Io* 19, 30), praenuntium illius Spiritus Sancti doni quod post resurrectionem ipse erat tributurus (cfr *Io* 20, 22). Sic futurum erat ut promissio « aquae vivae fluminum » compleretur, quae propter effusum Spiritum fluxura erant ex credentium cordibus (cfr *Io* 7, 38-39). Est enim Spiritus interior illa potestas quae eorum corda cum Christi corde conciliat eosque permovet ut fratres ament, sicut ipse eos amavit cum pedes discipulorum abluturus (cfr *Io* 13, 1-13) sese inclinavisset et in primis cum suam vitam pro omnibus donasset (cfr 13, 1; 15, 13).

Vis etiam Spiritus est quae ecclesialis Communitatis cor immutat, ut per orbem testis sit Patris amoris, qui hominum genus suo in Filio unicam familiam efficere cupit. Omnis Ecclesiae opera amoris est declaratio qui totum hominis bonum conquiret: eius nempe evangelizationem quaerit per Verbum ac Sacramenta, quod opus totiens suis in actibus historicis fuit revera heroicum; progressionem eius inquirat variis etiam in vitae industriaeque humanae condicionibus. Quapropter ministerium amoris est quod Ecclesia exsequitur ut perpetuo doloribus ac necessitatibus, etiam corporeis, hominum occurrat. Et in hac ratione, in *caritatis ministerio*, immorari cupimus per alteram hanc Encyclicarum Litterarum partem.

Caritas Ecclesiae officium

20. Amor proximi in amore Dei insitus officium est praesertim cuiusque fidelis, at est etiam officium totius communitatis ecclesialis, et hoc quibuscumque in eius gradibus: a communitate locali ad Ecclesiam particularem, immo ad Ecclesiam universalem in eius integritate. Ecclesia quoque tam-

¹¹ *De Trinitate*, VIII, 8, 12: CCL 50, 287.

quam communitas amorem exsequi debet. Ex quo sequitur amorem egere etiam ordinatione uti praeparatione ad ministerium commune intenta. Talis officii conscientia habuit momentum decretorium in Ecclesia ab eius primordiis: « Omnes autem, qui crediderant, erant pariter et habebant omnia communia, et possessiones et substantias vendebant et dividebant illas omnibus, prout cuique opus erat » (*Act 2*, 44-45). Lucas hoc nobis narrat referens quandam speciem notionis Ecclesiae, cuius suprema inter elementa ipse recenset perseverantiam in « doctrina apostolorum », « communicatione » (*koinonia*), « fractione panis » et « orationibus » (cfr *A et 2*, 42). Elementum « communicationis » (*koinonia*), *initio* hic non declaratur, ad rem perducitur versiculis supra memoratis: ipsa nempe consistit in eo quod credentes omnia habent communia et apud eos discrimen iam non est inter divites et pauperes (cfr etiam *Act 4*, 32-37). Adolescente Ecclesia, haec absoluta forma communionis materialis re vera servari non poterat. Essentia tamen eius intima mansit: intra credentium communitatem nullum esse debet paupertatis genus eo quod bona ad dignam vitam agendam necessaria cuidam negantur.

21. Necessarius gressus in difficili investigatione solutionum ad fundamentale hoc principium ecclesiale exsequendum manifestus fit in electione illa septem virorum, quae diaconalis muneris initium fuit (cfr *Act 6*, 5-6). Reapse in Ecclesia prisca, cum res quotidie viduis dividerentur, orta est inaequalitas inter coetus tam Hebraicae quam linguae Graecae. Apostoli, quibus ante omnia commissa erant « orationes » (Eucharistia et Liturgia) et « ministerium Verbi », nimis gravatos se senserunt « ministerio mensarum »; ipsimet igitur decreverunt servare sibi praecipuum opus, et ad alterum munus, pariter necessarium in Ecclesia, coetum septem virorum constituere. Attamen hic coetus non debebat tantummodo technicum ministerium distributionis implere: debebant esse viri « pieni Spiritu et sapientia » (*GÎT Act 6*, 1-6). Hoc significat ministerium sociale, quod ipsos explere oportebat, fuisse omnino concretum, sed eodem tempore illud sine dubio spiritale exstitisse quoque ministerium; eorum officium erat igitur officium vere spiritale, quod essentielle munus Ecclesiae perficiebat, nempe officium amoris in proximum rite ordinatum. Per constitutionem huius coetus Septem, « diaconia » — ministerium scilicet amoris proximi communiter et ordinate peractum — iam instaurata erat in fundamentali ipsius Ecclesiae structura.

22. Annorum decursu ac progrediente Ecclesiae diffusione, caritatis est exercitatio confirmata uti una ex eius provinciis essentialibus, una cum Sacramentorum administratione et praedicatione Verbi: exercere caritatem

erga viduas et pupillos, captivos, aegrotos et omne genus indigentes pertinet ad eius essentiam sicut ipsum Sacramentorum ministerium et Evangelii praedicatio. Ecclesia negligere non potest caritatis exercitium sicut Sacramenta et Verbum derelinquere nequit. Exempla quaedam sufficiant ad hoc demonstrandum. Iustinus martyr (f c. 155) describit, in contextu dominicalis christianorum celebrationis, etiam eorum navitatem caritatis, coniunctam cum ipsa Eucharistia uti tali. Divites stipes suas pro viribus offerunt, quas quisque iudicat; iis ipse Episcopus pupillos et viduas deinde sustentat eosque qui, morbo aliisque causis afflicti, in necessitate versantur, sicut captivos quoque et peregrinos.¹² Tertullianus, praeclarus scriptor christianus (f post 220), narravit quomodo admirationem gentilium suscitaret sollicitudo christianorum erga omne genus indigentes.¹³ Cum Ignatius Antiochenus (f c. 107) Ecclesiam Romanam definit illam esse quae «praesidet in caritate (*agape*)»,¹⁴ hac definitione existimari potest eum quodammodo etiam veram caritatis navitatem suam significare statuisse.

23. Hoc in rerum contextu utile forsitan est agere de primigenis structuris iuridicis respicientibus caritatis Ecclesiae actionem. Medio iv saeculo in Aegypto oritur «*diaconia*» uti vocant; singulis in monasteriis ipsa est institutio responsalis pro universo opere assistentiae, nempe pro caritatis ministerio. Ab his primordiis evolvitur in Aegypto usque ad vi saeculum societas quaedam omnimodo iuris potestate praedita, cui civiles auctoritates concedunt etiam partem frumenti pro publica distributione. In Aegypto non solum quodque monasterium, sed etiam omnis dioecesis habuit denique suam *diaconiam* — institutionem quae exinde evolvitur sive in oriente sive in occidente. Papa Gregorius Magnus (| 604) memorat *diaconiam* Neapolitanam. Ad Romam quod attinet, diaconiae documentis confirmantur solum a vii et viii saeculo; antea tamen, et quidem a primordiis, ministerium subveniendi pauperibus et patientibus, secundum principia vitae christianae de quibus in *Actibus Apostolorum*, erat necessaria pars Romanae Ecclesiae. Hoc munus pervi vi de explevit ipse diaconus Laurentius (f 258). Luctuosa eius martyrii descriptio sancto Ambrosio (f 397) iam nota erat et in suo nucleo certe nobis ostendit authenticam Sancti imaginem. Ipsi, cui commissa erat cura pauperum Romae, concessum est aliquid temporis, post comprehensionem Summi Pontificis eiusque confratrum, ut thesaurus Ecclesiae colligeret eosque civilibus auctoritatibus traderet. Laurentius distribuit liberam pecuniam paupe-

¹² Cfr / *Apologia*, 67: PG 6, 429.

¹³ Cfr *Apologeticum*, 39, 7: PL 1, 468.

¹⁴ *Ep. ad Rom.*, *Inscr*: PG 5, 801.

ribus eosque deinde magistratibus exhibuit tamquam verum Ecclesiae thesaurum.¹⁵ Quomodocumque historica iudicetur probabilitas huius singularis eventus, Laurentius in memoria Ecclesiae praesens tenetur uti magnus fautor ecclesialis caritatis.

24. Ex recordatione Iuliani Apostatae imperatoris (f 363) iterum erui potest quam essentialis fuerit apud primorum saeculorum Ecclesiam caritas ordinate exercita. Puer sex annos natus, Iulianus interfuit homicidio patris sui, fratris aliorumque familiarum a custodibus palatii imperialis patrato; hanc barbariem ipse imputavit — iure an iniuria — Constantio imperatori, qui se Angebat magnum esse christianum. Qua de re ipse christianam fidem semper detractam habuit. Imperator factus, decrevit cultum paganum restaurare, antiquam Romanam religionem, sed simul eam reformare ita ut reapse fieri posset vis trahens imperii. Hoc sub prospectu largiter se inspiravit christiana religione. Hierarchiam metropolitaram instauravit et sacerdotum. Sacerdotes amorem erga Deum et proximum curare tenebantur. In quadam sua epistula¹⁶ scripsit hoc unum christianae religionis, quod eius permovit animum, exercitium fuisse caritatis in Ecclesia. Fuit ergo significans aspectus erga novum eius paganum cultum quo actioni caritatis Ecclesiae parem admovit operam suae religionis. « Galilaei » — ita ipse asserbat — hoc modo suam popularem consecuti erant auram. Illi itaque non tantum imitandi, immo etiam superandi erant. Hoc igitur pacto confessus imperator est caritatem veluti decretoriam notam christianae communitatis Ecclesiae esse.

25. Ex nostris deliberationibus hoc loco colliguntur duo essentialia argumenta:

a) Intima Ecclesiae natura triplici exprimitur munere: praedicatione Verbi Dei (*kerygma-martyria*), celebratione Sacramentorum (*leiturgia*), ministerio caritatis (*diakonia*). Munia sunt quae vicissim se praesupponunt et invicem seiungi nequeunt. Caritas non est pro Ecclesia veluti species operis assistentiae socialis quae aliis etiam relinqui posset, sed pertinet ad eius naturam, est irrenunciabilis expressio propriae ipsius essentiae.¹⁷

b) Ecclesia est familia Dei in mundo. In hac familia nemo debet esse qui patiat ob egestatem. Eodem tamen tempore *caritas - agape* transcendit

¹⁵ Cfr s. AMBROSIUS, *De officiis ministrorum*, II, 28, 140: PL 16, 141.

¹⁶ Cfr Ep 83: J BIDEZ, *L'Empereur Julien. Œuvres complètes*, Paris 1960², v. I, 2^o, p. 145.

¹⁷ Cfr CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Directorium ministerii pastoralis Episcoporum *Apostolorum Successores* (22 Februarii 2004), 194, Città del Vaticano 2004, 2^o, 205-206..

limites Ecclesiae; parabola boni Samaritani manet veluti ratio mensurae, imponit amorem universalem qui prolabitur ad indigentem «fortuito» inventum (cfr *Lc* 10, 31), quisquis est. Firma manente hac praecepti amoris universalitate, adest tamen exigentia specificae ecclesialis — ea nempe quod in ipsa Ecclesia uti familia nullum membrum ob egestatem patiat. Hoc sensu viget declaratio *Epistulae ad Galatas*: «Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei» (6, 10).

Iustitia et caritas

26. A saeculo xix adversus caritatis Ecclesiae opera obiectio efferbuit, quae insistenter dein evoluta est praesertim praeceptis marxistis innixa. Pauperes dicebantur operibus caritatis non egere, sed contra iustitia. Opera caritatis — eleemosynae — reapse esse pro divitibus modus quo se subtraherent a restauranda iustitia et suae consulerent conscientiae, contententes suas sententias et pauperum iura laedentes. Potius quam hodiernae vitae condiciones per singula caritatis opera sustentarentur, necesse putabatur instituere ordinem iustum, in quo quisque suam reciperet partem ex bonis mundi ita ut caritatis operibus non amplius egeret. Huius argumenti quiddam verum est, fateri oportet, quiddam autem erroneum. Verum illud est quod fundamentalis norma Civitatis esse debet iustitiae persecutio et quod finis iusti ordinis socialis est unicuique bonorum communium partem spondere, principio subsidiariorum. Hoc semper aperte quoque proposuit christiana doctrina de Civitate atque doctrina socialis Ecclesiae. Quaestio iusti ordinis communitatis sub aspectu historico ingressa est novam in condicionem post constitutam industrialem societatem saeculi xix. Ortus industriae modernae delevit veteras structuras sociales et prae multitudine operariorum radicibus evocavit mutatam compositionem societatis, intra quam relatio inter pecuniam et opus navatum decretoria facta est quaestio — quaestio quae sub hac forma antea erat ignorata. Structurae productionis et pecunia novam potestatem constituebant, quae, paucorum manibus commissa, agminibus operariorum afferebat iurium privationem, cui obsistere conveniebat.

27. Iustum est agnoscere Ecclesiae curatores solummodo lente percepisse quaestionem novae societatis structurae novo proponi modo. Attamen non defuerunt praecursores: quos inter, exempli gratia, recensetur Episcopus Moguntinus Ketteler (f 1877). Veluti responsio specificis necessitatibus orti sunt circuli, associationes, sodalicia, foederationes ac praesertim novae Congregationes religiosas, quae saeculo xix aggressae sunt opus ad confligendam pau-

pertatem, morbos et deficientes condiciones in provincia educationis. Anno **MDCCCXCI** apparuit magisterium pontificium exhibens Litteras Encyclicas *Rerum novarum* Leonis XIII. Quas secutae sunt, anno **MCMXXXI**, Litterae Encyclicae Pii XI *Quadragesimo anno*. Beatus Pontifex Ioannes XXIII, anno **MCMLXI**, edidit Encyclicas Litteras *Mater et Magistra*; deinde Paulus VI in Litteris Encyclicis *Populorum progressio* (anno **MCMLXVII**) atque in Epistula apostolica *Octogésima adveniens* (anno **MCMLXXI**) firmiter aggressus est quaestionem sociale, quae interea exardescebat maxime in America Latina. Insignis Decessor Noster Ioannes Paulus II reliquit nobis trilogiam Litterarum Encyclicarum de re sociali: *Laborem exercens* (**MCMLXXXI**), *Sollicitudo rei socialis* (**MCMLXXXVII**) ac denique *Centesimus annus* (**MCMXCI**). Ita conferens condiciones et quaestiones semper novas catholica doctrina socialis constanter evolvebatur, quae anno **MMIV** congruenti modo exposita est in *Compendio socialis Ecclesiae doctrinae* a Pontificio Consilio pro *Iustitia et Pace* apparato. Marxismus tam in revolutione mundiali quam in eius praeparatione indicaverat solutionem quaestionis socialis: per revolutionem et sequentem bonorum aequationem — ita tali asseverabatur in doctrina — omnia repente in diversam et meliorem rationem verti debebant. Somnium hoc evanuit. Difficili in condicione in qua hodie versamur quoque ob oeconomiae globalizationem, Ecclesiae doctrina socialis facta est fundamentale signum, quod valida proponit lineamenta ultra eam: quae quidem — prae rerum progressionem — in dialogo agitanda sunt cum omnibus qui de homine eiusque mundo veram adhibent curam.

28. Ad accuratius definiendam congruentiam inter necessarium studium pro iustitia et ministerium caritatis, ratio habeatur oportet de duabus praecipuis in re condicionibus:

a) Iustus societatis et Civitatis ordo fundamentale munus est rei politicae. Civitas quae non regitur iustitia, in magnam latronum manum redigitur, sicut dixit quondam Augustinus: «*Remota itaque iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia*». ¹⁸ Ad substantialem structuram christianismi distinctio pertinet inter ea quae sunt Caesaris et ea quae sunt Dei (cfr iii 22, 21), distinctio scilicet inter Civitatem et Ecclesiam vel, ut tenet Concilium Vaticanum II, rerum temporalium autonomia. ¹⁹ Civitas non debet religionem imponere, sed protegere eius libertatem nec non pacem inter variarum religionum asseclas; Ecclesia, sua ex parte, veluti sociale testimonium christia-

¹⁸ *De Civitate Dei*, IV, 4: CCL 47, 102.

¹⁹ Cfr Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 36.

nae fidei, sui iuris est et fide innixa vivit suam rationem communitariam, quam Civitas observare tenetur. Duae provinciae sunt distinctae, attamen mutuo se semper sociant.

Iustitia est finis et ideo etiam intrinseca cuiusque politicae mensura. Politica est plus quam simplex ars technica qua publicae ordinationes definiuntur: fons eius et finis reperiuntur nempe in iustitia, quae est ethicae indolis. Ita Civitas reapse facere non potest quin se interroget: quomodo hic et nunc iustitia est exsequenda? Sed haec interrogatio aliam secumfert maioris ponderis: quid est iustitia? Quaestio haec rationem practicam respicit; sed ut recte operari possit, ratio magis in dies est purificanda, quoniam eius obcaecatio ethica, proficiscens ex dominio lucri et potentiae, quae eam offuscat, periculum est quod numquam omnino profhgarari potest.

Hoc sub aspectu, res politica et fides conectuntur. Fides haud dubie propriam suam habet naturam, tamquam occursum cum Deo viventi — occursum qui aditum nobis dat ad novos prospectus extra proprium rationis ambitum. Sed simul ea est vis purificans eandem rationem. Procedens ex Dei consideratione, liberat eam ab eius obcaecationibus ideoque adiuvat eam ad meliorem sese reddendam. Fides rationi tribuit quo melius compleat munus suum meliusque hoc quod proprium est sibi intueatur. Hic reponitur catholica doctrina socialis: quae non vult Ecclesiae potestatem inferre in Civitatem. Neque iis qui fidem non participant imponere cupit prospectus et se gerendi modos huius proprios. Simpliciter prodesse cupit ad rationem purificandam suumque adiumentum afferre ita ut quod iustum habetur, hic et nunc agnosci ac postea ad rem perduci possit.

Doctrina Ecclesiae socialis argumentatur initium sumens a ratione et a naturali iure, id est ab eo quod congruit naturae cuiusque personae humanae. Novitque bene non esse munus Ecclesiae ut ipsamet huic doctrinae politico modo vigorem tribuat: consulere intendit formationi conscientiae in re politica et contendere ut aucescant sive perceptio verorum iustitiae postulato- rum, sive simul dispositio ad hoc modo agendum, etiam cum hoc contrarium est singulorum lucri. Hoc quidem significat aedificationem iustae ordinationis socialis et civilis, qua unicuique dabitur id quod ad ipsum pertinet, maximum esse munus quod singulae generationes oppetere debent. Cum agatur de munere politico, hoc nequit esse immediatum Ecclesiae negotium. At cum simul primarium hominis sit munus, Ecclesia, per mentis purificationem et ethicam institutionem, officium habet suam conferendi specificam industriam, ut iustitiae postulata intellegi et in ambitu politico perfici possint.

Ecclesia non potest nec debet sibi assumere politicam contentionem ut societatem quam iustissimam efficiat. Non potest nec debet locum Civitatis proprium occupare. Sed non potest nec debet quoque discedere a studio iustitiam reperiendi. Ingredi debet in eam per viam rationabilis argumentationis, atque spirituales suscitare vires, sine quibus iustitia, quae semper quoque renuntiationes expetit, nec sese extollere nec progredi valet. Iusta societas non potest esse opus Ecclesiae, sed a politicis illud procurari oportet. Attamen illius magnopere interest pro iustitia operari ut et mens aperiantur et voluntas boni postulationibus.

b) Amor — *caritas* — semper necessarius erit, in societate etiam admodum iusta. Nulla habetur iusta ordinatio civilis quae superfluum reddere possit ministerium amoris. Si quis de amore vult se subtrahere, prolabitur ad se ab homine velut homine eximendum. Semper dolor aderit in eo qui solacio indiget et auxilio. Semper aderit solitudo. Semper aderunt quoque condiciones materialis necessitatis, in quibus opus erit auxilium ferre intuitu veri erga proximum amoris.²⁰ Civitas quae omnibus providere vult, quae omnia in se amplectitur, efficitur denique burocratica instantia quae praestare nequit necessarium illud quo homo patiens — omnis homo — indiget: nempe benevola personali deditio. Non agitur de Civitate quae omnia constituat ac dominetur, sed potius de Civitate quae liberaliter agnoscat et foveat secundum subsidiariorum principium incepta quae oriuntur ex variis socialibus viribus et in quibus coniunguntur libera voluntas et proximitas hominibus auxilio indigentibus. Ecclesia una est ex his viventibus virtutibus: in ipsa palpitât amoris vis a Christi Spiritu suscitata. Amor hic hominibus non solum materiale praebet adiumentum, sed etiam refectionem et curam animae, auxilium saepe magis necessarium quam fulcimen materiale. Affirmatio, secundum quam iustae structurae opera caritatis superflua reddunt, revera abscondit materiale hominis conceptum: praesumptam scilicet opinionem secundum quam homo vivere potest « in pane solo » (*Mt* 4, 4; cfr *Dt* 8, 3) — persuasionem quae hominem humiliât et reapse id ignorat quod est specificum humanum.

29. Hoc modo aptius nunc determinare possumus, in vita Ecclesiae, nexum inter officium de honesta Civitatis societatisque institutione, una ex parte, et navitatem caritativam ordinatam, altera ex parte. Demonstratum est formationem iustarum structurarum non statim Ecclesiae esse officium,

²⁰ Cfr CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Directorium ministerii pastoralis Episcoporum *Apostolorum Successores* (22 Februarii 2004), 197, Città del Vaticano 2004, 2^a, 209.

sed ad ordinem politicum pertinere, ad ambitum scilicet rationis sui ipsius consciae. Ecclesiae in hoc est officium intermedium, quatenus ad rationis purificationem tribuere debet adque virium moralium instaurationem, sine quibus nec iustae suscitantur structurae, neque istae diu operari possunt.

Proximum operandi officium pro iusto in societate ordine pertinet tamen ad laicos fideles. Tamquam Civitatis participes vocantur ut in primis vitam publicam communicent. Propterea renuntiare eis non licet «multiplici et diversae actuositati oeconomicae, sociali, legislativae, administrativae et culturali ad *bonum commune* organice et ex instituto promovendum».²¹ Laici fideles hanc ob rem opus est ut socialem rite conforment vitam, eius legitimam observantes autonomiam atque ceteris cum civibus communiter operantes propria secundum officia et sua ex conscientia.²² Tametsi propria ecclesialis caritatis incepta numquam cum Civitatis industria misceri possunt, certum nihilominus manet caritatem debere totam fidelium laicorum pervadere vitam ac proinde politicam similiter eorum operam quae tamquam «socialis caritas»²³ impletur.

Caritatis institutiones Ecclesiae suum tamen *opus proprium* constituunt, munus ei omnino consentaneum, quo ipsa non veluti in latere cooperatur, sed uti subiectum recta via responsale agit, id efficiens quod eius respondet naturae.

Numquam Ecclesia a caritatis exercitatione liberari potest tamquam navitatis credentium communiter ordinatae et, altera ex parte, numquam condicio accidet in qua necessaria non sit caritas uniuscuiusque christiani, quandoquidem, praeter iustitiam ipsam, indiget et indigebit semper homo amore.

Ministerii caritatis hodiernis in socialibus adiunctis structurae multiplices

30. Antequam peculiarem definiamus indolem navitatis caritativae Ecclesiae in hominis commodum, velimus nunc oculos in generalem conicere condicionem illius certaminis pro iustitia et amore in huius temporis mundo.

a) Instrumenta communicationis universalis hodie nostram terram minorem reddiderunt, coniungendo velociter et sensibiliter homines et culturas prorsus diversas. Si istud «simul stare» nonnumquam etiam gignit dissensio-

²¹ IOANNES PAULUS II, Adhort. ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 42: AAS 81 (1989), 472..

²² Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, *Nota dottrinale circa alcune questioni riguardanti l'impegno e il comportamento dei cattolici nella vita politica* (24 Novembris 2002), 1: *L'Osservatore Romano*, 17 Ianuarii 2003, p. 6.

²³ *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1939.

nes atque contentiones, nihilominus quod nunc multo propius hominum necessitates cognoscimus, ante omnia secum incitationem adfert ut eorum conditionum participes simus atque difficultatum. Singulis diebus conscius sumus quantum in orbe homines patiantur, magnae quamvis factae sint in provincia scientiarum et technicae artis progressionis, ob multiformem tum materialem tum spiritualem miseriam. Hoc nostrum tempus novam igitur postulat dispositionem ad proximo indigenti occurrendum. Iam Concilium Oecumenicum Vaticanum II id in luce claris verbis posuit: « Quae actiones et opera praesenti tempore, communicationis instrumentis expeditioribus factis, distantia inter homines quodammodo evicta actio caritativa hodie omnes omnino homines et universas necessitates complecti potest et debet ».²⁴

Altera ex parte — quod est elementum provocatorium eodemque tempore adhortationis plenum ipsius processus globalizationis — praesens tempus ad nostrum usum innumerabilia ministrat instrumenta ad adiumentum praestandum fratribus egentibus humanitarium, et inter ea nostrae aetatis rationes ad cibum et vestimenta distribuenda, veluti etiam ad offerendam habitationem et hospitalitatem. Superatis communitatum nationalium finibus, sollicitudo de proximo hoc modo ad suos prospectus amplificandos tendit usque in mundum universum. Concilium Oecumenicum Vaticanum II merito animadvertit: « Inter signa nostri temporis speciali notatu dignus est crebrescens ille et ineluctabilis sensus solidaritatis omnium populorum ».²⁵ Civitatis instituta et associationes humanitariae inceptis ad hoc propositum directis aliis favent per subsidia vel deminutiones tributorum, aliis reddendo disponibles ingentes copias. Hoc modo solidaritas a societate civili expressa significanter actionem superat singulorum.

b) Hac in condicione ortae sunt ac creverunt, inter instituta civilia et ecclesiastica, numerosae novae formae operae consociatae quae fructuosae comparuerunt. Ecclesiae actiones, manifestae quidem suo in opere atque fidelitate ipsi officio amoris testificandi, christiano modo etiam animare poterunt civiles actiones, dum communem mutuam ordinationem fovebunt quae non poterit ministerii caritatis non adiuvere efficaciam.²⁶ Pariter formatae sunt, hoc in rerum contextu, multiplices consociationes cum propositis caritatis et humanitatis, quae operam dant ut coram quaestionibus socialibus et politicis praesentibus solutiones congruas attingant sub humanitatis ratione.

²⁴ Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, **8**.

²⁵ *Ibid*, **14**.

²⁶ Cfr CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Directorium ministerii pastoralis Episcoporum *Apostolorum Successores* (22 Februarii 2004), **195**, Città del Vaticano 2004, **2**, **207**.

Magni momenti nostro tempore sunt ortus et diffusio variarum formarum voluntariatus, quae in se ministeriorum multipliciter suscipiunt.²⁷ Velimus hic peculiarem vocem aestimationis gratique animi dirigere ad eos omnes qui, diversa sub forma, illam participant navitatem. Eiusmodi iam diffusum opus iuvenibus constituit scholam quandam vitae quae ad solidaritatem educat, ad promptitudinem non simpliciter aliquid offerendi, sed se ipsos. Adversae culturae mortis, quae exempli gratia in medicamentis stupefacti vis exprimitur, amor sic opponitur qui se ipsum non quaerit, sed omnino in disponibilitate ad « se ipsum amittendum » (cfr *Lc* 17, 33 et par.) pro proximo tamquam cultura vitae se patefacit.

Etiam in Ecclesia catholica et in aliis Ecclesiis atque Communitatibus ecclesialibus novae sunt ortae actuositatis caritativae formae, et antiquae formulae renovato cum impetu iterum apparuerunt. Formae nempe sunt ubi fieri potest ut felix nexus inter evangelizationem et caritatis opera instituat. Cupimus hic confirmare apertis verbis quod magnus Decessor Noster Ioannes Paulus II in Litteris Encyclicis *Sollicitudo rei socialis* protulit,²⁸ paratam scilicet mentem et catholicae Ecclesiae voluntatem cum declararet ad consilia communia cum Consociationibus caritativis istarum Ecclesiarum et Communitatum, quia nos omnes movemur secundum eiusdem praecipuae rationis causam et ante oculos idem habemus propositum: verum humanismum, qui in homine imaginem Dei agnoscit et adiuvere eum vult ad vitam conformem illi dignitati ducendam. Litterae Encyclicae deinde *Ut unum sint* hoc iterum extulerunt quod, ad mundi in melius progressionem, necessaria est vox communis christianorum, eorum officium pro « iurium ac necessitatum omnium, praesertim pauperum, iacentium, inermium, observantia ».²⁹ Cupimus hic gaudium Nostrum significare quia hoc desiderium amplam vocem resilientem toto in mundo in multis inceptis invenit.

Forma caritativae actuositatis Ecclesiae propria

31. Variarum consociationum augmentum, quae opus suscipiunt pro homine in variis ipsius necessitatibus, denique explanatur inde quod imperativus amor proximi a Creatore in ipsa hominis natura est inscriptus. Eiusmodi tamen incrementum consecrarium est etiam praesentiae religionis christianae in mundo, quae semper hoc imperatum ex novo excitat et capax reddit, saepe

²⁷ Cfr IOANNES PAULUS II, Adhort. ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 41: AAS 81 (1989), 470-472,

²⁸ Cfr n. 32: AAS 80 (1988), 556,

²⁹ N, 43: AAS 87 (1995), 946.

Il tema che propongo alla vostra considerazione è un versetto del Salmo 118 [119]: «*Lampada per i miei passi è la tua parola, luce sul mio cammino*». ² L'amato Giovanni Paolo II ha commentato così queste parole del Salmo: «L'orante si effonde nella lode della Legge di Dio, che egli adotta come lampada per i suoi passi nel cammino spesso oscuro della vita». ³ Dio si rivela nella storia, parla agli uomini e la sua parola è creatrice. In effetti, il concetto ebraico «*dabar*», abitualmente tradotto con il termine «parola», sta a significare tanto *parola* che *atto*. Dio dice ciò che fa e fa ciò che dice. Nell'Antico Testamento annuncia ai figli d'Israele la venuta del Messia e l'instaurazione di una «nuova» alleanza; nel Verbo fatto carne Egli compie le sue promesse. Lo evidenzia bene anche il *Catechismo della Chiesa Cattolica*: «Cristo, il Figlio di Dio fatto uomo, è la Parola unica, perfetta e definitiva del Padre, il quale in lui dice tutto, e non ci sarà altra parola che quella». ⁴ Lo Spirito Santo, che ha guidato il popolo eletto ispirando gli autori delle Sacre Scritture, apre il cuore dei credenti all'intelligenza di quanto è in esse contenuto. Lo stesso Spirito è attivamente presente nella Celebrazione eucaristica quando il sacerdote, pronunciando «*in persona Christi*» le parole della consacrazione, converte il pane e il vino nel Corpo e Sangue di Cristo, perché siano nutrimento spirituale dei fedeli. Per avanzare nel pellegrinaggio terreno verso la Patria celeste, abbiamo tutti bisogno di nutrirci della parola e del pane di Vita eterna, inseparabili tra loro!

Gli Apostoli hanno accolto la parola di salvezza e l'hanno tramandata ai loro successori come un gioiello prezioso custodito nel sicuro scrigno della Chiesa: senza la Chiesa questa perla rischia di perdersi o di frantumarsi. Cari giovani, amate la parola di Dio e amate la Chiesa, che vi permette di accedere a un tesoro di così alto valore introducendovi ad apprezzarne la ricchezza. Amate e seguite la Chiesa, che ha ricevuto dal suo Fondatore la missione di indicare agli uomini il cammino della vera felicità. Non è facile riconoscere ed incontrare l'autentica felicità nel mondo in cui viviamo, in cui l'uomo è spesso ostaggio di correnti di pensiero, che lo conducono, pur credendosi «libero», a perdersi negli errori o nelle illusioni di ideologie aberranti. E urgente «liberare la libertà», ⁵ rischiarare l'oscurità in cui l'umanità sta brancolando. Gesù ha

² v. 105.

³ *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XXIV/2, 2001, p. 715.

⁴ N. 65.

⁵ Enciclica *Veritatis splendor*, 86

indicato come ciò possa avvenire: « Se rimanete fedeli alla mia parola, sarete davvero miei discepoli; conoscerete la verità e la verità vi farà liberi». ⁶ Il Verbo incarnato, Parola di Verità, ci rende liberi e dirige la nostra libertà verso il bene. Cari giovani, meditate spesso la parola di Dio, e lasciate che lo Spirito Santo sia il vostro maestro. Scoprirete allora che i pensieri di Dio non sono quelli degli uomini; sarete portati a contemplare il vero Dio e a leggere gli avvenimenti della storia con i suoi occhi; gusterete in pienezza la gioia che nasce dalla verità. Sul cammino della vita, non facile né privo di insidie, potrete incontrare difficoltà e sofferenze e a volte sarete tentati di esclamare con il Salmista: «Sono stanco di soffrire». ⁷ Non dimenticate di aggiungere insieme con lui: « Signore, dammi vita secondo la tua parola... La mia vita è sempre in pericolo, ma non dimentico la tua legge». ⁸ La presenza amorevole di Dio, attraverso la sua parola, è lampada che dissipa le tenebre della paura e rischiarava il cammino anche nei momenti più difficili.

Scrivono l'Autore della Lettera agli Ebrei: « La parola di Dio è viva, efficace e più tagliente di ogni spada a doppio taglio; essa penetra fino al punto di divisione dell'anima e dello spirito, delle giunture e delle midolla e scruta i sentimenti e i pensieri del cuore». ⁹ Occorre prendere sul serio l'esortazione a considerare la parola di Dio come un'« arma » indispensabile nella lotta spirituale; essa agisce efficacemente e porta frutto se impariamo ad ascoltarla, per poi obbedire ad essa. Spiega il *Catechismo della Chiesa Cattolica*: « Obbedire (ob-audire) nella fede è sottomettersi liberamente alla Parola ascoltata, perché la sua verità è garantita da Dio, il quale è la Verità stessa ». ¹⁰ Se Abramo è il modello di questo ascolto che è obbedienza, Salomone si rivela a sua volta un ricercatore appassionato della sapienza racchiusa nella Parola. Quando Dio gli propone: « Chiedimi ciò che io devo concederti », il saggio re risponde: « Concedi al tuo servo un cuore docile ». ¹¹ Il segreto per avere « un cuore docile » è di formarsi un cuore capace di ascoltare. Ciò si ottiene meditando senza sosta la parola di Dio e restandovi radicati, mediante l'impegno di conoscerla sempre meglio.

Cari giovani, vi esorto ad acquistare dimestichezza con la Bibbia, a tenerla a portata di mano, perché sia per voi come una bussola che indica la strada da seguire. Leggendola, imparerete a conoscere Cristo. Osserva in

⁶ *Qv* 8, 31-32.,

⁷ *Sai* 118 [119], v. 107.

⁸ *Ibid.*, w. 107.109.

⁹ 4, 12.

¹⁰ N. 144

¹¹ *1 Re* 3, 5.9,

proposito San Girolamo: « L'ignoranza delle Scritture è ignoranza di Cristo ». ¹² Una via ben collaudata per approfondire e gustare la parola di Dio è la *lectio divina*, che costituisce un vero e proprio itinerario spirituale a tappe. Dalla *lectio*, che consiste nel leggere e rileggere un passaggio della Sacra Scrittura cogliendone gli elementi principali, si passa alla *meditatio*, che è come una sosta interiore, in cui l'anima si volge a Dio cercando di capire quello che la sua parola dice oggi per la vita concreta. Segue poi *Y oratio*, che ci fa intrattenere con Dio nel colloquio diretto, e si giunge infine alla *contemplatio*, che ci aiuta a mantenere il cuore attento alla presenza di Cristo, la cui parola è « lampada che brilla in luogo oscuro, finché non spunti il giorno e la stella del mattino si levi nei vostri cuori ». ¹³ La lettura, lo studio e la meditazione della Parola devono poi sfociare in una vita di coerente adesione a Cristo ed ai suoi insegnamenti.

Avverte San Giacomo: « Siate di quelli che mettono in pratica la Parola e non soltanto ascoltatori, illudendo voi stessi. Perché se uno ascolta soltanto e non mette in pratica la Parola, somiglia a un uomo che osserva il proprio volto in uno specchio: appena s'è osservato, se ne va, e subito dimentica com'era. Chi invece fissa lo sguardo sulla legge perfetta, la legge della libertà, e le resta fedele, non come un ascoltatore smemorato ma come uno che la mette in pratica, questi troverà la sua felicità nel praticarla » ¹⁴. Chi ascolta la parola di Dio e ad essa fa costante riferimento poggia la propria esistenza su un saldo fondamento. « Chiunque ascolta queste mie parole e le mette in pratica — dice Gesù — è simile a un uomo saggio che ha costruito la sua sulla roccia »: ¹⁵ non cederà alle intemperie.

Costruire la vita su Cristo, accogliendone con gioia la parola e mettendone in pratica gli insegnamenti: ecco, giovani del terzo millennio, quale dev'essere il vostro programma! E urgente che sorga una nuova generazione di apostoli radicati nella parola di Cristo, capaci di rispondere alle sfide del nostro tempo e pronti a diffondere dappertutto il Vangelo. Questo vi chiede il Signore, a questo vi invita la Chiesa, questo il mondo — anche senza saperlo — attende da voi! E se Gesù vi chiama, non abbiate paura di rispondergli con generosità, specialmente quando vi propone di seguirlo nella vita consacrata o nella vita sacerdotale. Non abbiate paura; fidatevi di Lui e non resterete delusi.

¹² PL 24, 17; Cfr Dei Verbum, 25.

¹³ 2 Pt 1, 19

¹⁴ 1, 22-25.

¹⁵ Mt 7, 24,

Cari amici, con la XXI Giornata Mondiale della Gioventù, che celebreremo il prossimo 9 aprile, Domenica delle Palme, intraprenderemo un ideale pellegrinaggio verso l'incontro mondiale dei giovani, che avrà luogo a Sydney nel luglio 2008. Ci prepareremo a questo grande appuntamento riflettendo insieme sul tema *Lo Spirito Santo e la missione*, attraverso tappe successive. Quest'anno l'attenzione si concentrerà sullo Spirito Santo, *Spirito di verità*, che ci rivela Cristo, il Verbo fatto carne, aprendo il cuore di ciascuno alla Parola di salvezza, che conduce alla Verità tutta intera. L'anno prossimo, 2007, mediteremo su un versetto del Vangelo di Giovanni: «*Come io vi ho amato, così amatevi anche voi gli uni gli altri*»¹⁶ e scopriremo ancor più a fondo come lo Spirito Santo sia *Spirito d'amore*, che infonde in noi la carità divina e ci rende sensibili ai bisogni materiali e spirituali dei fratelli. Giungeremo, infine, all'incontro mondiale del 2008, che avrà per tema: «*Avrete forza dallo Spirito Santo che scenderà su di voi e mi sarete testimoni*».¹⁷

Sin d'ora, in un clima di incessante ascolto della parola di Dio, invocate, cari giovani, lo Spirito Santo, *Spirito di forza e di testimonianza*, perché vi renda capaci di proclamare senza timore il Vangelo sino agli estremi confini della terra. Maria, presente nel Cenacolo con gli Apostoli in attesa della Pentecoste, vi sia madre e guida. Vi insegni ad accogliere la parola di Dio, a conservarla e a meditarla nel vostro cuore¹⁸ come Lei ha fatto durante tutta la vita. Vi incoraggi a dire il vostro «sì» al Signore, vivendo l'«obbedienza della fede». Vi aiuti a restare saldi nella fede, costanti nella speranza, perseveranti nella carità, sempre docili alla parola di Dio. Io vi accompagno con la mia preghiera, mentre di cuore tutti vi benedico.

Dal Vaticano, 22 Febbraio 2006, Festa della Cattedra di San Pietro Apostolo.

BENEDICTUS XVI PP.

¹⁶ 13, 34.

¹⁷ *Af* 1, 8.

¹⁸ *Cfr Lc* 2, 19.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIIS

PROVISIO ECCLESiarUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 8 Februarii 2006. — Cathedrali Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis de Araguaia Exc.mum P.D. Dominicum Mariam Ioannem Dionysium You, hactenus Episcopum titularem Auziensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

die 9 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Ierapitanae R.D. Franciscum Scharl, e clero archidioecesis Viennensis, hactenus in eadem civitate decanum et paroeciae «Resurrectionis Christi» curionem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 11 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Vagensi R.D. Andream Gazaille, e clero archidioecesis Marianopolitanae, hactenus paroeciae vulgo dictae «Saints-Martyrs-Canadiens, Visitation de la Vierge et Saint-Antoine-Marie-Claret» curionem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tagasensi R.D. Leonillum Gendrom, P.S.S., e clero archidioecesis Marianopolitanae, hactenus Societatis Presbyterorum a Sancto Sulpitio in Canada moderatorem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Marianopolitanae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tigitanae in Mauretania R.D. Thadaeum Bronakowski, e clero dioecesis Lomzensis ibidem Seminarii maioris Professorem Iuris Canonici et Procancellarium Curiae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Tarasensi in Byzacena, R.D. Petrum Iosephum Hundt, e clero dioecesis Hamiltonensis, hactenus paroeciae Sanctae Crucis apud Georgetown curionem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Torontinae.

die 11 Februarii 2006. — Titulari episcopali Ecclesiae Thubursicensi-Bure R.D. Aloisium Georgium Pena Vitral, e clero archidioecesis Bellohorizontinae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Galtellinensi R.D. Ioachimum Ioannem Mol Guimarães, e clero archidioecesis Bellohorizontinae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 17 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Othanensi R.D. Laurentium Ghizzoni, hactenus Vicarium Rectoris Operae Nationalis pro vocationibus et Rectorem Seminarii dioecesanii, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Regiensis in Aemilia-Guastallensis.

die 18 Februarii. — Praelaturae Territoriali Ayaviriensi R.D. Kay Martinum Schmalhausen Panizo, Sodalitii Christianae Vitae sodalem, hactenus Cappellanum apud centrum pro pastorali cura iuventutis universitariae « San Pablo » in archidioecesi Arequipensi et Professorem in eadem Universitate.

die 21 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Rivi Quarti Immaculatae Conceptionis, R.D. Eduardum Eliseum Martin, e clero dioecesis Cervi Lusci, ibique Vicarium Generalem et parochum.

die 1 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Fernensi R.D. Dionysium Brennan, e clero eiusdem dioecesis, hactenus paroeciae in Taghmon curionem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Troyniensi R.D. Radulfum Martin, e clero archidioecesis Bonaërens, ibique parochum, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Benedictus divina Providentia Pp. XVI, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 2 Ianuarii 2006. — Ordinariatui Militari in Indonesia, Exc.mum. P.D. Ignatium Suharyo Hardjoatmodjo, Archiepiscopum archidioecesis Semarangensis.

die 3 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Elephantariensi in Proconsulari R.D. Basilium Cho Kyu-man, Seminarii maioris Seulensis Professorem et Secretarium effectivum Conferentiae Episcopalis Coreae, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Seulensis.

die 5 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Equialbensi R.D. Gary Gordon, e clero Vancouveriensi, hactenus parochum et Delegatum episcopalem pro carceribus.

die 7 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Lueboënsi R.D. Petrum Caelestinum Tshitoko Mamba, e clero Kanangano et Rectorem Seminarii Philosophici Interdioecesani in oppido vulgo Kabwe.

die 12 Ianuarii. — Archiepiscopum coadiutorem Buakensem Exc.mum P.D. Paulum Simonem Ahouanan Djro, O.F.M., hactenus Episcopum Yamussukroënsis.

die 16 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Kiayiensi R.D. Ioannem Hung Shan-chun, S.V.D., hactenus Directorem Scholae Catholicae Kiayiensis et Professorem apud Universitatem Catholicam Taipehensem.

die 17 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Ratnapurensi R.D. Ioannem Tirlak Jayasundera, e clero Kandiensi, hactenus Seminarii maioris Kandiensis Professorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Pacatensi R.D. Paulum Hwang Cheol-soo, Cancellarium olim Curiae dioecesis Pusanensis, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 21 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Kabgayensi R.D. Smaragde Mboinyntege, hactenus Rectorem Seminarii maioris in oppido vulgo Nyakibanda.

die 25 Ianuarii 2006. — Exc.mum P.D. Antonium Ileri Mukobo, I.M.C., hactenus Episcopum titularem Runguniensem et Auxiliarem archidioecesis Nairobiensis, quem constituit Vicarium Apostolicum Isiolanum.

die 28 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Nongstoinensi, noviter constitutae in India, R.D. Victorem Lyngdoh, hactenus parochum cathedralis templi archidioecesis Shillongensis.

— Cathedrali Ecclesiae Iovaiensi, noviter constitutae in India, R.D. Vincentium Kympat, parochum et Directorem «Laity Formation Centre».

— Cathedrali Ecclesiae Gumlaënsi R.D. Paulum Aloisium Lakra, hactenus eiusdem circumscriptionis Administratorem dioecesanum.

die 31 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Ialpaiguriensi R.D. Clementem Tirkey, hactenus Vicarium Generalem dioecesis Bagdogranae.

die 2 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Belgaumensi R.D. Petrum Machada, e clero Karvarensi et parochum in oppido vulgo Kone.

die 3 Februarii. — Archiepiscopum coadiutorem Daeguensem Exc.mum P.D. Ioannem Choi Young-soo, hactenus Episcopum titularem Sitifensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 4 Februarii. — Episcopum coadiutorem Rurkelaënsis R.D. Ioannem Barwa, hactenus Superiorem provincialem Societatis Verbi Divini et Praesidem Conferentiae Religiosorum in India.

die 13 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Uzalensi R.D. Edmundum Pontianum Valenzuela Mellid, S.D.B., hactenus missionarium in Angola, quem constituit Vicarium Apostolicum Ciachensem in Paraquaria Natione.

die 18 Februarii. — Episcopum coadiutorem Lilongvensem Exc.mum P.D. Remigium Iosephum Gustavum Sainte-Marie, hactenus Episcopum dioecesis Dedzaënsis.

die 25 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Baniulensi R.D. Robertum Patricium Ellison, C.S.Sp., hactenus Secretarium generalem Congregationis S. Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae.

NOMINATIO

Peculiari dato decreto, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 10 Februarii 2006. — Exc.mum. P.D. Thomam Msusa, S.M.M., Episcopum Zombaënsis, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Mangociensis.

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Dei Servo Thomae Mariae Fusco Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Caritas Christi urget nos » (2 Cor 5, 14).

« Maior » Christi cruci affixi amor, qui in eius summi pretii Sanguine effuso manifestatur, Sacerdotem Thomam Mariam Fusco permovit eique interiorum spiritualitatis tribuit vim veluti apostolicam necessitatem, quae eum impulit ut omnibus omnia fieret, ut animas utique attingeret (cfr 1 Cor 9, 22). Hoc in ardenti studio peculiare eius charisma continetur, cultum scilicet complectens, qui Sanguinis Christi ad Caritatem extenditur atque ad apostolicam missionem, quae pupillas, pauperes, desertos amplectitur, quibus evangelica sollicitudine Patris dilectionem in Filio manifestatam detulit, qui suum per sanguinem mundum salvavit. Studiosus hic apostolus Evangeliique Caritatis testis die i mensis Decembris anno **MDCCCXXXI** Nucerae Paganorum ortus est, septimus ex octo liberis pharmacoplae Antonii et summo loco natae Stellae Giordano, qui vere christiani fuerunt parentes, qui eum eo ipso ortus die sacro fonte abluerunt. Sex annos natus matrem et decem patrem cum amisisset, patruo, sacerdote scilicet Iosepho Fusco, commissus est, qui eum in humanis spiritualibusque disciplinis instituit. Anno **MDCCCXLVI**, necessariorum voluntate Novitiatum Iesuitarum Neapolitanorum reliquit atque suam adfectans vocationem Seminarium dioecesanum ingressus est, et die xxn mensis Decembris anno **MDCCCLV** sacro ordine est auctus. Novensilis presbyter spiritualitatem Caritatis Pretiosissimi Sanguinis fovit, cuius fuit apostolus, aliorum persequens necessitates. Hac in apostolica industria eius multiplicia caritatis opera reperiabantur: scilicet schola gratuita, quae mane in eius domo agebatur, ut pauperiores pueri humano christianoque cultu promoverentur, cappella serotina iuvenibus grandibusque natu destinata, schola Theologica moralis sacerdotibus addicta, qui sese ad Paenitentiae ministerium comparabant, necnon « Consociatio Catholici Apostolatus Pretiosissimi Sanguinis Iesu Christi », quae anno **MDCCCLXII** condita est in Sacerdotum beneficium qui populis missionibus operam dabant, in quibus ipse mire eminuit. Eius in pueros

desertos studium atque Sanguinis Caritas effecerunt ut die vi mensis Februarii anno **MDCCCLXXIII** Nucerae Paganorum religiosa Congregatio Filiarum Caritatis Pretiosissimi Sanguinis constitueretur, quae in primo Orphanotrophio septem paupérrimas illius oppidi puellas susceperunt. Hodiernis temporibus eius a spiritalibus filiabus variis in Nationibus ipsius opera profertur.

Caritas igitur conspicuum in apostolico ministerio Venerabilis Dei Servi obtinuit locum, qui pauperum, derelictorum, peccatorum pater agnoscebatur, quique Iesu instar amabilitate ac misericordia reconciliare valuit. Cruci affixi amor, qui humanitatem dolentem complectitur, eum ad conveniendos omnes in necessitatibus versantes compellebat. Aequus fuit homo, virtutibus praeditus, praecipuis rebus studens, mitis sacerdos, operosus parochus, prudens Conditor, qui puellarum Sororumque necessitates curabat, in calumniae aerumnis fortis, Dei fidens Perdolentisque Virginis. Usque gloriam tantum Caritatis Pretiosissimi Sanguinis fratrumque bonum quaesivit, qui in medio illorum transiit mirabile veluti caritatis exemplar.

Omnino divina Caritate incensus, die xxiv mensis Februarii anno **MDCCCXCI**, Domino, quem ante omnia supraque omnia dilexerat, suam veri sacerdotis vitam concredidit, fidelis scilicet caritatis inimicorum que veniae testis.

Beatificationis canonizationisque Causa apud Nucerinam Paganorum Curiam anno **MCMLV** incohata est. Die xxiv mensis Aprilis anno **MMI** declaravimus ferventem hunc Apostolicum Missionarium heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas, exercuisse. Die **VII** mensis Iulii anno **MMI** Nobis adstantibus Decretum super miraculo prodiit, Venerabilis Dei Servi intercessionem adscripto, quod nonnullis ante annis evenit. Statuimus exinde ut beatificationis ritus Romae die **VII** mensis Octobris vertentis anni celebraretur. Hodie igitur inter sacra hanc ediximus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Narsetis Petri XIX, Patriarchae Ciliciae Armenorum, Huberti Luthe, Episcopi Essendiensis, Ioachimi Illiano, Episcopi Nucerini Paganorum-Sarnensis, Ioannis Claudii Cardinalis Turcotte, Archiepiscopi Marianopolitani, Sil vii Caesaris Bonicelli, Episcopi Parmensis, et Renardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Ignatius Maloyan, Nicolaus Gross, Alfonsus Maria Fusco, Thomas Maria Fusco, Aemilia Tavernier Gamelin, Eugenia Picco et Maria Euthymia Üffing Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Ignatii Maloyan sabbato proximo diei unde-

cimae Iunii, Nicolai Gross die vicesima tertia Ianuarii, Alfonsi Mariae Fusco die septima Februarii, Thomae Mariae Fusco die vicesima quarta Februarii, Aemiliae Tavernier Gamelin die vicesima tertia Septembris, Eugeniae Picco die septima Septembris et Mariae Euthymiae Uffing die nona Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis minime efficientibus rebus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Octobris anno Domini bis millesimo primo, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

88 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 68 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 505 103

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, **20** febbraio, S.E. il Signor **ALI ACHOUR**, Ambasciatore del Marocco.

Ha altresì ricevuto in Udienza:

Giovedì, **16** febbraio, S.E. il Signor **FOUAD SINIORA**, Presidente del Consiglio dei Ministri del Libano.

Venerdì, **24** febbraio, S.E. il Signor **ALFRED MOISIU**, Presidente della Repubblica di Albania.

Lunedì, **27** febbraio, S.E. la Signora **MICHAËLLE JEAN**, Governatore Generale del Canada.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

- 15 gennaio 2006 S.E.R. Monsignor Michael Louis Fitzgerald, Arcivescovo tit. di Nepte, finora Presidente del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso, *Nunzio Apostolico nella Repubblica Araba d'Egitto e Delegato presso l'Organizzazione della Lega degli Stati Arabi.*
- 25 febbraio » S.E.R. Mons. Fernando Filoni, Arcivescovo tit. di Volturno, finora Nunzio Apostolico in Iraq e in Giordania, *Nunzio Apostolico nelle Filippine.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

- 17 gennaio 2006 II Rev.do Dott. Andreas Thiermeyer, del clero della Diocesi di Eichstätt, Rettore del « Collegium Orientale, con sede in Eichstätt, *Consultore della Congregazione per le Chiese Orientali*.
- 20 » » L'Em.mo Signor Cardinale José Saraiva Martins, *Membro della Pontificia Commissione dello Stato della Città del Vaticano « ad quinquennium »*.
- » » » L'Em.mo Signor Cardinale Angelo Sodano «*usque ad octogesimum annum ae. s.* » e l'Em.mo Signor Cardinale Giovanni Battista Re « *in aliud quinquennium* », *Membri della Pontificia Commissione dello Stato della Città del Vaticano*.
- 13 febbraio » I Rev.di Mons. Pier Enrico Stefanetti, Stefano Sanchirico e Diego Giovanni Ravelli, *Cerimonieri Pontifici «ad quinquennium »*.
- 14 » » L'Em.mo Signor Cardinale Camillo Ruini, Vicario Generale per la Diocesi di Roma, *Presidente della Conferenza Episcopale Italiana « donec aliter provideatur »*.
- 20 » » Il Rev.do Mons. Giorgio Corbellini, *Vice Segretario Generale del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano « in aliud quinquennium »*.
- » » » Il Dott. Sabatino Napolitano, finora Vice-Direttore dei Servizi Economici del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano, *Direttore del medesimo ufficio « ad quinquennium »*.
- 21 » » L'Em.mo Signor Cardinale Attilio Nicora, Presidente dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, *Legato Pontificio per le Basiliche di San Francesco e di Santa Maria degli Angeli in Assisi*.
- 27 » » I Rev.di: P. Karl I. Becker, S.I.; P. Luis F. Ladaria, S.I.; P. Réal Tremblay, C.Ss.R.; Mons. Antonio Miralies, *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium »*.
- 2 marzo » S.E.R. Mons. José María Arancibia, Arcivescovo di Mendoza (Argentina), *Membro del Consiglio Speciale per l'America della Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi « ad quinquennium »*.
- 3 marzo » S.E.R. Mons. Giampaolo Crepaldi, Vescovo tit. di Bisarcio, *Segretario del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace « in aliud quinquennium »*.

NECROLOGIO

- | | | | |
|----|----------|------|--|
| 8 | febbraio | 2006 | Mons. David de Sousa, O.F.M. Arcivescovo em. di Évora
<i>[Portogallo]</i> . |
| 10 | » | » | Mons. Roger Froment, Vescovo em. di Tulle (<i>Francia</i>). |
| 17 | » | » | Mons. Manuel Tavares de Araújo, Vescovo em. di Caicó
<i>(Brasile)</i> . |
| 24 |)> | » | Mons. Desmond A. Williams, Vescovo tit. di Summa, già Au-
siliare di Dublin (<i>Irlanda</i>). |
| 25 | » | » | Mons. Florencio Coronado Romani, C.S.S.R., Vescovo em. di
Huancavelica (<i>Perù</i>). |

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

I

quibus Caietano Catanoso sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Iustus Dominus et iustitias dilexit, recti videbunt vultum eius » (*Ps* 10, 7).

Filius cum esset Dei, Caietanus Catanoso presbyter a puero iustitiam secundum Evangelium exercuit, in sanctitatis via alacriter ambulans et Christi Vultum fide amoreque contemplanus, qui absconditur in sacratissima Eucharistia, in Ecclesia, in pauperibus, quibus ille humiliter amanterque inservire solebat. Dignissimus hic sacerdos, quem universi «patrem» appellabant, die xiv mensis Februarii anno **MDCCCLXXIX** ortus est in oppido, populari loquela *Chorio di San Lorenzo* vocato, in vetustissima Rheginensi Ecclesia, cuius per manuum impositionem Cardinalis Ianuarii Portanova die xx mensis Septembris anno **MCMIII** presbyter factus est. Pastorale opus sustinuit annis **MCMIV-MCMXXI** in paroecia oppidi *Pentidattilo in Aspromonte* et **MCMXXI-MCMXL** annis in paroecia S. Mariae Purificationis Rheginensi in urbe. Moderator quoque fuit spiritus archiepiscopalis Seminarii, cappellanus Valetudinariorum Consociatorum et Carcerum urbanorum, confessarius monialium in claustro Visitationis necnon nonnullorum aliorum religiosorum Institutorum, paenitentarius

in Cathedrali templo ac denique Congregationis Sororum Veronicarum Vultus Sancti conditor. Quoquoersus suarum insignium virtutum sacerdotalium fragrantiam effudit, quas studiose, perseveranter ac simpliciter exercuit. Sanctitatem affectavit, Christi «lineamenta» exprimendo et filialem devotio- nem erga Dei Matrem colendo. Domini Vultus Sanctus eius mentem, eius ardorem eiusque apostolatam collustravit. Iterare solebat: «Vultus Sanctus mea est vita. Meum ipse est robur» et ipse cupiebat dicere «Sancti Vultus missionarium» se esse. Et ut Sanctus Vultus veram pietatem gignere posset, declarabat: «Si realem Iesu vultum adorare volumus, et non imaginem tantum, hunc vultum in divina Eucharistia reperimus». Eius sacerdotale ministerium, sacra liturgia, precatio, Dei Verbi meditatione enutritum, caritatis opera pro parvulis, senibus, aegrotis egit. Quod ad sociales rationes aiebat Dei regnum est regnum amoris: at quomodo aedificari potest amoris regnum, ubi iustitia, institutio et congruus vitae status praebere non possunt? ». Hac de causa in oppido commorans *Pentidattilo* vespertinam scholam ad iuvenes adultosque instituendos totis viribus instituit. Suae Congregationis Veronicis sororibus haec evangelizationis incepta demandavit: «Vultus Sancti missionariae eae sunt quae pauperes iuvant, quae parvulis Evangelium tradunt, quae morituris opem ferunt, quae sacerdotes senes aegrotosque curant, quae orant neque Iesum propter amorem inclusum in desertis templis solum deserant, qui ab omnibus relinquuntur». Eisdem sorores monebat: «Locus vester ille est quem ceteri detrectarunt, inter pauperrimam humillimamque gentem». Studiose amanterque spiritalem Seminarii tironum, sacerdotum populi curavit institutionem. Concorditer cum dioecesanis presbyteris vixit atque suos adamavit Archiepiscopos, qui eum magnopere existimarunt, cum eius opera prudentiaque frui semper possent. Usque ad postremos dies cum Deo inambulavit, eius adimplens voluntatem eiusque requirens voluntatem. Meritis onustus ac sanctitatis fama perfusus, die iv mensis Aprilis anno **MCMXXIII** in principali domo Congregationis quam condiderat pie suam terrestrem vitam complevit.

Beatificationis Canonizationisque causa Regii Iulii anno **MCMXXXI** est incohata. Decessor Noster Ioannes Paulus II anno **MCMXC** agnovit Patrem Caietanum Catanoso virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse, quem die iv mensis Maii anno **MCMXCVII** in Beatorum catalogum rettulit. Idem porro Decessor Noster novum miraculum comprobavit, quod anno **MMIII** accidit. Felici cum exitu die xxiv mensis Februarii hoc anno **MCMV** Patrum Cardinalium Episcoporumque habitum est Consistorium. Ioannes Paulus II statuit tandem ut Canonizationis Beati ritus Romae die xxiii mensis Octobris huius anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Iosephum Bilczewski, Caietanum Catanoso, Sigmundum Gorazdowski, Albertum Hurtado Cruchaga et Felicem a Nicosia Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem hunc caelitem magnificare, qui eximias dedit religiosae pietatis operositatisque testificationes. Exoptamus igitur ut salutifera eius exempla magno sint hominibus qui nunc sunt emolumento, quo ipsi Christi vultum clarius conspiciant.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco 88 Plumbi

In Secret. Status tab , n. 26.874

II

quibus Alberto Hurtado Cruchaga sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (Io 15, 5).

Verba haec continenter Beati Alberti Hurtado Cruchaga mores imbuerant, qui intima cum Domino coniunctione vixit. Contemplativus agens, docile divinae voluntatis fuit instrumentum et sic vivida Redemptoris evasit imago, mitis et humilis corde.

Testis hic Christi die xxn mensis Ianuarii anno **MCM** in oppido *Viña del Mar* Chiliensis nationis natus est. Puer patrem amisit. Mater domum vendere coacta, eum familiaribus curandum commisit. Studiorum bursa, ut aiunt, adiutus, Iesuitarum Collegium Sancti Iacobi in Chile adire potuit atque inibi sodalis factus est Marialis Congregationis. Illo iam tempore Sacras Paginas amanter lectitabat et eas meditabatur itemque spiritalibus exercitiis interesse solebat, frugifere suam animam aiens. Pauperes subinde invisebat, auxilium ferens et solacium.

Secundario expleto curriculo, Societatem Iesu ingredi voluit, sed ei suavis est ut matrem ac fratrem iuniorem iuaret, quibus ipse opus faciendo subvenit, etiam Studiorum Universitatis sumptum solvit: anno **MCMXXIII** lauream iuris est consecutus.

Tum Societatis Iesu novitiatum ingressus est, quo absoluto, anno **MCMXXV** Cordubam in Argentina adiit ubi humanitatis disciplinas perfecit. Anno **MCMXXVII** in Hispaniam missus est philosophicam theologicamque doctrinam consecuturus, at, persecutionis adversus Iesuitas causa, Belgium petere est coactus, ubi Lovanii theologicam scientiam est adeptus. Hic anno **MCMXXXIII**, mense Augusto, Ordine sacerdotali est auctus atque exinde anno **MCMXXXV** in paedagogia et psychologia doctoris gradum assecutus est. Mense tandem Ianuario anno **MCMXXXVI** in patriam remeavit, ubi apostolatus educationis que operam animose egit. Religionem in S. Ignatii Collegio docebat et paedagogiae disciplinam in Studiorum Universitate Catholica tradebat, in cuiusque vocatione detegenda iuvenes dirigebat, pauperioribus catechesim impertiebat necnon ad propriam intellegendam vocationem laicos iuvabat.

Die **II** mensis Februarii anno **MCMXLI** vota sollemnia in Societate Iesu nuncupavit. Ab anno **MCMXLI** ad annum **MCMXLIV** dioecesanus nationalisque fuit curator iuvenum Actionis Catholicae. Anno **MCMXLIV** in Sancti Iacobi

Chiliensi urbe institutum condidit «Hogar de Cristo». Hoc per inceptum indigentibus non modo domicilium commodare voluit, verum etiam locum ubi familiariter fraterneque viverent. Domus constituit iuvenibus, mulieribus, pueris recipiendis, agendo sane ut singuli sibi conscii essent «de civis, et plus etiam Dei filiorum dignitate». Complura quoque volumina scripsit et commentarium «Mensaje» condidit, ad doctrinam christianam sociale cognoscendam et diffundendam, cui ipse usque adhaesit.

Christi revera amore captus, Albertus in Dominum suum intuitum direxit: Evangelii sub lumine Christi vitae mysteria, eius rationem in terra cogitandi, vivendi et agendi, continenter contemplans, suam vicissim cogitandi, vivendi omnia in universum scilicet cotidianis in operibus faciendi, rationem Domini illis moribus magis magisque assimilavit atque conformis factus imaginis Dei Filii (cfr *Rom* 8, 29). His ex rebus christianarum virtutum exercitium et fidelis consiliorum evangelicorum observantia manabant.

In cotidiana eucharistica celebratione suum ipse cor cum Salvatoris corde coniungebat, qui dixit: «Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo» (*Io* 6, 56); cum silens coram Tabernaculo orationi vacaret, Domino dabat copiam eius Spiritum communicandi atque in suum animum illam flammam transferendi vivam bonitatis amorisque, quae eius animi notae et lineamenta fuerunt, quibus ille cum Iesu Christo coniunctus, homines conveniebat; inde facultates quoque oriebantur societatis necessitates percipiendi, in qua vivebat cuique necesse erat Evangelii lumen deferre. Cum Spiritui moventi obsequens esset, multifariam suam apostolicam operam ad Ecclesiae praescripta usque explicavit.

Pater Hurtado caritatem erga proximum manifestavit, peculiarem sollicitudinem in humanam christianamque indigentiorum promotionem conferens, in quibus Christi vultus detegitur; semper fidem aperte ostendit atque in omnibus fidelibus, laicis potissimum, officium inculcavit propriam catholicam identitatem videlicet in sociali etiam ambitu, patefaciendi cum iisdem significaret Corporis Christi veluti membra humanae societati aedificandae secundum iustitiam caritatemque eos operam dare.

Totam suam per vitam nullam suae actionis quaesivit agnitionem, cum id quod Patri placeret, cum Iesu coniunctus, facere semper vellet (cfr *Io* 8, 29). Aequabilis ac prudens in spiritali moderamine necnon in misericordiae susceptis operibus spiritus et corporis, in Ecclesiae Magisterio sequendo et Societatis Iesu Regulis servandis insignis fuit.

Gravi morbo correptus, inter dolores laetitiam ostendebat illius qui se Christo addicit, qui eum ad Se die xviii mensis Augusti anno **MCMII** vocavit.

Latam propter sanctitatis famam anno **MCMXXXVII** Beatificationis Canonizationisque Causa per Cognitionalem Processum est incohata. His iure sta-

tutis perfectis rebus, Decessor Noster Ioannes Paulus II die xvi mensis Octobris anno **MCMXCIV** sollemniter eum Beatum declaravit. Die xix mensis Aprilis anno **MMV** Decretum super miraculo prodiit, quod per Beati Alberti Hurtado intercessionem evenit. Faventibus Patribus Cardinalibus et Episcopis, in Consistorio anno **MMV** die xxiv superioris mensis Februarii coadunatis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II statuit ut Canonizationis ritus Romae die xxiii mensis Octobris huius anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Iosephum Bilczewski, Caietanum Catanoso, Sigismundum Gorazdowski, Albertum Hurtado Cruchaga et Felicem a Nicosia Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem hunc caelitem magnificare, qui eximias dedit religiosae pietatis operositatisque testificationes, quique totam suam vitam Deo omnino addixit atque pro Christi Ecclesiaeque amore suam Dei plebi industriam dicavit.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

EGO BENEDICTUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus



Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 26.528

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ITANAGARIENSIS

In India nova conditur dioecesis Itanagariensis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum nuper esset petitum ut in India dioecesis Tezpurensis ita divideretur ut nova dioecesis constitueretur ad aptius provehendam aeternam salutem Christifidelium ibidem degentium eorumque regimini efficacius consulendum, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Petri López Quintana, Archiepiscopi titulo Acropolitani atque in memorata Natione Apostolici Nuntii, admotae postulationi censuit esse concedendum. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A dioecesi Tezpurensi separamus territorium districtuum civilium *Tawang, West Kameng, East Kameng, Papum Pare, Upper Subasini, Lower Subasini, Kurung Kamey, West Siang, East Siang* et *Upper Siang*; ex iisque distractis locis novam condimus dioecesim Itanagariensem, patrio sermone «Itanagar» nuncupandam, quam metropolitanae Ecclesiae Guvahatinae suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus episcopalem sedem poni in civitate «Itanagar» atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Iosephi dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescriptissimus perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Petrus López Quintana, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Secret Status tab., n. 27.997

II

MIAOENSIS

In India nova conditur dioecesis Miaoensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pastorale munus, quod Nobis divinitus est concreditum, postulat ut illis circumscriptionibus ecclesiasticis prospiciamus ubi catholica religio in dies haud parva suscepit incrementa. In praesens visum est Nobis supplices preces excipere quae ad hanc Apostolicam Sedem pervenerunt, quibus petatum est ut dioecesis Dibrugarhensis in India divideretur novaque exinde dioecesis conderetur. Favente igitur eidem rei Venerabili Fratrem Petro López Quintana, Archiepiscopo titulo Acropolitano atque in India Apostolico Nuntio, concedimus ut tale inceptum ad rem perducatur. Quapropter, sententiam excipientes Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Nostra de Apostolica potestate, haec decernimus quae sequuntur. A dioecesi Dibrugarhensi distrahimus territorium districtuum civilium vulgo *Tirap, Changlang, Lohit, Anjaw, Lower Dibang Valley et Upper Dibang Valley*, ex quibus novam dioecesim Miaoensem nuncupandam erigimus ac constituimus. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Miao* statuimus, templumque ibi exstans, Deo in honorem Christi Luminis Gentium dicatum, ad gradum et dignitatem

ecclesiae Cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Novam erectam dioecesim Miaoensem suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Guvahatinae atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam declaramus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Petrum López Quintana, quem supra memoravimus, delegamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem quam diximus diligenter mittantur, contrariis rebus quibuslibet minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 27.694

III

NONGSTOINENSIS

In India nova conditur dioecesis Nongstoinensis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in India eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut ibidem nova constitueretur dioecesis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione,

omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Petri López Quintana, Archiepiscopi titulo Acropolitani atque in memorata Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. Ab archidioecesi Shillongensi separamus territorium districtus civilis «West Khasi Hills»; ex eoque novam condimus dioecesim Nongstoinensem, quam metropolitanae Ecclesiae Shillongensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in civitate *Nongstoin* templumque ibidem situm, Deo in honorem Sancti Petri Apostoli dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Petrus López Quintana, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodetricesimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

£8 ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. **SEPE**

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 27.696

IV

IOVAIENSIS

Nova in India conditur dioecesis Iovaiensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Vigili cum cura nitimur ut catholica fides in dies diffundatur et universas orbis ecclesiales communitates efficaciter contingat. Qua de causa Nostram huiusmodi convertimus mentem ad christifideles Shillongenses in India. Quoniam a Nobis petatum est ut Archidioecesis Shillongensis divideretur ad novam condendam ecclesiasticam circumscriptionem, hisce precibus libenti animo annuimus. Itaque, sententiam amplectentes Congregationis pro Gentium Evangelizatione, favente huic rei Venerabili Fratre Petro López Quintana, Archiepiscopo titulo Acropolitano et in India Apostolico Nuntio, quae sequuntur decernimus et iubemus. Territorium dictictus civilis vulgo *Jaintia Hills* ab archidioecesi quam diximus abstrahimus, ex quo novam dioecesim, Iovaiensem appellandam, constituimus. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Shillongensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam constituimus. Episcopalem eius sedem in urbe vulgo *Jowai* statuimus ibidemque exstans templum, Deo in honorem Sanctae Teresiae a Iesu Infante dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus, cunctis additis iuribus et privilegiis quae ad id genus sacras aedes pertinent. Cetera vero secundum canonicas leges adimpleantur. Haec quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Petro López Quintana, quem supra memoravimus, vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem curatori, necessarias tribuentes et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodetricesimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

£8 ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. **SEPE**

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 27 700

V

KYRGYZSTANIAE

Missio sui iuris in Republica Kyrgyzstaniae ad gradum Administrationis Apostolicae evehitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In Kyrgyzstania spiritali fidelium commoditati consulere volumus, ad quorum salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare festinamus, unde pusillus hic Domini grex affatim adolescat ipseque inter gentes Salvatoris bonum nuntium beneficiaque demonstret. Itaque, Apostolicae Nostrae potestatis suffulti Nos plenitudine, Missionem sui iuris in Republica Kyrgyzstaniae, Evangelii verbis praeceptisque inibi diffundentis destinatae, ad gradum dignitatemque Administrationis Apostolicae evehimus atque attollimus. Quod omne ad exsolvendum Venerabilem Fratrem Iosephum Wesolowski, Archiepiscopum titulo Slebtensem seu Sancti Fiaci inter montes atque in Kyrgyzstania Apostolicum Nuntium, constituimus, facta videlicet facultate quempiam virum ecclesiastica dignitate praeditum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die duodevicesimo mensis Martii, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 27.486

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Ascensioni Nicol Goni Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Omnis lingua confiteatur: "Dominus Iesus Christus!", in gloria Dei Patris» (*Philp 2, 11*).

»	»	»	Al sig.	Giancarlo Capodarca (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Francesco Figliuolo (<i>Italia</i>)
»	»	»	Al sig.	Luca Goretti (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Giuseppe Marchese (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Oswaldo Marzano (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Ruggero Meneghello (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Paolo Moschettoni (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Agatino Antonio Sarra Fiore (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Enzo Stefanini (<i>Italia-Ord.militare</i>)
20	»	»	Al sig.	Rocco Ianniello (Roma)
»	»	»	Al sig.	Andrea Ilari (Milano)
»	»	»	Al sig.	Amedeo Magnani (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Giuseppe Romeo (<i>Italia-Ord.militare</i>)
»	»	»	Al sig.	Luigi Carmine Tricarico (Terni-Narni-Amelia)
3	febbraio	»	Al sig.	Pietro Paolo Pirrottina (Roma)
4	marzo	»	Al sig.	Boniface Hammond (Cape Coast)
6	»	»	Al sig.	Heinrich Brentano (Köln)
»	»	»	Al sig.	Aldo Dante Chialina (Udine)
»	»	»	Al sig.	Felice Fanotto (Udine)
»	»	»	Al sig.	Antonino Giannetto (Trani-Barletta-Bisceglie)
11	»	»	Al sig.	Giovanni Battista Acerbi (La Spezia-Sarzana-Brugnato)
»	»	»	Al sig.	Claudio Annovi (Carpi)
»	»	»	Al sig.	Fabrizio Argiolas (Rieti)
»	»	»	Al sig.	Giuseppe Barbieri (Padova)
»	»	»	Al sig.	Vito Bardi (Napoli)
»	»	»	Al sig.	Raffaele Barontini (La Spezia-Sarzana-Brugnato)
»	»	»	Al sig.	Giancarlo Benincasa (La Spezia-Sarzana-Brugnato)
»	»	»	Al sig.	Ezio Berlusconi (Como)

11	marzo	2006	Al sig. Simone Di Meo (Napoli)
»	»	»	Al sig. Giulio Felletti (La Spezia-Sarzana-Brugnato)
»	»	»	Al sig. Armando Nunzio Ferrari (Carpi)
»	»	»	Al sig. Enzo Giacometti (Padova)
»	»	»	Al sig. Giuliano Guerreschi (Padova)
»	»	»	Al sig. Cosimo Lamusta (Rieti)
»	»	»	Al sig. Silvio Lazzarin (Padova)
»	»	»	Al sig. Liviano Marino (L'Aquila)
»	»	»	Al sig. Matteo Mazzeo (Padova)
»	»	»	Al sig. Walter Sartori (Treviso)
»	»	»	Al sig. Jacobus Joannes Wijnands (Roermond)
19	»	»	Al sig. Salvatore Pitò (Trapani)
»	»	»	Al sig. Andrea Quattrocchi (Velletri-Segni)
»	»	»	Al sig. Wolfram Simon (Freiburg im Breisgau)
»	»	»	Al sig. Ryszard Tur (Bialystok)
»	»	»	Al sig. Franz Wieser (Freiburg im Breisgau)
23	»	»	Al sig. Lucien Petrus de Moor (Breda)
25	»	»	Al sig. Roland Amali (Washington)
»	»	»	Al sig. James Clark (Washington)
»	»	»	Al sig. Steve Harlan (Washington)
»	»	»	Al sig. Fred Malek (Washington)
27	»	»	Al sig. Hans-Theodor Horn (Essen)
»	»	»	Al sig. Sean Staunton (Tuam)
30	»	»	Al sig. Rolando Baglioni (Roma)
»	»	»	Al sig. Luciano Firmani (Porto-Santa Rufina)
»	»	»	Al sig. Karl-Heinz Knubel (Münster)
»	»	»	Al sig. Mariano Micheli (Civita Castellana)
»	»	»	Al sig. Domenico Ronzullo (Roma)
3	aprile	»	Al sig. Massimo Angelini (Roma)
11	»	»	Al sig. Rosino Bertone (Vercelli)
»	»	»	Al sig. Daniele Bottinelli (Vercelli)
»	»	»	Al sig. Ferdinand Cloppenburg (Münster)
»	»	»	Al sig. Bruno Corsicato (Napoli)
»	»	»	Al sig. Klaus Donaubaue (Augsburg)
»	»	»	Al sig. Erich Josef Geßner (Augsburg)
»	»	»	Al sig. Hermann Haisch (Augsburg)
»	»	»	Al sig. Joachim Lehmann (Augsburg)
24	»	»	Al sig. Mattheus Dijker ('s-Hertogenbosch)
25	»	»	Al sig. Sylvester Igbudu (Okigwe)
»	»	»	Al sig. Roberto Lombardi (San Marino-Montefeltro)
»	»	»	Al sig. Hilary Obi (Okigwe)
»	»	»	Al sig. Antonio Saccone (San Marino-Montefeltro)
26	»	»	Al sig. Lieven Gorissen (Antwerpen)
»	»	»	Al sig. William Mubiru (Kampala)
»	»	»	Al sig. Aloysius Mutyaba Mukiibi (Kampala)
»	»	»	Al sig. Joseph Mary Sseremba (Kampala)

La Croce di Dama dell 'Ordine di San Silvestro Papa

5	gennaio	2006	Alla sig.ra Janine Langan (Toronto)
6	marzo	»	Alla sig.ra Maja Komorowska (Warszawa)
11	marzo	2006	Alla sig.ra Annachiara Perazzolo (Padova)
»	aprile	»	Alla sig.ra Ana Maria Preußner (Köln)
25	»	»	Alla sig.ra Elisabeth Alida Catharina Bot-Hoedjes (Haarlem)
»	»	»	Alla sig.ra Tania Ercolani (San Marino-Montefeltro)

NECROLOGIO

10	aprile	2006	Mons. Charles Joseph Henderson, Vescovo tit. di Tricala e già Vescovo Ausiliare di Southwark (<i>Gran Bretagna</i>).
15	»	»	Mons. José Méndez Asensio, Arcivescovo em. di Granada (<i>Spagna</i>).
18	»	»	Mons. Marcelino Correr, O.F.M. Cap., Vescovo em. di Carolina (<i>Brasile</i>).
19	»	»	Mons. Andrés María Rubio García, S.D.B., Vescovo em. di Mercedes (<i>Uruguay</i>).
20	»	»	Mons. Basil Filevich, Vescovo em. di Saskatoon degli Ucraini (<i>Canada</i>).
27	»	»	Mons. Dominio Khumalo J., O.M.I., Vescovo tit. di Capo della Foresta, già Vescovo Ausiliare di Durban (<i>South Africa</i>).
30	»	»	Mons. Charles G. Maloney, Vescovo tit. di Bardstown, già Vescovo Ausiliare dell' Arcidiocesi di Louisville (<i>Stati Uniti di America</i>).
1	maggio	»	Card. Raúl Francisco Primatesta, del Tit. della Beata Maria Vergine Addolorata a Piazza Buenos Aires.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio. Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

quibus Beato Felici a Nicosia Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Ad Dei sit amorem».

Verba haec, quae Beatus Felix a Nicosia saepenumero iterabat, ostendunt quam fervidus certusque fuerit eius in Deum amor, qui hominibus in Christo revelatur. Evangelii sic ac Francisci Assisiensis praecepta persequens, qui fratres cohortabatur ut Domini solummodo tenerent voluntatem Eidemque uni placerent, totum se Deo devovit.

Humilis hic frater Capuccinus, Siculae terrae filius, Nicosiae die v mensis Novembris anno **MDCCXV** ab egena religiosaque familia natus est. Litteris operam dare non potuit ideoque ad sutoriam artem adipiscendam est missus. Puer Confraternitati Capuccinuncolorum nomen dedit. Assidue Missae celebrationi itemque catecheticae doctrinae interesse solebat.

Cum se ad consecratam vitam vocari [^]sentiret, postulavit ut Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum laicus ingredi posset; sed primo id negatum est, quod anno tantum **MDCCXLIII** fieri potuit atque ad claustrum Mistrettae novitiatus causa missus est. Hoc iam tempore prompta oboedientia, continentiae spiritu, angelico candore eminebat. Die x mensis Octobris anno **MDCCXLIV** vota nuncupavit et deinde ad Nicosiae claustrum missus est,

ut mendicantis officium exerceret. Studiose suum munus egit, benefactoribus ex corde gratias referens atque iis ignoscens, qui eum aspere tractabant. Complura dedit ei dona Dominus, scilicet prophetiam cordiumque scrutationem, quae grato humilique animo ipse recepit. Eius praeterea intercessionem multa prodigia sunt adscripta. Probatis suis moribus fratres et quotquot mendicans conveniebat aedificavit, ita ut complures homines cuiusque ordinis ad eum auxilium solaciumque petituri concurrerent. Cunctis expetitum auxilium praebebat, quos etiam in Domini semitis dirigebat. Spirituali gaudio omnes christianas religiosasque virtutes exercuit atque ad sanctitatem iter constanter tenuit, universa amore fidelitateque complens cotidiana officia.

In Deum ac revelatas veritates firmiter credidit. Ut suam fidem aleret assidue orabat, Sacrae Scripturae loca adipisci studebat aliorumque spiritalium librorum, qui in claustro legebantur, necnon attente conciones audiebat. Sacram Eucharistiam, Beatam Virginem Mariam, Christi Passionem coluit, quam saepe meditabatur. Christi propter amorem peccata, etiam minus graviora, abhorrebat; moriturus est solatus, ut divinae misericordiae confiderent; infirmis animum addidit. Erga fratres caritatem exercuit, in illos quoque qui eum propter ipsius mores illudebant.

Sapiens fuit et in spiritali moderamine prudens erga eos qui eius consilium postulabant; contumelias doloresque sustinuit, parcus cibo quieteque fuit et is per multas paenitentias sensus cohibuit. Spectabiliter evangelica consilia servavit. Licet complures eum mirarentur, de se humiliter ipse sentiebat atque laudari nolebat.

Acerbo correptus morbo, quem perquam patienter tulit, spe laetitiaque mortem exspectavit, Christum conventurus, quod die xxxi mensis Maii anno **MDCLXXXVII** contigit.

Latam propter eius sanctitatis famam mense Iulio anno **MDCCCXXVIII** beatificationis canonizationisque Causa incohata est. His rite perfectis iure statutis, Decessor Noster Leo xni, die xn mensis Februarii anno **MDCCCLXXXVIII** in Beatorum numerum eum rettulit. Die vero xix mensis Aprilis anno **MMIV** coram venerato Decessore Nostro Ioanne Paulo II decretum super miraculo prodiit. Patribus Cardinalibus Episcopisque faventibus, in Consistorio die xxiv superioris mensis Februarii coadunatis, statuimus ut canonizationis ritus Romae die xxni mensis Octobris huius anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Iosephum Bilczewski, Caietanum Catanoso, Sigismundum Gorazdowski, Albertum Hurtado Cruchaga et Felicem a Nicosia Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuantes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

EGO BENEDICTUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco 83 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 26,357

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SOMBOTIENSIS

In Slovenia nova conditur dioecesis Sombotiensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Slovenorum fidelium spirituales necessitates diligentissime considerantes, studiosam operam damus ut illa in terra Evangelii praedicatio facilius commodiusque eveniat. Attenta igitur petitione Venerabilis Fratris Francisci Kramberger, tunc Episcopi Mariborensis, qui, audita Conferentia Episcoporum Sloveniae, ab Apostolica Sede enixe expostulavit ut, circumscriptionis ecclesiasticae sibi concreditaе dismembrato territorio, nova erigeretur dioecesis, Nosmet Ipsi, favorabili exstante sententia Venerabilis Fratris Sanctis Abril y Castellò, Archiepiscopi titulo Tamadensis et in Slovenia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, haec quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Mariborensi distrahimus integrum territorium Vicariatuum foraneorum vulgo nuncupatorum: *Lendava*, *Ljutomer* et *Murska Sobota* atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim Sombotiensem appellandam. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe *Murska Sobota* statuimus templumque ibidem paroeciale, Deo in honorem S. Nicolai dicatum, ad gradum evehimus ecclesiae Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim Sombotiensem Metropolitanae Ecclesiae Mariborensi suffraganeam facimus atque eius Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae Metropolitanae subicimus. Cetera cuncta ad Iuris Canonici normas exsolvantur. Ad haec tandem explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem quem diximus Fratrem Sanctem Abril y Castellò deputamus, necessarias eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis au-

thenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Aprilis, anno Domini bismillesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

83 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

83 IOANNES B. card. RE

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 35.602

II

NOVAE URBIS

In Slovenia nova conditur dioecesis Novae Urbis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Commodioribus condicionibus exstantibus in Slovenia, aptare studemus ibi ecclesiastica instituta. Cum igitur nuper Venerabilis Frater Aloisius Uran, Archiepiscopus Labacensis, audita Conferentia Episcoporum Sloveniae, ad efficacius consulendum spiritalibus christifidelium necessitatibus, postulaverit ab Apostolica Sede ut ex parte sibi concreditae circumscriptionis nova conderetur dioecesis, Nos huiusmodi propositum mature ponderavimus et, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Sanctis Abril y Castellò, Archiepiscopi titulo Tamadensis atque in Slovenia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, excipiendum indicavimus.

Quapropter de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis seiungimus ex territorio archidioecesis Labacensis partem quae amplectitur Vicariatus foraneos vulgo dictos: *Crnomelj, Kocevje, Leskovec, Novo Mesto, Trebnje* et *Zuzemberk*, insuper etiam paroeciam vulgo nuncupatam *Dote*, atque ex ita distracto territorio novam dioecesim constituimus *Novae Urbis* nomine appellandam.

Huius novae dicionis sedem in urbe *Novo Mesto* statuimus ac templum Deo in honorem sancti Nicolai dicatum in hac urbe situm ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam hanc dioecesanam communitatem obnoxiam facimus Congregationi pro Episcopis atque suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Labacensi eiusque Episcopum pro tempore subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Ecclesiae Metropolitanae. Cetera ad normam Iuris Canonici expediantur.

Ad haec Nostra mandata exsequenda destinamus Venerabilem Fratrem Sanctem Abril y Castellò, Archiepiscopum titulo Tamadensem atque in Slovenia Apostolicum Nuntium, omnes necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate iam constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus eiusdem peractae executionis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Aprilis, anno Domini bismillesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

EB ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

83 IOANNES B. card. **RE**

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Loco 93 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 35.606

III

MORAMANGANA

In Madagascaria nova conditur dioecesis Moramangana.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum esset petitum ut in Madagascaria nova dioecesis constitueretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque pariter eorum quorum interest votis, putans eiusmodi postulationem in animarum bonum esse cessuram, censuit eam accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A dioecesi Ambatondrazakaënsi separamus territorium districtuum civilium, qui patrio sermone nuncupantur *Moramanga, Anjiro, Andasibe, Amboasary* et *Anosibe an'ala*; ex eoque novam condimus dioecesim Moramanganam, quam Metropolitanæ Sedi Antananarivensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem in civitate *Moramanga* poni dum templum Sacri Cordis Iesu, in eadem civitate situm, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda committimus Venerabili Fratri Augustino Kasujja, Archiepiscopo titulo Caesariensi in Numidia atque in memorata Natione Apostolico Nuntio, qui, re acta, curabit sueta documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Maii, anno Domini bismillesimo sexto, Pontificatus Nostri secundo.

83 ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

CRESCENTIUM card. **SEPE**

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 35.706

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Eurosiae Fabris Barban Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mulier se ipsa invenire nequit nisi aliis amorem donando» (IOANNES PAULUS II, Epistula Apostolica *Mulieris dignitatem*, 30).

Venerabilis Dei Serva Eurosia Fabris, in humilitate ac simplicitate Franciscali, in Spiritu Sancto amavit (cfr *Rom* 5,5) omnes homines, quos Providentia posuit eius in terrestri itinere: maritum videlicet, filios plurimosque indigentes. Ita Divini Redemptoris vestigia secuta est atque operam dedit adiutricem Regno Dei in orbe terrarum propagando.

Fidelis haec Evangelii testis orta est die xxvii mensis Septembris anno **MDCCLXVI** in pago Quinto Vicentino de quadam christiana familia, quae breve post tempus Marolam transmigravit. Litterarum ludum primis annis frequentavit, at deinde necesse fuit ei in agris et domi auxiliari in operibus explendis. In adolescentia assidue legitabat libros Historiae Sacrae et docuit catechismum in paroecia.

Viginti annos nata operam praestare coepit apud Carolum Barban, proximum domi, qui viduus erat duobus cum filiabus. Amanter sese iis dicavit et impertivit puellis aequam institutionem religiosam. Die v mensis Maii anno **MDCCLXXXVI** nuptias iniit cum Carolo Barban, etiam ut melius pergeret iam inceptum caritatis servitium. Ex hoc coniugio, mundo et fecundo, novem filii sunt nati. Serva Dei diligenter munera explevit matris et sponsae, maritum fideliter amans eumque adjuvans ut indolis contineret impulsus, filios educans verbo ac exemplo eosque consiliis prudenter in vocationis discrimine. Tres eorum demum facti sunt sacerdotes. Insuper in domo sua alios quoque accepit pueros indigentes, praebens iis maternos affectus eosque educans in fide christiana. Ut familiae contribueret sustentationi, opus navabat sartricus.

Anno **MCMXX** nomen dedit Tertio Ordini Franciscali eiusque sedulo vixit spiritalia consilia. In quotidianis officiis explendis viam invenit ut ascenderei ad usque altiores gradus evangelicae perfectionis utque virtutes exerceret christianas. Nam verbo et exemplo testata est fidem eamque iis communica-

vit quibus occurrebat. Solas veras divitias aestimabat Deum amare, et revera amavit Eum cunctis viribus suis, in Eum firmiter credit, Eius voluntati adhaesit Eiusque «Sanctam Legem» observavit. Paradisi spes ei vim dedit plurimas aggrediendi difficultates et dolores. In tribulationibus fidenter se Patri caelesti committebat, quem constanter in oratione invocabat, saepe preces repetens et iaculatorias. Spiritualitatem suam aluit devotione in Sanctissimam Trinitatem, Iesu Passionem, Eucharistiam et Virginem Mariam, cuius Sanctuarium in Monte Berico frequenter peregrina petebat. Oboediens et docilis fuit erga Ecclesiae Magisterium atque singularem habuit reverentiam et aestimationem in Domini ministros.

Ferventer se dicavit catechesi tradendae et scholam consutionis, domi institutam, in vitae scholam commutavit pro tot puellis quas materne conducebat in vias Domini. Singularem curam habuit de orphanis deque personis afflictis moeroribus primi belli mundialis. Cum horrorem habuisset peccati, admonebat errantes et offerebat Domino preces et oblationes pro eorum conversione. Murmurationem effugiebat atque instrumentum fuit pacis et concordiae. Prudentia consilia sapientesque cohortationes praebuit suis filiis omnibusque a se auxilium petentibus, qui eius altam agnoscebant moralem rationem. Iusta erat cum omnibus, modesta in vestimentis ac suo corpori tantum stricte necessarium concedebat.

Doctrinam sequens sancti Francisci Assisiensis vixit in honesta decoraque paupertate seque contentam dicebat pauperem esse sicut Dominum Iesum. Numquam honores vel laudes cupiebat, sed humilis fuit ita ut se appellaret «pauperem peccatricem». In autumno anni **MCMXXXI** dolorosa infirmitate est affecta, quam forti animo et sine querela sustinuit. Insequenti anno mortua est die **VIII** mensis Ianuarii, et, antequam spiritum exhalaret, animam suam Domino commendavit, praemium sperans aeternum.

Propter diffusam famam sanctitatis, anno **MCMXXV** Episcopus Patavinus auctoritate sibi a Sancta Sede concessa beatificationis et canonizationis Causam incohavit cum celebratione Processus Cognitionalis. Rebus a iure requisitis rite peractis, coram Venerabili Decessore Nostro Ioanne Paulo II promulgatum est Decretum de virtutibus heroicis Venerabilis Servae Dei die vii mensis Iulii anno **MMIII**, ac deinde Decretum de miraculo eiusdem intercessioni adscripto die xxn mensis Iunii anno **MMIV**. Ideo statuimus ut ritus beatificationis Vicentiae ageretur die vi mensis Novembris anno **MMV**.

Hodie igitur Vicentiae de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Praefectus Congregationis de Cau-

sis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servam Eurosiam Fabris Barban:

Nos, vota Fratris Nostri Caesaris Nosiglia, Archiepiscopi Episcopi Vicentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Eurosia Fabris Barban Beatæ nomine in posterum appelletur, eiusque festum die nona Ianuarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet efficientibus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Novembris, anno **MMV**, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 26.358

II

Venerabili Dei Servæ Mariæ Piae Mastena caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Faciem tuam, Domine, exquiram» [*Ps* 27, 8). Pristinus psalmistae anhelitus magis pleniusque compleri non potuit quam in Christi vultu contemplando. In ipso nos Deus benedixit effecitque ut vultus suus super nos splenderet (cfr *Ps* 67, 2).

Verbis his in Litteris Apostolicis *Novo Millennio ineunte* (23) Summus Pontifex Ioannes Paulus II, recolendae memoriae, cuius in pontificatu Mariæ Piae Mastena Causa incohata est miraculum que comprobatum, summatim nuntium illum est complexus, in quo Venerabilis Dei Serva se reperiebat. Quibus verbis eiusdem Dei Servæ aequabantur voces, cuius fuit propositum ipsiusque Instituti «propagandi, reficiendi, restituendi in animabus Iesu vultus».

Maria Pia die **VII** mensis Decembris anno **MDCCCLXXXI** in oppido *Bovolone* Veronensis dioecesis Iulio Mastena et Maria Antonia Casarotti parentibus orta est, cuius nomen Teresia Maria. Novem annos nata sacrae Eucharistiae et Confirmationis suscepit sacramentum. Domi optime de christiana doctrina est instituta, quae puella castitatis votum nuncupavit eaque Eucharistiam et Virginem Mariam Immaculatam pientissime coluit nec non parvulos catechismum docuit. Scholis in nativo oppido absolutis, studia privatim egit.

Cum se ad vitam consecratam vocari animadverteret, aliquandiu expectavit, usque dum anno **MCM** Veronae inter Sorores Misericordiae est recepta, atque anno **MCMIII** vota nuncupavit, nomen suscipiens Sororem Passiteam. Magistrae gessit munus atque anno **MCMVIII** in oppidum *Miane* se contulit, ubi antistitae ac municipalis magistrae sustinuit officium, atque consecrationi fidelis, apostolico studio erga adulescentes, dolentes et vocationes praestitit.

Anno **MCMXXVII** contemplativa vita magnopere pellecta, monasterium Cisterciense S. Iacobi Vegliensis Cenetensis tunc dioecesis (nunc Victoriensis Venetorum) est ingressa, quae die n mensis Iunii eiusdem anni vestimentum religiosum sumpsit eique nomen Mariae Piae inditum idque semper servatum est. Claustri in silentio et in oratione animadvertit se a Domino ad novam Congregationem condendam vocari, ideoque Eugenii Beccegato, illius sedis Episcopi, suasu, monasterium reliquit et docendi munus repetiit. Anno **MCMXXX** in oppido *San Fior di Sopra* Tarvisinae dicionis Institutum Sancti Vultus condidit, quod, nonnullis superatis difficultatibus, in Congregationem dioecesani iuris est conversum, cuius fuit propositum in locis derelictis missionale redemptionis munus explicare, gratuito pauperes curare, parvulos, pupillos, puellas iuvare aliaque id genus opera tueri.

Mater Mastena suis sodalibus solidam spiritalitatem praebuit, in quam Christus medium teneret locum. Ipsi die xv mensis Novembris anno **MCMXXvi** scripsit: « Sancti Vultus sumus religiosae, videlicet deformati, lacerati, spinis perforati, sputis respersi, alapis verberati. Quid volumus nisi ut simus spiritale eius perfectissimum exemplar? ». Quod aliis tradebat, id ipsa summa diligentia observabat.

Anno **MCMXLVI** Apostolica Sedes pontificiam comprobationem novae Congregationi tribuit. Cum haec iam varia Italiae loca attingeret, postremos vitae annos suam ipsius vitam sanctificans exegit et curans item Institutum antistita generalis, donec Deum conveniret, quod Romae die xxvni mensis Iunii anno **MCM** accidit.

Sanctitatis fama, quam vivens habuit, post eius mortem est producta, idcirco apud Vicariatum Urbis beatificationis canonizationisque Causa est celebrata: coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II die v mensis Iulii anno MMiii de virtutibus heroum in modum exercitis itemque die xxn mensis Iunii anno **MMV** de miraculo, intercessioni Mariae Piae Mastena adscripto, prodiit Decretum. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus Romae die xin mensis Novembris anno **MMV** celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Prater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servam Mariam Piam Mastena adscribimus.

Nos vota Fratrum Nostrorum Claudii Rault, Episcopi Laghuatensis, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana Dioecesi, et Hygini Reali, Episcopi Portuensis-Sanctae Rufinae, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Carolus de Foucauld, Maria Pia Mastena et Maria Crucifixa Curcio Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caroli de Foucauld die prima Decembris, Mariae Piae Mastena die vicesima septima Iunii et Mariae Crucifixae Curcio die quarta Iulii, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Laudabilis haec mulier insignes pietatis suo tempore dedit testificationes, quoniam suam vitam Deo omnino consecra vit, proximis praesertim pauperibus ac derelictis inserviens. Nos autem, de eius virtutum exemplo breviter edocti nec non Dei praesidio firmati, contendamus hanc praestabilem mulierem imitandam, quo expeditius faciliusque sustineamus difficultates atque, terrestribus posthabitis rebus, mentem ad caelestia iugiter convertamus.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xin mensis Novembris, anno **MMV**, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

HOMILIAE**I****Quinto recurrente Centenario a condita Pontificia Cohorte Helvetica.***

Cari fratelli e sorelle!

Quest'anno stiamo commemorando alcuni avvenimenti significativi accaduti nel 1506, giusto cinquecento anni or sono: il ritrovamento del gruppo scultoreo del Laocoonte, a cui si fa risalire l'origine dei Musei Vaticani; la posa della prima pietra di questa Basilica di San Pietro, riedificata sopra quella costantiniana; e la nascita della Guardia Svizzera Pontificia. Oggi in modo speciale intendiamo ricordare quest'ultimo evento. In effetti, il 22 gennaio di 500 anni fa le prime 150 Guardie giunsero a Roma per espressa richiesta del Papa Giulio II ed entrarono al suo servizio nel Palazzo Apostolico. Quel corpo scelto fu ben presto chiamato a dimostrare la sua fedeltà al Pontefice: nel 1527 Roma fu invasa e saccheggiata e il 6 maggio, 147 Guardie Svizzere caddero uccise per difendere il Papa Clemente VII, mentre le rimanenti 42 lo portarono in salvo a Castel Sant'Angelo. Perché ricordare oggi questi fatti così lontani, avvenuti in una Roma e in un'Europa tanto diverse dalla situazione attuale? Anzitutto per rendere onore al Corpo delle Guardie Svizzere, che da allora è stato sempre riconfermato nella sua missione, anche nel 1970 quando il servo di Dio Paolo VI sciolse tutti gli altri corpi militari del Vaticano. Ma, al tempo stesso, e soprattutto, richiamiamo alla memoria questi avvenimenti storici per trarne insegnamento, alla luce della Parola di Dio. Le Letture bibliche dell'odierna liturgia ci vengono incontro a tal fine e Cristo Risorto, che celebriamo con speciale gioia nel tempo pasquale, ci apre la mente all'intelligenza delle Scritture,¹ perché possiamo riconoscere il disegno di Dio e seguire la sua volontà.

Die erste Lesung stammt aus dem Buch der Weisheit, das nach der Überlieferung dem großen König Salomo zugeschrieben wird. Dieses Buch ist ein einziger Lobeshymnus auf die göttliche Weisheit, die als der kostbarste Schatz dargestellt wird, den der Mensch ersehnen und entdecken kann, als

* Die 6. Maii 2006

¹ Cfr Lc 24, 45.

das höchste Gut, von dem alle anderen Güter abhängen. Für die Weisheit lohnt es sich, auf alles andere zu verzichten, denn nur sie gibt dem Leben letzten Sinn — einen Sinn, der selbst den Tod überwindet, weil sie in eine wirkliche Gemeinschaft mit Gott führt. Die Weisheit, sagt der Text, »schafft Freunde Gottes«² — eine wunderschöne Formulierung, die einerseits den »gestaltenden« Aspekt hervorhebt, daß nämlich die Weisheit die Persönlichkeit formt und sie in innerem Wachstum zur Vollendung ihrer Reife gelangen läßt, und die zugleich besagt, daß diese Fülle des Lebens in der Freundschaft mit Gott besteht, in der innigen Übereinstimmung mit seinem Sein und seinem Wollen. Der innere Ort, in dem die göttliche Weisheit wirkt, ist der, den die Bibel das Herz nennt, es ist der geistige Mittelpunkt der Person. Darum haben wir im Ritornell des Antwortpsalms gebetet: »Gib uns, o Gott, die Weisheit des Herzens!« Der Psalm 89 [90] erinnert dann daran, daß diese Weisheit demjenigen gewährt wird, der lernt, seine »Tage zu zählen«,³ das heißt der erkennt, daß alles andere im Leben flüchtig, vergänglich, hingällig ist und daß der sündige Mensch sich vor Gott nicht verstecken kann und darf, sondern sich als das erkennen muß, was er ist: als Geschöpf, das des Erbarmens und der Gnade bedürftig ist. Wer diese Wahrheit akzeptiert und sich vorbereitet, um die Weisheit aufzunehmen, der empfängt sie als Geschenk.

So lohnt es sich also, zugunsten der Weisheit auf alles zu verzichten. Dieses Thema des »Loslassens«, um zu »finden« steht im Zentrum des Abschnittes aus dem 19. Kapitel des Matthäus-Evangeliums, den wir soeben gehört haben. Nach der Episode des »reichen Jünglings«, der nicht den Mut gehabt hatte, sich von seinem »großen Vermögen« zu trennen, um Jesus nachzufolgen,⁴ fragt der Apostel Petrus den Herrn, welchen Lohn sie, die Jünger, erhalten werden, die »alles verlassen« haben, um bei ihm zu bleiben.⁵ Die Antwort Christi offenbart die grenzenlose Weite seines Herzens: Er verspricht den Zwölfen, daß sie an seiner Herrschaft über das neue Israel teilhaben werden; dann sichert er allen zu, daß »jeder, der um seines Namens willen« die irdischen Güter »verlassen hat«, »dafür das Hundertfache erhalten und das ewige Leben gewinnen« wird.⁶ Wer sich für Jesus entscheidet, findet den größten Schatz, die kostbare Perle,⁷ die allem übrigen Wert verleiht,

² *Weish* 7, 27.

³ *v.* 12

⁴ Vgl. *Mt* 19, 22.

⁵ Vgl. *Mt* 19, 27.

⁶ Vgl. *Mt* 19, 29.

⁷ Vgl. *Mt* 13, 44-46.

denn er ist die fleischgewordene göttliche Weisheit,⁸ die in die Welt gekommen ist, damit die Menschheit das Leben in Fülle habe.⁹ Und wer die überragende Güte, Schönheit und Wahrheit Christi, in dem die ganze Fülle Gottes wohnt,¹⁰ aufnimmt, der tritt zusammen mit ihm ein in sein Reich, wo die Wertmaßstäbe dieser Welt verfallen und sogar auf den Kopf gestellt werden.

L'une des plus belles définitions du Règne de Dieu, nous la trouvons dans la deuxième lecture, un texte qui appartient à la partie exhortative de la *Lettre aux Romains*. L'apôtre Paul, après avoir exhorté les chrétiens à se laisser toujours guider par la charité et à ne pas être objets de scandale pour ceux qui sont faibles dans la foi, rappelle que le Règne de Dieu «est justice, paix et joie dans l'Esprit Saint».¹¹ Et il ajoute: «Celui qui sert le Christ de cette manière-là plaît à Dieu, et il est approuvé par les hommes. Recherchons donc ce qui contribue à la paix et ce qui nous associe les uns aux autres en vue de la même construction».¹² «Ce qui contribue à la paix» constitue une expression synthétique et accomplie de la sagesse biblique, à la lumière de la révélation du Christ et de son mystère de salut. La personne qui a reconnu en Lui la Sagesse faite chair et qui a laissé tout le reste pour Lui devient «artisan de paix», tant dans la communauté chrétienne que dans le monde; cela signifie qu'elle devient semence du Règne de Dieu qui est déjà présent et qui grandit jusqu'à sa pleine manifestation. Dans la perspective du binôme Sagesse-Christ, la Parole de Dieu nous offre cependant une vision accomplie de l'homme dans l'histoire: la personne qui, fascinée par la sagesse, la cherche et la trouve en Christ laisse tout pour Lui, recevant en échange le don inestimable du Règne de Dieu et, revêtue de tempérance, de prudence, de justice et de force — les vertus «cardinales» —, elle vit dans l'Eglise le témoignage de la charité.

On pourrait se demander si cette vision de l'homme peut constituer un idéal de vie également pour les hommes de notre temps, en particulier pour les jeunes. Que cela soit possible, les innombrables témoignages de vie chrétienne, personnelle et communautaire, qui font encore aujourd'hui la richesse du Peuple de Dieu pèlerin dans l'histoire, le démontrent. Parmi les multiples expressions de la présence des laïcs dans l'Eglise catholique, il y a aussi celle

⁸ Vgl. *Joh* 1, 14.

⁹ Vgl. *Joh* 10, 10,

¹⁰ Vgl. *Kol* 2, 9,

¹¹ *Rm* 14, 17.

¹² *Rm* 14, 18-19.

tout à fait particulière des Gardes Suisses Pontificaux, ces jeunes qui, motivés par l'amour du Christ et de l'Eglise, se mettent au service du Successeur de Pierre. Pour certains d'entre eux, l'appartenance à ce Corps de garde est limitée à une période dans le temps, pour d'autres elle se prolonge jusqu'à devenir le choix de toute leur vie. Pour quelques-uns, et je le dis avec une grande satisfaction, le service au Vatican les a conduits à mûrir la réponse à une vocation sacerdotale ou religieuse. Pour tous cependant, être Garde Suisse signifie adhérer sans réserve au Christ et à l'Église, en étant prêt à donner sa vie pour cela. Le service effectif peut cesser, mais au-dedans on reste toujours Garde Suisse. C'est le témoignage qu'ont voulu donner environ quatre-vingts anciens Gardes qui, du 7 avril au 4 mai, ont accompli une marche extraordinaire de la Suisse jusqu'à Rome, en suivant au maximum l'itinéraire de la Via Francigena.

A ciascuno di loro e a tutte le Guardie Svizzere desidero rinnovare il mio più cordiale saluto. Unisco nel ricordo le Autorità venute appositamente dalla Svizzera e le altre Autorità civili e militari, i Cappellani che hanno animato con il Vangelo e l'Eucaristia il quotidiano servizio delle Guardie, come pure i numerosi familiari ed amici. Cari amici, per voi e per i defunti del vostro Corpo offro in modo speciale questa Eucaristia, che segna il momento spiritualmente più alto della vostra festa. Alimentatevi del Pane eucaristico e siate in primo luogo uomini di preghiera, perché la divina Sapienza faccia di voi degli autentici amici di Dio e servitori del suo Regno di amore e di pace. Nel Sacrificio di Cristo assume pienezza di significato e di valore il servizio offerto dalla vostra lunga schiera in questi 500 anni. Facendomi idealmente interprete dei Pontefici che nel corso dei secoli il vostro Corpo ha fedelmente servito, esprimo il meritato e sentito ringraziamento, mentre, guardando al futuro, vi invito ad andare avanti *acriter et fideliter*, con coraggio e fedeltà. La Vergine Maria e i vostri Patroni san Martino, san Sebastiano e san Nicola di Flüe vi aiutino a svolgere il vostro quotidiano lavoro con generosa dedizione, sempre animati da spirito di fede e di amore per la Chiesa.

II

In presbyteralibus ordinationibus.*

y

Cari Fratelli e Sorelle, cari Ordinandi

\.

In quest'ora nella quale Voi, cari amici, mediante il Sacramento di ordinazione sacerdotale, venite introdotti come pastori al servizio del grande Pastore Gesù Cristo, è il Signore stesso che nel Vangelo ci parla del servizio a favore del gregge di Dio. L'immagine del pastore viene da lontano. Nell'antico Oriente i re solevano designare se stessi come pastori dei loro popoli. Nell'Antico Testamento Mose e Davide, prima di essere chiamati a diventare capi e pastori del Popolo di Dio, erano stati effettivamente pastori di greggi. Nei travagli del periodo dell'esilio, di fronte al fallimento dei pastori d'Israele, cioè delle guide politiche e religiose, Ezechiele aveva tracciato l'immagine di Dio stesso come del Pastore del suo popolo. Dice Dio tramite il profeta: « Come un pastore passa in rassegna il suo gregge..., così io passerò in rassegna le mie pecore e le radunerò da tutti i luoghi dove erano disperse nei giorni nuvolosi e di caligine».¹ Ora Gesù annunzia che quest'ora è arrivata: Egli stesso è il Buon Pastore nel quale Dio stesso si prende cura della sua creatura, l'uomo, raccogliendo gli esseri umani e conducendoli al vero pascolo. San Pietro, al quale il Signore risorto aveva dato l'incarico di pascere le sue pecorelle, di diventare pastore con Lui e per Lui, qualifica Gesù come *Y«archipoimen»* — l'arcipastore,² e con ciò intende dire che si può essere pastore del gregge di Gesù Cristo soltanto per mezzo di Lui e nella più intima comunione con Lui. E proprio questo che si esprime nel Sacramento dell'Ordinazione: il sacerdote mediante il Sacramento viene totalmente inserito in Cristo affinché, partendo da Lui e agendo in vista di Lui, egli svolga in comunione con Lui il servizio dell'unico Pastore Gesù, nel quale Dio, da uomo, vuole essere il nostro Pastore.

Il Vangelo che abbiamo ascoltato in questa domenica è soltanto una parte del grande discorso di Gesù sui pastori. In questo brano il Signore ci dice tre cose sul vero pastore: egli dà la propria vita per le pecore; le conosce ed esse lo conoscono; sta a servizio dell'unità. Prima di riflettere su queste tre

* Die 7 Mäi 2006

¹ Ez 34, 12.² Cfr 1 Pt 5, 4.

caratteristiche essenziali dell'essere pastori, sarà forse utile ricordare brevemente la parte precedente del discorso sui pastori nella quale Gesù, prima di designarsi come Pastore, dice con nostra sorpresa: «Io sono la porta».³ E attraverso di Lui che si deve entrare nel servizio di pastore. Gesù mette in risalto molto chiaramente questa condizione di fondo affermando: «Chi... sale da un'altra parte, è un ladro e un brigante».⁴ Questa parola «sale» — «ava-βαivsi» in greco — evoca l'immagine di qualcuno che si arrampica sul recinto per giungere, scavalcando, là dove legittimamente non potrebbe arrivare. «Salire» — si può qui vedere anche l'immagine del carrierismo, del tentativo di arrivare «in alto», di procurarsi una posizione mediante la Chiesa: servirsi, non servire. E l'immagine dell'uomo che, attraverso il sacerdozio, vuole farsi importante, diventare un personaggio; l'immagine di colui che ha di mira la propria esaltazione e non l'umile servizio di Gesù Cristo. Ma l'unica ascesa legittima verso il ministero del pastore è la croce. E questa la vera ascesa, è questa la vera porta. Non desiderare di diventare personalmente qualcuno, ma invece esserci per l'altro, per Cristo, e così mediante Lui e con Lui esserci per gli uomini che Egli cerca, che Egli vuole condurre sulla via della vita. Si entra nel sacerdozio attraverso il Sacramento — e ciò significa appunto: attraverso la donazione di se stessi a Cristo, affinché Egli disponga di me; affinché io Lo serva e segua la sua chiamata, anche se questa dovesse essere in contrasto con i miei desideri di autorealizzazione e stima. Entrare per la porta, che è Cristo, vuol dire conoscerlo ed amarlo sempre di più, perché la nostra volontà si unisca alla sua e il nostro agire diventi una cosa sola col suo agire. Cari amici, per questa intenzione vogliamo pregare sempre di nuovo, vogliamo impegnarci proprio per questo, che cioè Cristo cresca in noi, che la nostra unione con Lui diventi sempre più profonda, cosicché per il nostro tramite sia Cristo stesso Colui che pasce.

Guardiamo ora più da vicino le tre affermazioni fondamentali di Gesù sul buon pastore. La prima, che con grande forza pervade tutto il discorso sui pastori, dice: il pastore dà la sua vita per le pecore. Il mistero della Croce sta al centro del servizio di Gesù quale pastore: è il grande servizio che Egli rende a tutti noi. Egli dona se stesso, e non solo in un passato lontano. Nella sacra Eucaristia ogni giorno realizza questo, dona se stesso mediante le nostre mani, dona sé a noi. Per questo, a buona ragione, al centro della vita sacerdotale sta la sacra Eucaristia, nella quale il sacrificio di Gesù sulla croce

³ Gv 10, 1.

⁴ Gv 10, 1.

rimane continuamente presente, realmente tra di noi. E a partire da ciò impariamo anche che cosa significa celebrare l'Eucaristia in modo adeguato: è un incontrare il Signore che per noi si spoglia della sua gloria-di-ràa7si lascia umiliare fino alla morte in croce e così si dona a ognuno od noi. E molto importante per il sacerdote l'Eucaristia quotidiana, nella quèdesi espone sempre di nuovo a questo mistero; sempre di nuovo pone se stesso nelle mani, di Dio sperimentando al contempo la gioia di sapere che Egli è presente, mi accoglie, sempre di nuovo mi solleva e mi porta, mi dà la mano, se stesso. L'Eucaristia deve diventare per noi una scuola di vita, nella quale impariamo a donare la nostra vita. La vita non la si dona solo nel momento della morte e non soltanto nel modo del martirio. Noi dobbiamo donarla giorno per giorno. Occorre imparare giorno per giorno che io non possiedo la mia vita per me stesso. Giorno per giorno devo imparare ad abbandonare me stesso; a tenermi a disposizione per quella cosa per la quale Egli, il Signore, sul momento ha bisogno di me, anche se altre cose mi sembrano più belle e più importanti. Donare la vita, non prenderla. E proprio così che facciamo l'esperienza della libertà. La libertà da noi stessi, la vastità dell'essere. Proprio così, nell'essere utile, nell'essere una persona di cui c'è bisogno nel mondo, la nostra vita diventa importante e bella. Solo chi dona la propria vita, la trova.

Come seconda cosa il Signore ci dice: « Io conosco le mie pecore, e le mie pecore conoscono me, come il Padre conosce me e io conosco il Padre ».⁵ Sono in questa frase due rapporti apparentemente del tutto diversi che qui si trovano intrecciati l'uno con l'altro: il rapporto tra Gesù e il Padre e il rapporto tra Gesù e gli uomini a Lui affidati. Ma entrambi i rapporti vanno proprio insieme, perché gli uomini, in fin dei conti, appartengono al Padre e sono alla ricerca del Creatore, di Dio. Quando si accorgono che uno parla soltanto nel proprio nome e attingendo solo da sé, allora intuiscano che è troppo poco e che egli non può essere ciò che stanno cercando. Laddove però risuona in una persona un'altra voce, la voce del Creatore, del Padre, si apre la porta della relazione che l'uomo aspetta. Così deve essere quindi nel nostro caso. Innanzitutto nel nostro intimo dobbiamo vivere il rapporto con Cristo e per il suo tramite con il Padre; solo allora possiamo veramente comprendere gli uomini, solo alla luce di Dio si capisce la profondità dell'uomo. Allora chi ci ascolta si rende conto che non parliamo di noi, di qualcosa, ma del vero Pastore. Ovviamente, nelle parole di Gesù è anche racchiuso tutto il compito

⁵ Gv 10, 14-15,

pastorale pratico, di seguire gli uomini, di andare a trovarli, di essere aperti per le loro necessità e le loro domande. Ovviamente è fondamentale la conoscenza pratica, concreta delle persone a me affidate, e ovviamente è importante capire questo «conoscere» gli altri nel senso biblico: non c'è una vera conoscenza senza amore, senza un rapporto interiore, senza una profonda accettazione dell'altro. Il pastore non può accontentarsi di sapere i nomi e le date. Il suo conoscere le pecore deve essere sempre anche un conoscere con il cuore. Questo però è realizzabile in fondo soltanto se il Signore ha aperto il nostro cuore; se il nostro conoscere non lega le persone al nostro piccolo io privato, al nostro proprio piccolo cuore, ma invece fa sentire loro il cuore di Gesù, il cuore del Signore. Deve essere un conoscere col cuore di Gesù e orientato verso di Lui, un conoscere che non lega l'uomo a me, ma lo guida verso Gesù rendendolo così libero e aperto. E così anche noi tra uomini diveniamo vicini. Affinché questo modo di conoscere con il cuore di Gesù, di non legare a me ma di legare al cuore di Gesù e di creare così vera comunità, che questo ci sia donato, vogliamo sempre di nuovo pregare il Signore.

Infine il Signore ci parla del servizio dell'unità affidato al pastore: «Ho altre pecore che non sono di quest'ovile; anche queste io devo condurre; ascolteranno la mia voce e diventeranno un solo gregge e un solo pastore».⁶ E la stessa cosa che Giovanni ripete dopo la decisione del sinedrio di uccidere Gesù, quando Caifa disse che sarebbe stato meglio se uno solo fosse morto per il popolo piuttosto che la nazione intera perisse. Giovanni riconosce in questa parola di Caifa una parola profetica e aggiunge: «Gesù doveva morire per la nazione e non per la nazione soltanto, ma anche per riunire insieme i figli di Dio che erano dispersi».⁷ Si rivela la relazione tra Croce e unità; l'unità si paga con la Croce. Soprattutto però emerge l'orizzonte universale dell'agire di Gesù. Se Ezechiele nella sua profezia sul pastore aveva di mira il ripristino dell'unità tra le tribù disperse d'Israele,⁸ si tratta ora non solo più dell'unificazione dell'Israele disperso, ma dell'unificazione di tutti i figli di Dio, dell'umanità — della Chiesa di giudei e di pagani. La missione di Gesù riguarda l'umanità intera, e perciò alla Chiesa è data una responsabilità per tutta l'umanità, affinché essa riconosca Dio, quel Dio che, per noi tutti, in Gesù Cristo si è fatto uomo, ha sofferto, è morto ed è risorto. La Chiesa non deve mai accontentarsi della schiera di coloro che a un certo punto ha rag-

⁶ Gv 10, 16.

⁷ 11, 52

⁸ Cfr Ez 34, 22-24.

giunto, e dire che gli altri stiano bene così: i musulmani, gli induisti e via dicendo. La Chiesa non può ritirarsi comodamente nei limiti del proprio ambiente. È incaricata della sollecitudine universale, deve preoccuparsi di tutti e di tutti. Questo grande compito in generale lo dobbiamo «tradurre» nelle nostre rispettive missioni. Ovviamente un sacerdote, un pastore d'anime, deve innanzitutto preoccuparsi di coloro, che credono e vivono con la Chiesa, che cercano in essa la strada della vita e che da parte loro, come pietre vive, costruiscono la Chiesa e così edificano e sostengono insieme anche il sacerdote. Tuttavia, dobbiamo anche sempre di nuovo — come dice il Signore — uscire «per le strade e lungo le siepi»⁹ per portare l'invito di Dio al suo banchetto anche a quegli uomini che finora non ne hanno ancora sentito niente, o non ne sono stati toccati interiormente. Questo servizio universale, servizio per l'unità, ha tante forme. Ne fa parte sempre anche l'impegno per l'unità interiore della Chiesa, perché essa, oltre tutte le diversità e i limiti, sia un segno della presenza di Dio nel mondo che solo può creare una tale unità.

La Chiesa antica ha trovato nella scultura del suo tempo la figura del pastore che porta una pecora sulle sue spalle. Forse queste immagini fanno parte del sogno idillico della vita campestre che aveva affascinato la società di allora. Ma per i cristiani questa figura diventava con tutta naturalezza l'immagine di Colui che si è incamminato per cercare la pecora smarrita: l'umanità; l'immagine di Colui che ci segue fin nei nostri deserti e nelle nostre confusioni; l'immagine di Colui che ha preso sulle sue spalle la pecora smarrita, che è l'umanità, e la porta E divenuta l'immagine del vero Pastore Gesù Cristo. A Lui ci affidiamo. A Lui affidiamo Voi, cari fratelli, specialmente in quest'ora, affinché Egli Vi conduca e Vi porti tutti i giorni; affinché Vi aiuti a diventare, per mezzo di Lui e con Lui, buoni pastori del suo gregge. Amen!

ALLOCUTIONES

I

Ad Generalem Ordinariam Sessionem Pontificiorum Operum Missionarium.*

*Signor Cardinale,
venerati Fratelli nell'Episcopato e nel Presbiterato,
cari Direttori Nazionali delle Pontificie Opere Missionarie!*

pauperes curandos suoque Ordini inserviendum. Die 5 mensis Aprilis anno 1983 animam Domino piissime reddidit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 20 mensis Decembris anno 2004 edixit Servum Dei virtutes théologales, cardinales eisque adnexas heroum in modum excoluisse.

Ad beatificationem quod attinet, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam proposuit miram sanationem pueri Ioannis Pauli Polotto, sex fere annos agentis, qui die 26 mensis Aprilis anno 1996, participans scholae deambulationem apud civitatem v. d. *Rio Preto* in Brasilia, curru automatario vehementer afflictatus, gravi traumate cranio-encephalico est affectus. Presbyter quidam ex Ordine Sancti Augustini nec non huius pueri condiscipuli, qui infortunium spectaverant, statim divinum auxilium invocare coeperunt per intercessionem Servi Dei Mariani de la Mata Aparicio. Puer Ioannes Paulus prius translatus est in valetudinarium loci ut primis subiceretur auxiliis, ac deinde in valetudinarium oppidi *Jdu* ad sedem intentionis curationis. Perpensis sive laesionum gravitate sive veterno sexti gradus sive cardio-respiratoriis conturbationibus, edicta est prognosis infausta quoad vitam. Interea apud pueri scholam supplicationes effundebantur per intercessionem eiusdem Servi Dei. Aegrotus quatuor post dies e veterno statu expergefactus est ac celeriter convaluit quin ullum detrimentum physicum caperet aut psychicum.

De hac sanatione apud Curiam Sancti Iosephi Riopretensis instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam validitatem hoc Dicasterium agnovit, decretum edens die 23 mensis Novembris anno 2001. Consilium Medicorum, in sessione congregatum die 21 mensis Octobris anno 2004, unanimi ex consensu declaravit sanationem « admodum celerem, perfectam et constantem, absque residuis neuropsychicis, et ex scientiae legibus inexplicabilem » fuisse. Die 2 mensis Februarii anni 2005 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 7 sequentis mensis Iunii acta est Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio, Ponente Causae Exc.mo D.no Franco Croci, Episcopo titulo Potentino in Piceno.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodie die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Mariani de la Mata Aparicio, Sacerdotis professi Ordinis Sancti Augustini, videlicet de celérrima, perfecta et constanti, absque residuis neuro-*

psychicis, sanatione pueri Ioannis Pauli Polotto a « grave trauma cranio-encefalico con coma di 6° grado alla Scala di Glasgow, frattura temporo-parietale destra, emiplegia sinistra, otorragia sinistra, bradipnea e bradicardia con minaccia di arresto cardiaco ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. ffi S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VICTORIENSIS seu FLAVIOBRIGENSI

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Margaritae Mariae López de Maturana, Fundatricis Instituti Missionariorum Beatae Mariae Virginis a Mercede (1884-1934)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Margarita Maria López de Maturana nata est Flaviobrigae in Hispania die 25 mensis Iulii anno 1884. Vota inter Moniales Nostrae Dominae a Mercede in urbe *Bérriz*, quarum postea Moderatrix facta est, nuncupavit. Ad evangelium gentibus Christi adhuc expertibus afferendum, anno 1930 suum ipsa monasterium convertit in Institutum Missionariorum Beatae Mariae Virginis a Mercede, cuius fuit Fundatrix ac Moderatrix Generalis. Pie requievit die 23 mensis Iulii anno 1934.

Quam quidem Servam Dei die 16 mensis Martii anno 1987 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes théologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationem vero prospiciens, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servae Dei intercessionem tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod quidem factum pertinet ad D.nam Beatri-

cem Romero Escalante, Mexicanam, quae die 27 mensis Iulii anno 1999, annum sextum et quadragesimum agens, doloribus abdominalibus cum vomitu affici coepit. Cum clinicae inspectiones sivissent diagnosis edi de pancreatide necrotico-haemorrhagica, aegrotata in sedem curationis efficacioris deducta est. Morbus interea ingravescebat, utpote gravi primum collapsu séptico hypocholehaemico, insufficientia deinde cardiaca, renali, respiratoria, pancreatis denique iecinorisque mutationibus, postremo e tubo digestorio sanguine effuso, accedentibus. Cum vero therapia, quamvis idonea, evasisset inefficax, prognosis infausta edebatur.

Mense autem Augusto ineunte, nonnullae Guadalaiarenses Missionariae Beatae Mariae Virginis a Mercede, quibusdam D.nae Beatricis propinquis semet sociantibus, divinam operam coeperant invocare per intercessionem Matris Margaritae Mariae. Cuius ut quaedam reliquiae cervicali aegrotantis suppositae sunt, statim illa, quod a propinquis et clinicis exploratum est, meliore coepit esse valetudine sicque die 12 mensis Augusti eiusdem anni e valetudinario sanata dimittebatur.

Quo de casu apud Curiam Mexicanam annis 2000-2001 Inquisitio dioecesana est instructa, cuius validitas iuridica probata est ab hoc Dicasterio per decretum die 5 mensis Martii anno 2002 latum. Consilium vero Medicorum, in sessione die 15 mensis Octobris anno 2003 habita, agnovit sanationem celerrimam, perfectam stabilemque fuisse eandemque inexplicabilem, quippe morbi descriptione celerrime régressa vique organo functionali absque ullo exitu perfecte recuperata. Die 24 mensis Februarii anno 2004 habitus est Congregatio Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro subsequenti die 18 mensis Maii Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Ut autem iis responderetur, quae quidam ex Patribus Sessionem Ordinariam celebrantibus animadverterant, diebus 1-6 mensis Iulii anno 2004 in dioecesibus Guadalaiarensi et Mexicana Inquisitio suppletiva ex officio instructa est. Altera demum Sessio Ordinaria, positivo quidem cum exitu, die 15 mensis Novembris anno 2005, Exc.mo D.no Ioanne Coppa, Archiepiscopo tit. Sertensi, Causae Ponente, habita est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Margaritae Mariae López de Maturana, Fundatricis Instituti Missio-*

nariarum Beatæ Mariæ Virginis a Mercede, videlicet de celeri, perfecta ac stabili sanatione D.næ Beatricis Romero Escalante a «pancreatite acuta necrotica grave, con complicanze a vari livelli».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri Summus Pontifex mandavit.

Datum Romæ, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. SB S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PACENSIS

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Felicis Echevarría Gorostiaga et VI Sociorum ex Ordine Fratrum Minorum (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Si beneficientes et patientes sustinetis, haec est gratia apud Deum»
(1 Pe 2, 20).

Deus enim libenter accipit eum a quo toto corde cunctisque viribus diligitur, sicut Dominus Iesus fecit, qui ob Patris amorem vitam suam immolavit et «cum malediceretur, non remaledicebat; cum pateretur, non comminabatur, commendabat autem iuste iudicanti» (*ib.* 2, 23). Similiter sese gesserunt Servi Dei Felix Echevarría Gorostiaga et VI Socii, qui in vita et in morte Deum glorificaverunt. Isti fideles Sancti Francisci Assisiensis discipuli placide morabantur in communitate oppidi *Fuenteovejuna*, Cordubensi in dioecesi, alacrem exercentes apostolatam pro illo populo et christianam curantes potissimum puerum iuvenumque institutionem. Quamobrem ab omnibus aestimabantur et amabantur.

Cum anno 1936 in Hispania persecutio in Ecclesiam orta esset, illi Deo et populo servire solito fervore perrexerunt. Die 18 mensis Iulii eiusdem anni

coetus quidam inimicorum religionis Catholicae regimen sumpsit oppidi *Fuenteovejuna*. Duos post dies milites domui et communitati fratrum vim adhibere coeperunt; die vero 27 eiusdem mensis ex religiosa domo fratres deduxerunt eosque, sub falsa incolumitatis ratione, eodem loco detinuerunt. Re vera physicam eorum exclusionem conabantur. Sequenti die domus vastata est, sepulcra et sacra vestimenta profanata. Nocturno tempore diei 20 mensis Septembris Servi Dei, simul cum aliis in custodia detentis, apprehensi sunt atque a militibus ad populum *Azagua*, ex dioecesi Pacensi, translati. In carcerem inclusi iniuriis, minationibus, ignominiiis et contumeliis cuiusvis generis vexati sunt. Immo cruciabantur ut blasphemarent, sed illi, in fide et Christi amore fortes, spe sustentabantur praemium aeternae beatitudinis a Deo accipiendi. Pater Felix Echevarría Gorostiaga, post terribiles cruciatus et saevitias, primus, nempe post meridiem diei 21 mensis Septembris anno 1936 occisus est. Noctu, inter dies 21 et 22 eiusdem mensis, omnes alii sunt interempti, qui, sicut iam fecerat Pater Felix, elata voce eorum fidelitatem Christo Regi proclamaverunt.

Ecce quaedam notitiae de vita singulorum fidei testium:

1. Felix Echevarría Gorostiaga. In loco *Ceánuri*, dioecesis Victoriensis, die 15 mensis Iulii anno 1893 est ortus. Anno 1909 vota nuncupavit religiosa atque mense Iulio anni 1916 sacerdos est ordinatus. Munus exercuit rectoris Collegii Seraphici et varias edocuit disciplinas. Nuntiare voluit Evangelium infidelibus, sed ob infirmitatem, huic proposito renuntiare debuit. Officium assumpsit moderatoris domus in populo *Fuenteovejuna*.

2. Aloisius Echevarría Gorostiaga, frater Servi Dei Felicis. In oppido *Ceánuri* die 26 mensis Augusti anno 1895 est natus. Mense Septembri anno 1913 religiosa emisit vota atque mense Maio anni 1920 sacerdotio est auctus. Ministerium exercuit in urbibus Ierusalem et Nazareth. In Hispaniam reversus, professoris munus adimplevit. Ob religiosam persecutionem fugere coactus est primum ad *Coin*, apud Malacam, deinde vero ad populum *Fuenteovejuna*, ubi vicarius exstitit.

3. Iosephus Azurmendi Larrinaga. Natus est in loco *Durango*, dioecesis Victoriensis, die 18 mensis Augusti anno 1870. Anno 1888 professionis religiosae vota pronuntiavit et mense Maio anno 1896 sacro presbyteratus ordine est insignitus. Magister fuit noviciorum in Terra Sancta, deinde consiliarius Commissariatus Franciscalis provincialis in Hispania. Primis diebus Iulii anno 1936 ad conventum populi *Fuenteovejuna* est translatus.

4. Franciscus Cariés Gonzales. Natus est in loco *San Julián de Requeijo*, dioecesis Compostellanae, die 14 mensis Ianuarii anno 1894. Anno 1910 simplicem emisit professionem, deinde mense Iunio anno 1917 ad sacerdotium est evectus. Ministerium exercuit in Terra Sancta, deinde in Syria. In Hispaniam reversus, ad conventum populi *Fuenteovejuna* est missus.

5. Antonius Sáez de Ibarra López. Natus in oppido *Hijona*, dioecesis Victoriensis, die 25 mensis Martii anno 1914. Noviciatum inchoavit mense Ianuario anno 1931, quem tamen ob religiosam insectationem intermittere est coactus. Praehabita Sanctae Sedis dispensatione, sequenti anno vota simplicia emisit et ad sacerdotium se paravit.

6. Michael Zarragua Iturrizaga. Natus est in oppido *Yurreta*, dioecesis Victoriensis, die 11 mensis Aprilis anno 1870. Anno 1890 veluti frater coadiutor vota pronuntiavit religiosa; varia fuerunt munera illi concredita in Mauritania. In Hispaniam reversus ad infirmos curandos destinatus est. Deinde translatus est ad populum *Fuenteovejuna* ut aeditui ministerium exerceret.

7. Simon Michael Rodríguez. Natus est in populo *Villalcampo*, dioecesis Zamorensis, die 23 mensis Novembris anno 1912. Professionis religiosae vota veluti frater coadiutor pronuntiavit anno 1932. In communitate populi *Fuenteovejuna* coqui officium adimplevit.

Populus Dei omnes illos veluti veros fidei martyres putavit. Eiusmodi opinio decursu annorum confirmabatur, qua de causa Episcopus Pacensis inductus est ut Causam inciperet beatificationis seu declarationis martyrii instruens Processum Ordinarium anno 1964, cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 19 mensis Iunii anno 1992 est recognita. Parata *Positione*, de martyrio Servorum Dei, ad normam, disceptatum est. Positivo cum exitu, die 17 mensis Februarii anno 2004 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 17 mensis Maii anno 2005, audita relatione Exc.mi D. Salvatoris Boccaccio, Episcopi Frusina-tensis-Verulani-Ferentini, Causae Ponentis, Servos Dei Felicem Echevarría Gorostiaga et VI Socios propter fidelitatem erga Christum et Ecclesiam interfectos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de*

martyrio eiusque causa Servorum Dei Felicis Echevarría Gorostiaga et VI Sociorum, ex Ordine Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TOLETANA

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Eusebii a Iesu Infante (in saec.: Ovidii Fernández Arenillas) et XV Sociorum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Manete in me, et ego in vobis» (*Io* 15, 4).

Christo adhaerere, hoc quidem fuit institutum vitae Eusebii a Iesu Infante sacerdotis eiusque XV Sociorum, qui, mundi inanitate contempta, in Ordine Carmelitarum Discalceatorum se Deo consecrarunt vocationemque, ut genuinos S. Teresiae a Iesu discipulos decet, domi bellicae servarunt. Ipsi enim e via suscepta ne tum quidem excesserunt, cum in Hispania dira in Ecclesiam Christi vexatio coorta est. Hi omnes degebant in conventu Carmelitico Toletano, ubi suo quisque munere fungebatur, controversiis de re politica, quae in populo agitabantur, minime immixti; quin immo, cum essent conscii gravium discriminum quibus tunc homines de Ecclesia obiectabantur, vitam suam pro Christo immolare paraverunt, si martyrii gratia daretur.

Die 21 mensis Iulii anno 1936 Custodia Civilis conventum occupavit. Religiosi viri, quamvis in privatas domus confugissent, persecutionem a militianis illatam vitare nequiverunt, sicque variis diebus ac temporibus in odium fidei interfecti sunt.

Die 22 mensis Iulii anno 1936 hi neci occubuerunt, quibus haec nomina et vitae:

1. Pater Eusebius a Iesu Infante (in saec.: Ovidius Fernández Arenillas). Natus est die 21 mensis Februarii anno 1888. Sollemnibus votis anno 1907 nuncupatis, anno 1912 sacro presbyteratus ordine auctus est.

2. Frater Iosephus Augustinus a SS.mo Sacramento (in saec.: Thomas Mateos Sánchez). Natus est die 17 mensis Septembris anno 1912. Occisus est paucis diebus postquam professionem sollemnem emiserat, «minoribus ordinibus» insignitus. Theologiae studebat.

3. Frater Hermilus a Sancto Eliseo (in saec.: Petrus Raimundus Rodríguez Calle). Ortus est die 14 mensis Aprilis anno 1913. Paucis diebus antequam interficeretur, sollemni professione emissa, «ordines minores» ei collati erant. Ipse quoque theologiae studebat.

4. Frater Eliseus a Iesu Crucifixo (in saec.: Stephanus Cuevas Casquero). In vitam venit die 26 mensis Decembris anno 1913. Vota anno 1935 sollemniter nuncupavit. Paucis diebus ante obitum «ordines minores» acceperat. Ipse quoque theologiae studebat.

5. Frater Perfectus a Virgine Carmeli (in saec.: Perfectus Domínguez Monge). Natus est die 18 mensis Aprilis anno 1914. Sollemni professione anno 1935 facta, paucis diebus ante necem «minoribus ordinibus» insignitus erat. Ipse quoque theologiae studebat.

6. Frater Clemens a Sacris Cordibus (in saec.: Clemens López Yagüe). Natus est die 25 mensis Novembris anno 1911. Habitum religiosum induerat anno 1935. Frater laicus novicius erat.

Hi autem die 30 mensis Iulii anno 1936 interfecti sunt:

7. Frater Constantius a S. Iosepho (in saec.: Iosephus Mata Luis). Natus est die 23 mensis Augusti anno 1914. Sollemni professione anno 1935 emissa, subsequenti anno subdiaconatum accepit. Theologiae studebat.

8. Frater Iosephus Maria a Virgine Perdolente (in saec.: Vincentius Alamo Jiménez). Natus est die 3 mensis Augusti anno 1901. Vota sollemnia anno 1931 nuncupavit. Frater laicus erat.

Hi porro occisi sunt die 31 mensis Iulii anno 1936:

9. Pater Nazarius a Sacro Corde Iesu (in saec.: Nazarius dei Valle González). Natus est die 28 mensis Iulii anno 1901. Professionem sollemnem anno 1922 emisit; subsequenti anno ordinationem sacerdotalem accepit, Subprior erat conventus Toletani.

10. Pater Petrus Iosephus a Sacris Cordibus Iesu et Mariae (in saec.: Petrus Jiménez Vallejo). Natus est die 22 mensis Februarii anno 1861. Postquam sacerdotium ipse anno 1885 inivit, Ordinem Carmelitarum Discalceatorum ingressus, anno 1895 vota sollemnia nuncupavit. In proprio conventu iuniorum religiosorum confessiones audiebat iisque magister pietatis exsistebat.

11. Pater Raimundus a Virgine Carmeli (in saec.: Iosephus Grijalvo Medel). Natus est die 29 mensis Martii anno 1896. Postquam anno 1918 vota sollemnia nuncupavit, ordinationem sacerdotalem accepit anno 1922. Historiam ecclesiasticam et Patristicam docebat.

12. Frater Melchior a Iesu Infante (in saec.: Melchior Martín Monge). Natus est die 18 mensis Iulii anno 1914. Professionem sollemnem emisit anno 1936, eodemque anno «ordines minores» accepit. Theologiae studebat.

13. Frater Felix a Virgine Carmeli (in saec.: Aloisius Gómez de Pablo). Natus est die 9 mensis Ianuarii anno 1912. Postquam anno 1933 professionem sollemnem emisit, anno 1936 «ordines minores» accepit. Ipse quoque theologiae studebat.

14. Frater Placidus a Iesu Infante (in saec.: Iosephus Aloisius Collado Oliver). Natus est die 25 mensis Ianuarii anno 1912. Anno 1936 ipse vota sollemnia nuncupavit et «ordines minores» accepit. Theologiae studebat.

15. Frater Daniel a Passione (in saec.: Daniel Mora Nine). Natus est die 17 mensis Februarii anno 1908. Professionem temporariam emisit anno 1933. Frater laicus erat.

16. Die 7 mensis Septembris anno 1936 martyrii palmam adeptus est etiam Pater Thyrsus a Iesu Maria (in saec.: Gregorius Sánchez Sancho), qui, die 19 mensis Aprilis anno 1899 natus, post vota anno 1916 sollemniter nuncupata, anno 1933 ordinationem sacerdotalem accepit. Scriptor ac poeta fuit ipseque pastoralibus negotiis deditus.

Cum sedecim hi testes Christi statim pro martyribus fidei haberentur, Archiepiscopus Toletanus Causae beatificationis seu declarationis martyrii initium fecit per Processum Ordinarium Informativum, annis 1962-1965 celebratum, cuius validitas iuridica recognita est ab hoc Dicasterio per decretum die 24 mensis Ianuarii anno 1992 latum. Die autem 25 mensis Maii anno 2004 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 13 mensis Decembris anno 2005 congregata, Exc.mo D.no Xaverio Echeva-

iri a Rodríguez, Episcopo tit. Cilibiensi, Causae Ponente, agnoverunt obitum Patris Eusebii a Iesu Infante quindecimque Sociorum eius verum martyrium fuisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Eusebii a Iesu Infante (in saec. : Ovidii Fernández Arenillas) et XV Sociorum, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TOLETANA

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Liberii González Nombela Sacerdotis et XII Sociorum e Clero Archidioecesis Toletanae (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Mihi vivere Christus est et mori lucrum» (*Philp* 1, 21).

Idem atque Paulus Apostolus haud dubie senserunt Liberius González Nombela presbyter eiusque XII Socii e clero Archidioecesis Toletanae, qui vitam in communionem cum Christo degerunt, Eius regno aedificando operam navantes. Qui quidem, vocati ad optandum inter vitam suam et Dominum, Magistro adhaerere ac pro Ipso occumbere maluerunt, suam Illi caritatem et fidelitatem quam qui maxime testificantes. «Martyrium» enim, «quo discipulus Magistro pro mundi salute mortem libere accipienti assimilatur, Eique

in effusione sanguinis conformatur », « maximum » est « amoris testimonium » (CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, 42).

Tredecim hi Servi Dei omnes internecati sunt anno **1936**, dira in Hispania adversus Ecclesiam vexatione saeviente, qua multi ex episcopis, presbyteris, religiosis viris ac mulieribus, et vero etiam laicis, perierunt. Inter fidei testes complures, quorum fecundo cruore Toletana Archidioecesis ipsa est respersa, populus Dei Liberium eiusque Socios peculiari devotione commemorat. Quibus haec nomina:

1. Liberius Gonzalez Nombela, Sacerdos. Natus est die **30** mensis Decembris anno **1895** in pago *Santa Ana de Pusa*. Ecclesiam et pauperes dilexit. Vexatus tormentisque excruciatu perseveravit in fide. Stulam suam in sanguine lavit die **18** mensis Augusti.

2. Franciscus López-Gasco Fernández-Largo, Sacerdos. Natus est die **4** mensis Octobris anno **1888** in pago *Villacañas*. Ad supremam fidei congressionem vocatus est die **19** mensis Augusti.

3. Michael Beatus Sánchez, Sacerdos. Natus est die **10** mensis Aprilis anno **1911** in loco quem vocant *La Villa de Don Fadrique*. Necatus est die **8** mensis Septembris, paucis quidem mensibus postquam ipse ordinem presbyteratus acceperat.

4. Bartholomaeus Rodríguez Soria, Sacerdos. Natus est die **7** mensis Septembris anno **1894** in pago montano *Ríopar*. Occisus est die **29** mensis Iulii.

5. Mamertus Carchano Carchano, Sacerdos. Natus est die **21** mensis Iulii anno **1879** in pago *Elche de la Sierra*. Neci occubuit die **8** mensis Septembris.

6. Agricola Rodríguez García, Sacerdos. Natus est die **18** mensis Martii anno **1896** in oppido *Consuegra*. Sanguinem pro Domino fudit die **21** mensis Iulii.

7. Saturninus Ortega Montealegre, Sacerdos. Natus est die **29** mensis Novembris anno **1866** in pago *Brihuega*. Utrum die **5** an **6** mensis Augusti caesus sit, incertum.

8. Dominicus Sánchez Lázaro, Sacerdos. Natus est die **4** mensis Augusti anno **1860** in loco quem vocant *Puebla de Montalbán*. Una cum duobus viris laicis suoque coadiutore trucidatus est die **12** mensis Augusti.

9. Ioachim de la Madrid Arespachoga, Sacerdos. Natus est die **6** mensis Novembris anno **1860** in vico *Bellver*. Coronam martyrii meruit die **1** mensis Augusti.

10. Iustinus Alarcón Vera, Sacerdos. Natus est die **1** mensis Augusti anno **1885** in pago *Fuensalida*. Immolatus est die **1** mensis Augusti.

11. Iosephus Polo Benito, Sacerdos. Natus est Salmanticae die 27 mensis Ianuarii anno 1879. Una cum aliis presbyteris persecutionem passus est die 24 mensis Augusti.

12. Franciscus Maqueda López, Subdiaconus. Natus est die 10 mensis Augusti anno 1914 in pago *Villacañas*. Ad palmam martyrii pervenit die 12 mensis Septembris, id quidem post mensem tertium quam ipse subdiaconatum acceperat.

13. Richardus Pia Espi, Sacerdos. Natus est die 12 mensis Decembris anno 1898 in vico *Aguilera*. Enecatus est die 30 mensis Iulii.

Cum tredecim hi Servi Dei statim pro martyribus fidei essent habiti, Archiepiscopus Toletanus Causam beatificationis seu declarationis martyrii anno 1963 inivit. Altera autem Inquisitio dioecesana annis 1990-1993 est instructa, cuius validitas iuridica approbata est ab hoc Dicasterio per decretum die 1 mensis Iulii anno 1994 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum praefati Servi Dei vere pro martyribus fidei habendi essent. Die 16 mensis Martii anno 2004 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 8 mensis Novembris anni 2005 congregata, Exc.mo D.no Francisco Croci, Episcopo tit. Potentino in Piceno, Causae Ponente, agnoverunt Liberium presbyterum eiusque Socios in odium fidei interfectos eosque igitur martyres habendos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Liberii González Nombela, presbyteri, et XII Sociorum e clero Archidioecesis Toletanae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TOLETANA

Beatificationis seu declarationis martyrii servorum Dei Theodosii Raphaelis (in saec.: Diodori López Hernando) et III Sociorum ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Qui credit, habet vitam aeternam» {Io 6, 47}.

Fides nimirum vitam et obitum illuminavit Servorum Dei Theodosii Raphaelis eiusque III Sociorum, qui in Iesum Christum, Dei Filium hominumque Redemptorem, non modo crediderunt, verum etiam eum fideles discipuli imitati sunt, cum evangelica consilia sequentes, tum iuventutem doctrinae christianae praeceptis erudientes. Ipsis autem institutorio munere rite fungentibus, dira in Hispania adversus Ecclesiam eiusque prolem coorta vexatio: inde plurimus insontium cruor effudi pluresque inter antistites, presbyteros, religiosos, laicos denique, virile ac muliebre secus, fidei causa enecari. Tunc supremum testimonium ab his quoque Servis Dei perhibitum, qui omnes erant communitatis Instituti Fratrum Scholarum Christianarum apud *Consuegra*, intra fines archidioecesis Toletanae:

1. Theodosius Raphael (in saec.: Diodorus López Hernando). Natus est die 27 mensis Octobris anno 1898 in pago, quem vocant *Salguero de Juarros*, in archidioecesi videlicet Burgensi. Anno 1912 ingressus est Institutum Fratrum Scholarum Christianarum. Anno autem 1923 vota perpetua nuncupavit. In ipso mortis articulo praefectus erat Collegii apud *Consuegra* existentis.

2. Eustachius Aloisius (in saec.: Aloisius Villanueva Montoya). Natus est die 10 mensis Octobris anno 1888 in loco, quem vocant *Cucho*, in dioecesi videlicet Calaguritana-Calceatensi. Anno 1906 intravit Institutum Fratrum Scholarum Christianarum. Anno autem 1917 professionem perpetuam emisit. Leviora ipse munera obivit.

3. Carolus Georgius (in saec.: Dalmatius Bellota Pérez). Natus est die 22 mensis Novembris anno 1908 in loco v. d. *Capillas de Campos* intra fines dioecesis Legionensis. Anno 1920 admissus est in Institutum Fratrum Scholarum Christianarum. Anno autem 1933 vota perpetua nuncupavit. Praeceptor erat.

4. Philippus Iosephus (in saec.: Petrus Ioannes Alvarez Pérez). Natus est die 27 mensis Iunii anno 1914 in pago *Carmena*, in archidioecesi videlicet

Toletana. Cum ipse anno 1927 intrasset Institutum Fratrum Scholarum Christianarum, prae vexatione, quae tunc temporis adversus Ecclesiam saeviebat, perpetuam professionem non emisit. Ipse quoque praeceptor erat.

Die vero 21 mensis Iulii anno 1936 quattuor hi Servi Dei coacti sunt semetipsos militibus tradere, qui eos in custodiam miserunt. Illic ipsi patienter ac benigne se gesserunt, tempus plerumque orando sumentes, utpote conscii ingentium periculorum quibus sua cuique vita obiectabatur. Nocturno tempore inter dies 6 et 7 mensis Augusti anno 1936, in loco, quem vocant *Boca del Congosto*, apud stationem *Urda*, Fratres Theodosius Raphael, Eustachius Aloisius, Carolus Georgius manuballista interfecti sunt. Frater autem Philippus Iosephus in loco v. d. *El Cortijillo* postridie eidem neci occubuit.

Qui testes Christi invicti cum statim pro martyribus fidei habiti essent, Archiepiscopus Toletanus Causae beatificationis seu declarationis martyrii initium fecit per Processum Ordinarium annis 1955-1957 actum. Cuius canonicae Inquisitionis validitas iuridica probata est ab hoc Dicasterio per decretum die 19 mensis Iunii anno 1992 latum. Die 2 mensis Aprilis anno 2004 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 15 mensis Novembris anno 2005 congregati, Exc.mo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo tit. Cilibiensi, Causae Ponente, professi sunt praefatorum Servorum Dei obitum verum martyrium exstitisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Theodosii Raphaelis (in saec.: Diodori López Hernando) et III Sociorum, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONCHENSIS

**Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Crucis Laplana y Laguna
Episcopi Conchensis et Ferdinandi Español Berdié ex clero dioecetano (f 1936)**

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus» (*Io* 10, 11).

Exemplum sequentes Divini Pastoris, qui se in cruce pro mundi salute immolavit, episcopus Crux Laplana y Laguna et sacerdos Ferdinandus Español Berdié suum effuderunt sanguinem ut Iesu Christo fideles manerent atque pastoralis missioni quam Ecclesia iis crediderat.

1. Servus Dei Crux Laplana y Laguna die 3 mensis Maii anno 1875 in loco *Plan de Aragon*, provincia in Oscensi, ortus ex antiqua nobile est familia. Sacerdos ordinatus dioecesis Barbastrensis, curricula theologiae et iuris apud Studiorum Universitatem Caesaraugustanam adimplevit, cuius denique factus est professor. Aliquos deinde per annos munus curionis exercuit usque ad annum 1921, quo Episcopus nominatus est Conchensis ubi ministerium iniit die 8 mensis Aprilis sequenti anno. Institutionem curavit sacerdotum et seminarii alumnorum, religiosorum participationem promovit navitatis pastoralis localis, Actionem sustentavit Catholicam. Alias etiam fovit laicas consociationes nec non catholica commentaria, bonas necessitudinis rationes cum civilibus servavit auctoritatibus, patrimonium immobiliare dioecesis melius reddidit atque assidue munera docendi, sanctificandi et regendi exercuit.

2. Servus Dei Ferdinandus Español Berdié in *Anciles*, provincia in Oscensi, est natus. Laurea accepta in iure civili et canonico, seminarium ingressus est Barbastrense et, anno 1901, sacerdos est ordinatus. Sacrum exercuit ministerium diversis in locis, parochum adimplevit munus paroecciarum *Grustau* (1907-1921) et *Plan* (1921-1922). Anno 1922 a secretis factus est novi Episcopi Conchensis Servi Dei Crucis Laplana y Laguna. Officiorum liturgicorum magister fuit in templo cathedrali, cuius canonicus anno 1923 est nominatus.

Bello orto civili, vexatio in Ecclesiam est inchoata. Episcopus pluries ad fugiendum invitatus est et se in tuto collocandum; ille tamen suam missionem relinquere noluit nec suum in difficili condicione versantem populum.

Die 28 mensis Iulii anno 1936 est comprehensus simul suo cum secretario aliisque adiutoribus atque in seminarii locis retentis. Duo Servi Dei forti serenoque animo ad supremum sacrificium se pararunt. Nocte inter dies 7 et 8 sequentis mensis Augusti, armati quidam milites Episcopum sustulerunt cum eius secretario qui a pastore suo separari noluit, promptus ad eandem subeundam sortem. Ante occisionem sibi invicem dederunt absolutionem, amplexi sunt inter se atque veniam suis donaverunt carnificibus. Sequenti die eorum corpora reperta sunt, quae hodie sepulta in cathedrali sunt templo Conchensi.

Inchoata Causa beatificationis seu declarationis martyrii apud Curiam Conchensem, annis 1953-1956 Processus est instructus Ordinarius atque Processus Rogatoriales dioecesium Santanderiensis et Oxomensis. Iuridica harum Inquisitionum validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 8 mensis Novembris anno 1991 est recognita. Parata *Positione*, de asserto martyrio Servorum Dei, ad normam, disceptatum est. Die 17 mensis Februarii anno 2004 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 21 mensis Iunii anni 2005 Sessio est acta Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo Domino Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi, qui agnoverunt obitum praedictorum Servorum Dei verum martyrium fuisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Crucis Laydana y Laguna, Episcopi Conchensis, et Ferdinandi Español Berdié, ex clero dioecetano, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VICENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Catharinae Coromina Agusti, Fundatricis Congregationis Sororum Filiarum Iosephinarum a Caritate (1824-1893)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis» (*Mt* 11, 25).

Dominus mysteria sui Regni abdit ab iis qui doctos se exhibent secundum sententiam huius mundi, declarat tamen parvulis. Inter «parvulos», qui verbum Dei eiusque impulsus obsequenter exceperunt, recensetur Mater Catharina Coromina Agusti, quae in simplicitate et humilitate manifestum reddidit paternum Dei vultum erga magis indigentes, quorum curae summopere se dedit.

Serva Dei e agricolarum familia nata est die 19 mensis Octobris anno 1824 in oppido vulgo *Santa Eulalia de Pardines*, dioecesis Vicensis. Scholam frequentare non potuit et annis suae iuventutis adiutricem praestitit operam necessariis suis in agris colendis. Congrua tamen christiana educatione a suis parentibus et a parochi erudita est. Saepe exercitium Viae Crucis peragebat Marialemque Rosarii coronam recitabat. Attentis et modo se gerendi et vita pietatis, a ceteris puellis uti exemplar habebatur vitae christianae.

Duodetriginta fere annos nata, domestici laboris causa, familiarem quendam adiit ac deinde presbyterum qui primas litteras eam docuit. Anno 1855 Vicensem in urbem se contulit, ubi proprium laborem suscipere perrexit; hac quidem occasione nonnullos novit sacerdotes qui iuvarunt eam in spiritualis vitae progressu. Per intervalla laboris infirmos invisebat eisque subsidia peramanter ferebat. Excogitare igitur incepit consilium condendi Institutum ad infirmos ostiatim curandos.

Anno 1877 consilium suum exsequi potuit: etenim die 29 mensis Iunii eiusdem anni, adepta ecclesiasticae auctoritatis approbatione, fundamenta iecit Instituti Sororum Filiarum Iosephinarum a Caritate. Aliquot tamen post menses eius sociae, quae simul cum ipsa idem communicabant propositum sese Christo consecrandi, reliquerunt eam; turbabantur enim ob extremam indigentiam in qua operari tenebantur. Serva Dei, Domini auxilio

prorsus fidens ad prosequendam operam quam Ipse inspira verat, animo non defecit. Etenim sequentibus annis aliae iuvenes comitatae sunt eam in apostolatu. Die 24 mensis Iunii anno 1881 ipsa et aliae quinque sociae vota emiserunt. Moderatrix suprema et magistra noviciarum Institutum simpliciter, suaviter et fortiter rexit, confirmans verba sua exemplo vitae maiori Dei gloriae salutique animarum deditae. Ut Christo, cui se devoverat, placeret, christianas et religiosas virtutes studiose, constanter ac laetanter excoluit.

Simplici roborata est et profunda fide, quae duxit eam, licet innumeris impedimentis obnoxiam, ad Dei voluntatem adimplendam nec non ad propositum foundationis provehendum. Christiana spe suffulta dicere consueverat: «Licet rerum adiuncta adversentur, crucem amplector; prae gravibus difficultatibus quae mihi in itinere obversantur, Divinae Providentiae confido». Devotionem coluit erga Eucharistiam, Beatam Virginem Mariam et Sanctum Ioseph, cuius patrocinio Institutum commisit. Ferventer orabat et per orationem magis in dies amore in Dominum inflammabatur. Mandata divina, doctrinam Ecclesiae et Regulam Instituti adamussim servavit. Caritatem exercuit erga infirmos quos curabat quibusque benigne inserviebat, erga pueros quos sedulo catechismum docebat, et erga consorores quibus materna deditio ministrabat. Adlaboravit ut moribundi se cum Deo reconciliarent, et ex animo ignovit omnibus a quibus improbe tractabatur.

Prudens sese gerebat in consiliis capiendis, et, cum inter ardua versabatur, a prudentibus personis auxilium quaerebat. Plures consorores adibant eam consilium et solamen petiturae. In somno, in cibis et in ceteris vitae adiunctis temperantem se praebeuit; spiritu mortificationis eminuit. Iustitiam exercuit in Deum et in proximum, sincerum ostendit ac reverentem animum erga aliorum iura. Paupertatem evangelico rigore ad effectum deduxit; superioribus et ecclesiasticae auctoritati obsequens exstitit; et miro exemplo castitatem servavit.

Anno 1886, etsi titulum retinens supremae Moderatricis, a quadam consorore quae eruditior videbatur est re substituta: hoc quidem dolores animi attulit ei et cruciatus, quos tamen fortitudine et humilitate sustinuit. Anno 1893 aegrotavit et, extremum patiens morbum, serenam et amabilem se ostendit. Die 11 mensis Iulii eiusdem anni in Domino obdormivit.

Ob diffusam sanctitatis famam, Episcopus Vicensis Causam incepit beatificationis et canonizationis, instruens Processum Cognitionalem annis

1985-1987, cuius iuridicam auctoritatem Congregatio de Causis Sanctorum approbavit per decretum die 10 mensis Februarii anno 1989 editum. Apparata *Positione*, die 8 mensis Novembris anno 1994 convenerunt Consultores Historici; ac deinde, ex consuetudine, disceptatio facta est de virtutibus a Serva Dei exercitis. Die 15 mensis Februarii anno 2005, felici cum exitu, habitus est Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Ordinaria Sessione congregati die 17 mensis Maii eiusdem anni, Ponente Causae Exc.mo D.no Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, agnoverunt Servam Dei Catharinam Coromina Agusti theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroico gradu exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto **XVI** per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodie no die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Catharinae Coromina Agusti, Fundatricis Congregationis Sororum Filiarum Iosephinarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TOLETANA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Cyriaci Mariae Sancha y Hervás Archiepiscopi Toletani et S.R.E. Cardinalis, Fundatoris Congregationis Sororum a Caritate Cardinalis Sancha (1833-1909)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Christus Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificaret in veritate atque pascerent » (CONC. OECUM. VAT. II, Decretum de pastoralis Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 2).

Cardinalis Cyriacus Maria Sancha y Hervás, fidelis mandato a Christo accepto atque apostolicae missioni sibi ab Ecclesia concredita, studiosa cura pastoralis suam vitam saluti sui gregis consecra vit, quem in Dei viis sanctitatis exemplo ducebat et apostolatus alacritate.

Hic sedulus Ecclesiae pastor die 18 mensis Iunii anno 1833 natus est in loco v. d. *Quintana del Pidió*, in archidioecesi Burgensi. A parentibus, humilibus agricolis, solidam accepit christianam educationem. Seminarium deinde est ingressus atque die 22 mensis Februarii anno 1858 sacerdos est ordinatus. Alacrem mentem ac firmam ostendit voluntatem pro ministerio Regni Dei, primum sua in dioecesi nativa, deinde vero Iacobopoli Cubae ubi a secretis fuit Archiepiscopi, postea canonicus paenitentiaris. Ibi Institutum condidit Sororum Pauperum et Infantium Pauperum, quod deinde nomen Sororum a Caritate Cardinalis Sancha accepit. Plures per menses in custodia permansit quoniam obstiterat initio gubernii Archiepiscopi schismatici Iacobopolis Cubae, contra Sanctae Sedis voluntatem nominati. E carcere ereptus, operibus caritatis se dedit atque moderamini Congregationis quam fundaverat.

Anno 1876 Episcopus renuntiatus est titulo Aeropolis et Auxiliaris Toletanus, Matrity habens domicilium. Anno 1882 Sacrorum Antistes nominatus est dioecesis Abulensis; anno 1886 moderamen concreditum est ei novae dioecesis Matritensis. Anno 1892 ad archiepiscopalem evectus est sedem Valentiae. Anno 1894 Cardinalis creatus est cum titulo Sancti Petri in Monte Aureo et anno 1898 Archiepiscopus Toletanus et Hispaniae Primas est constitutus.

Ubique vitae sanctitate nec non dilectione Ecclesiae, Summi Pontificis et animarum eminebat. Zelo semper plenus, assidue panem verbi Dei aeternarumque veritatum distribuit, cultum curavit divinum, studium promovit theologiae et catechismi, paternam adhibuit curam de sacerdotibus, de seminarii tironibus, de institutis vitae consecratae ac praesertim de pauperibus pro quibus maiorem sui temporis partem insumebat, ipsemet eos invisens iisque subsidia quaedam adferens. Adversus errores sui temporis pugnavit, leges defendit Ecclesiae, humanam christianamque fovit operariorum promotionem secundum doctrinam sociale Ecclesiae et normas Summi Pontificis Leonis XIII. Catholicorum scriptorum favit commentariis. Impigre suum ministerium testificatione corroboravit constantis et laetae adhaesionis ad Evangelium nec non generosa exercitatione omnium christianarum virtutum. Revera, fidem exercuit et diffudit, caritatem erga Deum et proximum, spem in divinam Providentiam. Prudentiam in moderando populo Dei manifestavit, iustitiam, humilitatem, fortitudinem et in difficultatibus patientiam, disiunctionem a mundi illecebris, temperantiam in bonorum terrestrium usurpatione, castitatem, erga Sanctam Sedem oboedientiam, clementiam et morum simplicitatem.

Suam aluit spiritalem vitam suumque pastorale ministerium constanti imitatione Christi Pastoris boni, eucharistica pietate, spiritu precatationis. Praesentia spiritalis eius ita excelluit ut non solum dioeceses illi concreditas illuminaret, sed cunctum Hispaniae populum. Quam ob rem magnam sibi conciliavit aestimationem et sanctitatis famam tum in vita tum post pium obitum, qui evenit die 25 mensis Februarii anno 1909.

Causam beatificationis et canonizationis Archiepiscopus Toletanus anno 1982 celebratione Processus cognitionalis inchoavit, cuius iuridicam validitatem hoc Dicasterium die 3 mensis Iulii anno 1992 recognovit. Parata *Positione*, sessio habita est Consultorum in historia peritorum. Disceptatum est deinde an Servus Dei virtutes heroico in modo exercuerit. Die 3 mensis Octobris anno 1997 Consultorum Theologorum primus exstitit Congressus, quem alter, positivo cum exitu, die 1 mensis Martii anno 2005 est secutus. Die 21 mensis Iunii eiusdem anni Sessio est acta Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum qui, Causae Ponente Exc.mo Domino Ioanne Coppa, Archiepiscopo titulo Sertensi, edixerunt Cardinalem Cyriacum Mariam Sancha y Hervás heroico in modo virtutes exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua,

vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodie-
no die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate
tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia,
Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Cyriaci
Mariae Sancha y Hervás, Archiepiscopi Toletani et S. R. E. Cardinalis, Fun-
datoris Congregationis Sororum a Caritate Cardinalis Sancha, in casu et ad
effectum de quo agitur.*

Statuit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta
Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**
Praefectus

L. & S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VERONENSIS

**Beatificationis et canonizationis Servae Dei Vincentiae Mariae Poloni (in saec.:
Aloisiae Franciscae Mariae), Fundatricis Instituti Sororum a Misericordia Vero-
nensium (1802-1855)**

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Deus benedicit illis qui in pauperum veniunt adiutorium reprobatque
illos qui ab hoc ayertuntur... Iesus Christus Suos agnoscet electos in eo
quod pro pauperibus fecerint» (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, a. 1992,
n. 2443).

Voluntati oboediens Domini qui dixit: « Sicut dilexi vos, ut et vos diligatis
invicem » (*Io* 13, 34), Serva Dei Vincentia Maria Poloni cum zelo, benignitate
et perseverantia amorem proximi exercuit, praesertim vero pauperum et
aegrotantium, quibus christiano modo sua ab iuventute serviebat. Tantum

praestans considerabat caritatis fraternae praeceptum ut in momento mortis ardentem id suis filiabus spiritalibus commendaret, addens: «Mementote - usque caritas manebit, Institutum operabitur».

Serva Dei die 26 mensis Ianuarii anno 1802 Veronae a parentibus Caetano Poloni et Margarita Biadego nata est, qui apud baptismi fontem ei nomina Aloisiae Franciscae Mariae dederunt. Secundum Dei et Ecclesiae leges edocta, in servitio erga numerosam familiam atque in paterna officina suam testificata est fidem. Eodem tempore suam colebat spiritalem vitam, Beato Carolo Steeb (1775-1856) moderante, qui eam in vocatione inveniendam iuvit nec non in operibus misericordiae exercendis erga senes feminas Deversorii Veronensis et Valetudinarii civilis. Mortua matre (1835), Serva Dei suam auxit caritativam navitatem atque, anno 1836, summa diligentia feminis cholera aegrotantibus adstitit.

Anno 1840, cum iam Dei voluntatem erga se ipsam bene intellexisset, familiam reliquit et quibusdam cum sociis se in Deversorio defixit ut totam se ministerio senum dicaret aegrotantiumque. Deinde vero operam etiam in Valetudinario addidit civili. Parva communitas a fundatoribus ducta, Beato scilicet Carolo Steeb et Serva Dei, crevit et corroborata est, Congregatio fit Sororum a Misericordia Veronensium, quae approbationem Episcopi Veronensis die 10 mensis Septembris anno 1848 accepit. Eodem die Serva Dei, cum novo nomine Vincentiae Mariae, vota religiosa simul cum suis sociis Sororibus nuncupavit, quas illa sapienter ad vitam consecratam educavit.

Vitae exemplo et instructionibus rectitudinem iis in agendo concedebat, teneritatem erga aegrotas, patientiam in angustiis, humilitatem in propriis erroribus recognoscendis, caritatem erga proximum et praesertim erga pauperes. Dicebat: «Pauperes nostri sunt domini, amemus illos et serviamus illis sicut ipsi Iesu Christo serviremus». Simili modo se cum Sororibus et aegrotis gerebat. Difficultates et sacrificia cum fide obiit et in divinam Providentiam fiducia. Precem colebat, pietatem erga Eucharistiam, Sacratissimum Cor Iesu, Immaculatum Cor Beatae Mariae Virginis et Sanctum Vincentium de Paul, quem ipsa fundatorem considerabat Instituti, quia eius erant regulae et spiritus, quae Sorores a Misericordia Veronenses susceperunt. Serva Dei, primum in familia deinde in sua communitate moderanda atque in pauperibus serviendis, prudentia, iustitia, fortitudine et humilitate eminuit. Patiens fuit omnino in difficultatibus atque infirmitatibus, temperans, in virtutibus exercendis perseverans atque in testificatio-

ne consiliorum evangelicorum. Christiana fortitudine infirmitatem sustentavit quae eam ad mortem die 11 mensis Novembris anno 1855 duxit.

Sanctitatis fama quae eam in vita comitabatur, etiam in annis mortem sequentibus, crescebat. Causa beatificationis et canonizationis tamen, tantummodo anno 1990 apud Curiam episcopalem Veronensem est inchoata. Die 3 mensis Decembris anno 1993 hoc Dicasterium iuridicam recognovit Inquisitionis dioecesanae validitatem eodem anno conclusae. Parata *Positione*, die 3 mensis Novembris anno 1998 sessio cum positivo exitu habita est Consultorum in historia peritorum. Disceptatum est deinde an Serva Dei virtutes heroico modo exercisset. Die 16 mensis Martii anno 2005 Consultorum Theologorum, cum exitu positivo, evenit Peculiaris Congressus. Die 15 sequentis mensis Novembris Patres Cardinales et Episcopi qui, Causae Ponente Exc.mo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, edixerunt Servam Dei heroicum in modum virtutes theologiales et cardinales iis adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Vincentiae Maride Poloni (in saec.: Aloisiae Franciscae Mariae), Fundatricis Instituti Sororum a Misericordia Veronensium, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. a s .

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

HISPALENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Perdolentis Márquez Romero de Onoro, Fundatricis Congregationis Philippensium Filiarum Mariae Perdolentis (1817-1904)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat »
(Lc 19, 10).

Caritas Christi, quam in fidelium cordibus Spiritus Sanctus accendit, Servam Dei Mariam Perdolentem Márquez Romero de Onoro duxit ad suam vitam impendendam pro humana christianaque progressionem mulierum in socialibus moralibusque discriminibus versantium.

Serva Dei Hispali in Hispania nata est die 23 mensis Decembris anno 1817 a parentibus Alonso Márquez Lechuga et Catharina Romero de Onoro, legitimis coniugibus, prospera oeconomica condicione praeditis. Anno 1845 matre e vivis erepta, Maria domesticum regimen assumpsit; deinde, occurrente obitu patris anno 1845, Constantinam se transtulit, ubi ferventem caritatis apostolatam exercuit. Consilio ducta apud Sorores Carmelitanas Discalceatas vitam gerendi, anno 1859 Hispalim repetiit, cui tamen moderator spiritualis, Pater Franciscus García Tejero presbyter Oratorii Sancti Philippi Neri, suasit ut in dignitatem mulieribus prostitutis reddendam easdemque evangelizandas incumberet.

Divina obsequens voluntati, anno 1860 domum suam reliquit, commoda posthabuit, pauperes induit vestes et vivere incepit inter mulieres sibi creditas, quibus Dei misericordiam nuntiabat, quasque christianam de moribus doctrinam docebat. Ut hanc operam firmaret et proveheret, novam condidit familiam religiosam, quae in praesens appellatur Institutum « Philippensium Filiarum Mariae Perdolentis », et anno 1865 ab Hispalensi Archiepiscopo est approbata. Anno 1871 Serva Dei electa est suprema moderatrix. Opera, a Deo benedicta et a conditrice sapienter gubernata, in alias quoque regiones est diffusa, ubique conferens ad augendum Regnum Dei.

Capitulum tamen habitum anno 1886 aliam elegit supremam moderatricem; tunc Serva Dei diuturnam coepit degere periodum contumelias patiens et dolores, quos spirituali serenitate pertulit, novis omnino obtemperans

superioribus. Pontificia adepta Instituti approbatione, Serva Dei Maria Perdolens anno 1898, una cum variis consororibus, perpetuam emisit professionem.

Illis absconditae vitae annis formationem perfecit sui spiritualis aedificii, quod omnimoda deditioe inde a iuventute inceperat. Fundamentum eius vitae Christus exstitit, quem ipsa indiviso corde dilexit cuique humilitate, fervore et sacrificii spiritu inserviit. Communionem cum Deo suumque strenuum apostolatam liturgia, oratione, cultu erga Passionem Iesu et Eucharistiam nutrit. Singularem excoluit devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam, quae magistra eius fuit quoad propositum Christum sequendi et animarum salutem promovendi. Dilectio erga Dominum inspiravit et roboravit caritatem in proximum et in consorores, in pauperes et in deerrantes mulieres, quarum plurimae ad rectam viam sunt revocatae.

Aetate proevecta mentisque onusta, Hispali in Domino obdormivit die 31 mensis Iulii anno 1904. Sanctitatis fama, qua vivens circumdabatur, post mortem increbruit; quaedam tamen Sorores, quae adversabantur ei, memoriam eius delendam contenderunt. Tandem, anno 1964 omnibus demptis obstaculis, historicae de Serva Dei inquisitiones fieri coeptae sunt. Inchoata Causa beatificationis et canonizationis, Hispali inter annos 1982-1984 instructus est Processus Cognitionalis, cuius vim iuridicam hoc Dicasterium approbavit decretum vulgans die 7 mensis Iunii anno 1985. Consultorum Historicorum sessio habita est die 7 mensis Octobris anno 1997; inde examen peractum est super virtutibus Servae Dei. Die 18 mensis Februarii anno 2005 favorabili quidem cum exitu actus est Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus. Cardinales Patres et Episcopi in Ordinaria Sessione die 7 sequentis mensis Iunii congregati, Ponente Causae Exc.mo D.no Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, edixerunt Servam Dei heroico in gradu excoluisse virtutes.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Perdolentis Márquez Romero de Onoro, Fundatricis Congregationis Philippensium Filiarum Mariae Perdolentis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CALARITANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Iosephinae Nicoli, Sororis Instituti Filiarum a Caritate (1863-1924)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Tota Domini esse desidero! ».

Consilium hoc, quod Serva Dei Iosephina Nicoli adhuc iuvenis sibi proposuit, ratio exstitit totius eius vitae. Illa quidem Domino prorsus se devovit, et persuasa « dilectionem proximi esse mensuram dilectionis Dei », uti ipsamet aiebat, testimonium perhibuit de Christi caritate erga pauperes, illitteratos, indigentes, quorum aerumnas sublevabat quosque ad Domini vias perducebat.

In pago *Casatisma*, ex dioecesi Derthonensi, nata est die 18 mensis Novembris anno 1863. Apud familiares congrua christianaque institutione est erudita. Simul cum suis translata in urbem Iriam, scholam frequentavit Sororum Sancti Augustini; deinceps altiora studia explevit, magistrae diploma obtinens. Pueros pauperes gratuite docebat, constanter orabat et cotidie Eucharistico Cibo nutriebatur.

Inde perfecit vocationem ad vitam consecratam et, suadente suo spirituali moderatore presbytero Iacobo Prinetti (1844-1908), fratre Ven. Servi Dei Felicis, anno 1883 ingressa est Societatem Puellarum a Caritate Sancti

Vincentii de Paul. Sequenti anno novitiatum iniit, religiosum induens habitum. Anno 1885 Caralim missa est ut doceret apud Institutum a Providentia. Eodem tempore iuvenes, studentes, operarios et pauperes catechisim docebat. Anno 1888 temporaria vota nuncupavit. Anno 1899 nominata est moderatrix orphanotrophii urbis Sassari; ibi quoque amplam explicavit operam evangelizationis, praesertim in utilitatem adolescentium; plurima excogitavit incepta de humana et christiana iuvenum progressionem; incubuit insuper in opera caritatis erga indigentes, aegrotos et carcere detentos.

Anno 1910 Taurinum se contulit, ubi officium nummariae administrationis suae Provinciae Religiosae ac postea regiminis noviciatus munus exercuit. Bonitate eminens, prudentia et sapientia, omnium aestimationem sibi comparavit. Anno 1913 iterum in orphanotrophium Sassariense destinata est, ubi quandam gravem difficultatem oppetere et calumnias quoque perferre debuit. Licet angustiis et contumeliis vexaretur, animo suo non defecit et pro gloria Dei operari perrexit. Anno 1914 Sassari vocata est ut moderatricis munus impleret Asyli Maritimi. Scholam condidit ad religionem iuvenibus mulieribus tradendam; promovit primum coetum juvenilem Italicum «Dominarum a Caritate», ut materialibus et spiritualibus pauperum aegrotorumque necessitatibus subveniret; operam dedit adolescentibus scrophulosi affectis curandis; praeterea ulteriora incepta promovit, sociato laicorum opere suffulta. Etenim plene conscia erat studium contendendi ut Deus cognosci ac diligi possit supremam esse testificationem caritatis; et, vitae suae testimonio, exemplum dedit animi iugiter propensi ad Creatorem.

Compulsa desiderio fastigia sanctitatis attingendi, fidem, spem et caritatem ceterasque virtutes studioso et spirituali delectamento excoluit. In difficultatibus versans Domini animarumque dilectione confirmabatur, et ad assidue operandum pro aedificatione Regni Christi et pro bono proximi ducebatur, ita ut, humana benevolentique sua consuetudine, innumeras provocaret conversiones. Divina mandata, ecclesiasticas leges, Regulas Instituti adamussim servavit, et exiguos quoque defectus vitandos curavit, ne Dominum offenderet. Tam oratione quam devotione erga Eucharistiam, Virginem Mariam et Sanctos caelites spiritualem suam vitam aluit.

Suis in muneribus explendis prudentia floruit et iustitia. Vere humilis et a seipsa opibusque terrenis seiuncta, privilegia sibi tribuenda minime quaesivit; Christi pauperis, casti et oboedientis vestigia omnino secuta est.

Altero currente dimidio anni 1924, valetudo eius in dies incepit in deterius ruere et, brevem morbum miro placidoque animo nec non supernaturali spe perferens, die 31 mensis Decembris eiusdem anni ad caelestem transiit Sponsum.

Ob diffusam sanctitatis famam, Archiepiscopus Calaritanum Causam iniit beatificationis et canonizationis, instruens Processum Ordinarium annis 1930-1947, cui additi sunt Processus Rogatoriales, peracti Sassari annis 1932-1947 et Taurini annis 1934-1947. Iuridicam horum Processuum auctoritatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum, decretum vulgans die 27 mensis Septembris anno 1985. Exarata *Positione*, desceptatio facta est, usitato more, de virtutibus a Dei Serva exercitis. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est die 4 mensis Februarii anno 2005, felicem ferens exitum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 17 mensis subsequentis Maii, Causae Ponente Exc.mo D. Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo emerito Calaritano, Servam Dei agnoverunt théologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroico gradu excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iosephinae Nicoli, Sororis Instituti Filiarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 88 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CLUNIENSIS

**Beatificationis et canonizationis Servorum Dei Narcissi de Estenaga y Echevarría
Episcopi Cluniensis et X Sociorum: IV Sacerdotum dioecesanorum, V ex Instituto
Fratrum Scholarum Christianarum et unius viri laici (f 1936)**

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem» (*Philp 2, 8*).

Dominus Iesus, qui Patris hominumque causa sanguinem suum effudit in cruce, discipulis suis praecepit ut essent parati ad vitam pro Ipso et evangelio ponendam. Hisce quidem praeceptis obtemperantes, Narcissus de Estenaga y Echevarría episcopus decemque Socii Christum persecuti sunt in via crucis usque ad effusionem sanguinis, ut resurrectionis gloriam cum Ipso communicare valerent.

1. Narcissus de Estenaga y Echevarría, episcopus, Iuliobrigae (*Logroño*) die 29 mensis Octobris anno 1882 natus, sacro presbyteratus ordine auctus est anno 1907. Decanus fuit cathedralis Toletanae ipseque probatus historiae ecclesiasticae studiosus. Anno 1922 nominatus est episcopus titulo Doritanus ac praefectus Prioratus Quattuor Ordinum Militarium in provincia Cluniensi, suo ipse munere pastoris Cluniensis fungens summo studio summaque pietate vitaeque austeritate.

"2. Iulius Melgar Salgado, sacerdos, natus est die 16 mensis Aprilis anno 1900 in loco v. d. *Bercero* intra fines archidioecesis Vallisoletanae. Anno 1934 presbyteralem ordinationem accepit per manum supradicti Praelati, qui eum in suum secretarium elegit.

Cum adversus Ecclesiam vexatio in Hispania exarsisset, Servi Dei ambo, quamvis fugiendi copia daretur, locum relinquere noluerunt. Aedibus episcopalibus expulsi, apud familiam quandam confugerunt; sed die 22 mensis Augusti anno 1936 capti sunt paucisque post horas manuballista in odium fidei interfecti.

Quod quidem contigit et octo aliis Servis Dei, qui nocturno tempore inter dies 18 et 19 mensis Augusti eiusdem anni necati sunt in coemeterio loci v. d. *Valdepeñas*. Agitur nempe de hisce tribus presbyteris dioecesis Cluniensis, quibus haec nomina:

1. Felix Gonzalez Bustos, vice-parochus loci v. d. *Santa Cruz de Múdela*, qui natus est die 23 mensis Februarii anno 1903 in loco v. d. *Alcubillas*;

2. Petrus Buitrago Morales, coadiutor in paroecia loci v. d. *Santa Cruz de Múdela*, qui natus est die 24 mensis Ianuarii anno 1883 in loco v. d. *La Solana*;

3. Iustus Aré vaio Mora, cappellanus communitatis Fratrum Scholarum Christianarum in Collegio Sancti Iosephi loci v. d. *Santa Cruz de Múdela*, qui natus est die 19 mensis Iulii anno 1869 in loco v. d. *Miguelterra* intra fines dioecesis civitatis *Regalensis*.

E praedicta communitate quinque religiosi viri iisdem rerum adiunctis interfecti sunt, videlicet:

4. Agapetus Leo (in saec.: Remigius Olalla Aldea), supradicti Collegii praefectus pro tempore existens, qui natus est die 2 mensis Augusti anno 1903 in loco v. d. *Acinas* intra fines dioecesis Oxomensis;

5. Iosaphat Rochus (in saec.: Urbanus Corral González), eiusdem Collegii praeceptor, qui natus est die 6 mensis Decembris anno 1899 in loco v. d. *Navajos* in archidioecesi Burgensi;

6. Iulius Alfonsus (in saec.: Valerianus Ruíz Peral), eiusdem Collegii praeceptor, qui natus est die 15 mensis Septembris anno 1911 in loco v. d. *Arconada* in dioecesi Palentina;

7. Ladislaus Aloisius (in saec.: Isidorus Muñoz Antolín), eiusdem Collegii praeceptor, qui natus est die 8 mensis Maii anno 1916 in loco v. d. *Arconada*;

8. Damasus Aloisius (in saec.: Antoniolus Martínez Martínez), eiusdem Collegii praeceptor, qui natus est die 12 mensis Ianuarii anno 1915 in loco v. d. *Armellada* intra fines archidioecesis Ovetensis.

Die vero 17 mensis Septembris anno 1936 in coemeterio loci v. d. *Alcázar de San Juan* interfectus est, utpote fervens christifidelis, Alvarus Santos Cejudo, paterfamilias, cui Maria Rubio Márquez uxor septem liberos pepererat, e quibus duae postmodum vitam religiosam capesserunt. Servus Dei, qui natus erat die 19 mensis Februarii anno 1880 in loco v. d. *Daimiel* in dioecesi Cluniensi, operam suam exercebat pro Publica Ferri viaria Societate.

Undecim hi Servi Dei mortem pro Christo obierunt omnes cum vitam aeternam sperantes tum interfectoibus ignoscentes: quapropter eos vulgus pro martyribus fidei habuit. Episcopus Cluniensis, Causae beatificationis seu déclarations martyrii initio facto, annis 1956-1958 Processum

Ordinarium Informativum celebravit. Cuius validitas iuridica recognita est ab hoc Dicasterio per decretum die 20 mensis Novembris anno 1992 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum praefati Servi Dei vere pro martyribus haberi possent. Die 16 mensis Martii anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 16 mensis Iunii anni 2005 congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titulo Cilibiensis, Causae Ponentis, agnoverunt XI Servos Dei mortem obiisse ut fidelitatem erga Christum et Ecclesiam testarentur.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Narcissi de Estenaga y Echevarría, Episcopi Cluniensis, et X Sociorum: IV Sacerdotum dioecesanorum, V ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum et unius viri laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua et hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS

Praefectus

L. J3 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

ILLERDENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Spei González Puig, Fundatricis Congregationis Missionariarum Servarum ab Immaculato Corde Mariae (1823-1885)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Libentissime igitur potius gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi» (2 Cor 12, 9).

Serva Dei Spes González Puig plurimis affecta est doloribus et angustiis, attamen, sicut apostolus Paulus, sua ex paupertate et sui ipsius exinanitione singulare fecit instrumentum ut Domino permitteret manifestare potentiam et in ipsa inhabitare. Illa igitur, Christo coniuncta, hostiam viventem se praebeuit ad humanitatis peccata reparanda et peculiarem in modum operata est pro redemptione mulierum in vitio versantium.

Haec fidelis Domini Serva Illerdensi in urbe, in Hispania, die 19 mensis Maii anno 1823 ex christiana familia est nata. Ab infantia specialibus erat supernis donis ditata. Illa sex annos nata visionem Christi cum Cruce habuisse narratur. Sequenti anno desiderium significavit in vita religiosa Deo se consecrandi. Adulescentula a parentibus est orbata. Anno 1837 castitatis vota nuncupavit ac diligentius precibus se dicavit et mortificationi quo melius divina consilia erga se ipsam intellegeret. Difficile deinde spiritale vixit discrimen, inclusis conatibus se ipsam vita privandi. Consiliis ducta confessoris Iosephi ESCOLA, difficultates superavit, atque cum perciperet se nullo modo mundi illecebris indulgere debere, ad Christum definitive est conversa.

Novit praeterea Dominum eam ad novam religiosam familiam condendam vocare. Die 15 mensis Octobris anno 1852, de assensu spiritalis moderatoris, privato modo consiliorum evangelicorum emisit professionem. Decem transactis annis, vigorem infundere potuit communitati quam animo prosequabatur. Mense Maio anno 1862 communem vitam cum aliis sociis inchoavit; sequenti anno, definitiva accepta approbatione Episcopi Illerdensis, est nata Congregatio Missionariarum Servarum ab Immaculato Corde Mariae, ut adiumentum praesertim puellis segregatis et mulieribus dissolutis adferret.

Institutum crescebat novas aperiens communitates, neglectis variis adversis et hostilibus rebus. Serva Dei peculiaribus fruebatur spiritalibus dotibus quibus tamen infirmitates et diabolicae vexationes addebantur. Humili gratoque animo Domini dona accepit et difficultates nec non incomprehensiones fortiter oppetivit.

Suam erga Redemptorem manifestavit dilectionem fideliter servans praecepta et constanter christianas religiosasque exercens virtutes. Etiam inter tribulationes et spiritalem ariditatem fortis permansit in fide ac saepe baptismales renovabat promissiones. Promptam se declaravit ad maximas angustias perferendas ut in omnibus Domini voluntatem adimpleret. Suam aluit vitam spiritalem pietate erga Eucharistiam, Passionem et Sacrum Cor Iesu et Virginem Mariam. Suaviter ac simul fortiter egit erga mulieres cura et solacio egentes; amabilis se gessit cum consororibus, misericors in omnes. Inde a iuventute pauperes adiuvit et seminarii tirones in necessitate versantes oeconomice sustinuit.

Prudenter suum rexit Institutum, sapienter consilia tulit et in difficultioribus adiunctis ad prudentes personas confugiebat auxilium petitura. Multis paenitentis sensus continebat. Moderatoribus spiritalibus et auctoritatibus ecclesiasticis prompto animo oboedivit. Paupertatem veluti Domini « gratiam et gemmam) habuit eamque exemplari modo exercuit. Fideliter castitatem servavit, quam a periculis prohibuit.

Se pauperem existimabat peccatricem, numquam tamen de sua dubitavit aeterna salute, eam attribuens non propriis meritis, sed misericordiae divinae. Brevem post infirmitatem, in domum Patris transiit die 5 mensis Augusti anno 1885.

Diffusam ob sanctitatis famam, Episcopus Illerdensis Causam beatificationis et canonizationis inchoavit celebratione Inquisitionis dioecesanæ (1991-1993), cuius iuridicam validitatem die 18 mensis Novembris anno 1994 Congregatio de Causis Sanctorum recognovit. Parata *Positione*, disceptatum est, secundum solitas normas, an Serva Dei virtutes heroico modo exercuerit. Positivo cum exitu, die 12 mensis Aprilis anno 2005, Congressus habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 13 subsequentis mensis Decembris, relatione audita Ponentis Causae, Exc.mi Andreae Mariae Erba, Episcopi Veliterni-Signini, edixerunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroicum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto **XVI** per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Spei González Puig, Fundatricis Congregationis Missionariorum Servarum ab Immaculato Corde Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**
Praefectus

L. £8 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Bucchi (in saec.: Mariae Me-thildis), Fundatricis Congregationis Sororum a Pretiosissimo Sanguine Modoetiae (1812-1882)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Domina, mulier pauper sum, expers litteris, carens virtutibus, sine do-te ». Ita Serva Dei Maria Bucchi suam exprimit haesitationem Virgini Perdo-lenti quae, in spirituali visione, illi nuntiavit Deum eam destinavisse ad condendam Congregationem pro iuvenum institutione. Hac in suiipsius vi-sione, Serva Dei peculiarem in modum resumit aspectus sive sociales sive morales suae verae existentiae.

Nata est in pago vulgo *Agrate Brianza*, Mediolani, die 18 mensis Maii anno 1812, e rustica ac paupere familia et iuxta fidem traditosque mores admodum christiana; instituta est praesertim ad proprias civium Brigantinorum virtutes, nempe ad sobrietatem, navitatem morumque integritatem. Frequentia eius scholastica brevis exstitit, quoniam menstrua pecunia a schola iniuncta cum oeconomica familiae condicione componi non poterat. Plurimum ad eius formationem contulerunt partes quas habuit in vita paroeciali. Admirans enim de rebus divinis intellegentiam illius puellulae sex tantum annos natae, parochus, dominus Andreas Rancati, admisit eam ad confirmationis sacramentum. Duodecim aetatis annos agens accessit ad primum eucharisticum convivium, quod constituit initium spiritalis itineris, cuius Deus ipse exstitit eius magister. Didicit per studium *Catechismi* et *Historiae Sacrae* Eum cognoscere, in precatione et in pulchritudine naturae Eum invenire Eique in aliis inservire.

Ad sustinendam familiam, Modoetiam se contulit ad operam navandam in sericorum officina; postea, fabrica in discrimen inducta, Serva Dei coacta est aliam exquirere operam et hanc quidem domesticam, prius Mediolani, deinde Cixinusculi ac tandem in pago *Agrate*. Anno 1852 munus sibi assumpsit sociam praestandi operam Canossianis Filiabus a Caritate, ad iuvenes mulieres instituendas apud Modoetiense Institutum. Procedente tempore aliae sociae ad eam sese iunxerunt, et inde orta est Communitas *Tertiariarum Canossianarum*, quae vota simplicia et officia institutoria profitebantur sub oboedientia Filiarum a Caritate. Oboedientia haec, quae de iure admitti non poterat, Tertiariis impedivit ne approbarentur ab Ecclesia, quae immo decrevit eas dirimendas et in Congregationem Canossianam inserendas. Serva Dei hanc haud facilem transitionem summo fidei spiritu tulit, hortans Sorores ad scopum vocationis ferventer tuendum eo ut «Sanguinem Hominis-Dei frugiferum redderent», et ad normas competentis auctoritatis ecclesiasticae humili fiducia excipiendas: omnes circa eam sese strinxerunt.

Anno 1874, obtemperantes Archiepiscopo Mediolanensi, Exc.mo D.no Aloisio Nazari di Calabiana, Sorores Tertiariae Modoetiam ad vetus coenobium Sororum Humiliatarum Benedictinarum Sanctae Margaritae se translulerunt. Hac in sede, die 17 mensis Maii anno 1876, ipse Archiepiscopus certiore fecit Communitatem de canonica eius erectione sub titulo Congregationis «Sororum a Pretiosissimo Sanguine», nominans simul Sororem Mariam Methildem Bucchi primam eius moderatricem generalem. De totius communitatis rogatu, die 15 mensis Maii anno 1879, D.nus Nazari di Calabiana confirmavit eam ad alterum triennium, quod tamen Serva Dei ad finem

perducere non potuit. Quin obstaret eius progressiva virium defectio, Sorores et alumnas tam Scholae quam Collegii consueta sollicitudine comitari perrexit. Extremum terrestris itineris cursum perficiens, magis magisque se trahebat in manus Iesu cruci affixi, in quem inde a pueritia intuitum vertere consueverat. Oeconomicas, culturales socialesque oppetens difficultates, vitam duxit in gaudio paupertate, dolores constanter et heroica cum dedicatione offerens pro mundi salute, quin ullam ostenderet coactionem. Humanis subsidiis carens, quae futuram existentiam eius familiae religiosae tutarentur, nullo umquam tempore animo defecit, quinimmo, firma fiducia innixa, spem constituebat in virtute Sanguinis Christi.

Lecto iacens ob ingravescentem morbum, a multis sacerdotibus eam invisentibus efflagitabat ut pro se orarent ad Dei misericordiam obtinendam pro peccatis. Novissimis vitae diebus fide sustinebatur in infinitam Sanguinis Christi caritatem. Piissime obiit feria IV, die 1 mensis Martii anno 1882. Maeror Sororum et alumnarum ob illius obitum illuminatus est testificatione eius sanctae vitae. Initium exstitit augescentis fama sanctitatis et in dies magis diffusae, quae, quamvis varias inter temporum vicissitudines, ad hodiernum usque diem remanet.

Nonnullis superatis processibus difficultatibus, Archiepiscopus Mediolanensis inchoavit Causam beatificationis et canonizationis, et annis 1991-1992 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem approbavit haec Congregatio decretum edens die 23 mensis Aprilis anno 1993. Apparata *Positione*, disceptatio facta est, ad normas vigentes, de virtutibus a Dei Serva exercitis. Die 4 mensis Martii anno 2005 favorabili cum exitu habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 8 sequentis mensis Novembris Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati, Ponente Causae Exc.mo D.no Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, agnoverunt Servam Dei virtutes heroico in gradu esse exsecutam.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Bucchi (in saec.; Mariae Methildis), Fundatricis Congregationis Sororum a Pretiosissimo Sanguine Madoetiae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

STRIGONIENSIS-BUDAPESTINENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servae Dei Sarae Salkaházi, Sororis Professae ex Instituto de Servitio Sociali (1899-1944)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Caritate gratoque animo erga Societatem et Sorores meipsam hodie cupio offerre inimmolationem pro Societate, si adversus Ecclesiam, Societatem, Sorores vexatio oriatur».

Hisce verbis anno 1943 Serva Dei Sara Salkaházi vitam suam obtulit Domino, qui subsequenti anno eam exaudi vit, gratiam concedens ut suum ipsa sanguinem effunderet cum in fidei testimonium tum in praeceptum caritatis fraternae heroice exercendum.

Haec testis Christi nata est die 11 mensis Maii anno 1899 in loco v. d. *Kassa-Kosice* tunc in Hungaria Septentrionali nunc in Slovachia. Fide prae-lucente instituta, nonnullis religiosis associationibus naviter interfuit. Postmodum, ludimagistrae diplomate potita, minime institutioni, aliis verum operibus incumbere maluit, videlicet glutinationi librorum, arti diurnariorum, navitati politicae, scriptioni, ad quam quidem videbatur aptissima. Anno autem 1929, postquam per diu meditata est suamque vocationem investigavit, ingressa est Institutum de Servitio Sociali, cuius Domus Mater

Budapestini erat. Cum autem natura esset vehemens eaque alacris et impigra, quo se coërceret melioremque fieret secum ipsa pugnavit.

Die 12 mensis Iunii anno 1930 vota temporaria nuncupavit, perpetua vero decem post annis. Ipsa exinde muneribus, quae Superiores commiserunt, diligenter iuncta est. Nam in loco v. d. *Kassa* eadem caritatis opera direxit, mulieres curavit ut ad maiorem humanam christianamque dignitatem accederent utque vitae Ecclesiae interessent, acroases habuit ephemeridemque fundavit, cui «Mulier Catholica» inscriptio. Anno autem 1932 in locum v. d. *Komdrom*, qui erat in Cecoslovachia, catechismi docendi gratia commigra vit. Hic primum ephemeridi, quam ipsa in loco v. d. *Kassa* fundaverat, incumbere non intermisit, deinde vero alii diario, quod iam pridem Sorores Transilvanæ edendum curabant, operam dedit. Coetum quoque Episcoporum Cecoslovachorum adiuvit, apparans plures hebdomadas studii causa exigendas pro «Catholicae Iuventutis Associatione», cuius ipsa moderatrix nationalis erat. Pro pauperibus autem, in quos semper sollicita erat, culinam instruxit qua victus quingentis pueris suppedtabatur. Femininae quoque iuventutis corpus instituit et «Catholicarum Mulierum Foederationem» fundavit. Cum autem propter ingentem assiduamque navitatem mente et corpore consumeretur, ipsa anno 1934 in locum v. d. *Kassa* evocata est; sed invidia et reprehensionibus affecta est, quas tamen, Dei fide suffulta, toleravit.

Anno 1937 in Hungariam reversa est, in Brasiliam divini verbi nuntia profectum. Ipsa igitur, dum eo, quod tam flagranti studio cupierat, potiretur, licet magno perculsa dolore, promisit semet religiosum habitum deposituram, illumque sumpturam sociarum laicarum, quae vim Instituti de Servitio Sociali observantes socialibus eius operibus intererant. Quod autem Serva Dei exoptabat, hoc minime cessit, idque praesertim propter alterum populorum conflictum, cum ipsa multifariam impensam que caritatis operam navavit. Caritatis quidem opere suam ipsa vitam immolavit. Nam anno 1941 Budapestini Serva Dei facta erat moderatrix centralis Foederationis Nationalis Mulierum Puellarumque Operatricum, quae gerontocomia administrabat nonnullasque ephemerides edendas curabat.

Caritate Christi compulsula, Serva Dei prófugos, eosque qui propter sententiam de re politica persecutionem patiebantur, Hebraeosque legibus quae feruntur phyleticis multatos iuvabat. Cum igitur nomen eius, utpote quae pluribus Hebraeis refugium praebuisset, delatum esset, die 27 mensis Decembris anno 1944 capta est. Minime ipsa restitit; sed, marialem coronam

secum ferens, secuta est carnifices, qui eo ipso die ad ripam Danuvii eam manuballista interfecerunt.

Quae quidem cum haberetur pro martyre fidei, Archiepiscopus Strigoniensis-Budapestinensis, ipsius Causae beatificationis seu declarationis martyrii initio facto, annis 1996-1998 Inquisitionem dioecesanam instruxit. Cuius validitas iuridica rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 25 mensis Februarii anno 2000 latum. *Positione* confecta, disceptatum est, secundum normas, super asserto Servae Dei martyrio. Die 5 mensis Aprilis anni 2005 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 21 mensis Iunii eiusdem anni congregata, D.no Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, Causae Ponente, agnoverunt Servam Dei utpote fidelem Christi discipulam interfectam esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servae Dei Sarae Salkaházi, Sororis professae ex Instituto de Servitio Sociali, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. S **ARAI VA MARTINS**

Praefectus

L. EB S. .

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TREVIRENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Rosae Flesch (in saec.: Margaritae), Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium a B.M.V. Angelorum (1826-1906)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Cuncta agenda propter Deum, pro Deo, cum Deo, ut denique perveniantur ad Deum».

Haec quidem, quae Serva Dei Maria Rosa Flesch (in saec.: Margarita) dictitabat, vitae institutum ei sane fuerunt. Ipsa enim inde ab adolescentia consiliis dominicis mundicors adhaesit sicque divinam gratiam explevit. Quae, licet multis aerumnis quassata, facta est signum Christi in mundo (cf. **IOANNES PAULUS II**, Adhortatio Apostolica *Vita consecrata*, **25**) sed et docile instrumentum misericordiae Christi erga egenos, pro quibus fundavit Congregationem Sororum Franciscalium a Beata Maria Virgine Angelorum.

Quae testis fidelis Redemptoris pauperibus christianis parentibus nata est die **24** mensis Februarii anno **1826** in loco, quem appellant *Vallendar*, haud longe a Confitentibus in Germania. Puella matrem amisit; pater ergo ad secundas nuptias transiit, uxorem quandam adiungens, quae Servae Dei haud paucos dolores intulit. Decimum quartum annum aegens caelesti dape primitus refecta est indeque coepit sacris quotidie sollempnibus interesse. Patre autem demortuo, sua opera familiae sustentandae profuit. Interea impensae magnaeque navitati apostolicae, cum in adolescentulas suae ipsius parociae, tum in orphanos, infirmos et pauperes, incumbabat. Tertium Ordinem Franciscalium ingressa, consilium voluit ut se Domino in vita consecrata donaret. Mox nonnullis iuvenibus, idem ac ipsa appetentibus, sociatis, pauperem convictum inivit anno **1861** in domo «S. Maria» apud locum v. d. *Waldbreitbach*.

Primordia illa Congregationis anno **1863** Episcopus Trevirensis approbavit, qui insuper Servae Dei eiusque sodalibus concessit ut habitum religiosum induerent. Cito complures domus novitii Instituti initium habuerunt. Anno **1868** Serva Dei votis perpetuis se Deo consecravit. Subsequenti anno eadem in Moderatricem Generalem electa est, quod quidem munus usque ad annum **1878** obivit. Deinde vero ipsa a Moderatrice, quae ei in vicem successerat, et a

Rectore plurima indigna accepit, quippe quae cogeretur in parva cellula vivere et cum conversis accumbere. Hisce autem aerumnis aequo et constanti animo perfuncta, eadem Sororibus exemplo evasit, oboedientia primum et humilitate, diligenti denique Regulae observantia, postremo assiduo virtutum omnium, cum christianarum tum religionis, exercitio.

Quaecumque vera divinitus revelata sunt, iis profecto sicut et Magisterii praeceptis firmiter assensa est. Prompta fide voluntati dominicae adhaesit, utpote quae Domino laeto animo et amore indiviso se donasset Eique Uni in tribulationibus fidenter se commendaret. Puella iam coeperat bene dispositam vitam spiritualem excolere, quam postea, quo magis sapientia et gratia proficiebat, eo magis absolvendam aluit, praesertim oratione ac pietate erga Sacrosanctam Eucharistiam, Beatissimam Virginem Deiparam, Sacratissimum Cor Iesu.

Evangelica dilectione in pauperes et infirmos praeter ceteros flagravit, quos maternis curis et benignitatibus prosequebatur, Sorores idem agere hortans. Omnibus illis, a quibus forte aerumnis affecta fuerat, ignovit. Benigna quoque Sororibus fuit, quas ceterum, quandocumque opus fuit, reprehendere non praetermisit. Filiarum in spiritualibus, quae in maximis difficultatibus saepe auxilium ab ea petebant, mentis caliginem dispellebat easque sapienti consilio iuvabat. Attamen Servae Dei caritas in eo praesertim bello refulsit, quod anno 1870 inter Gallos et Borussos pugnatum est, cum suam ipsius utilitatem sauciis militibus curandis adeo neglexit ut amplissimi honoris insignibus digna fieret. Eadem vero rebus in asperis prudentes personas ad consilium adhibebat. Suum ipsa Institutum mirabili sagacitate direxit, efficiens ne religiosis mulieribus sacerdotes consiliarii deessent, ne tum quidem cum scilicet, ob culturalem quae fertur pugnam (seu potius Germanice «*Kulturkampf*»), habitus persecutorius in Ecclesiam eiusque ministros eruperat. Pacem quoque in Congregatione tuita est, quippe quae, sine ullo iniusto discrimine, in omnes Sorores peraeque se gereret. Vehementis ingenii, quo praedita erat, impulsiones cohibere valuit ipsaque omni tempore sobria fuit, adeo ut specialem victum numquam expeteret, quae potius autumabat «contentum esse, hoc quidem pro regno valere». Auctoritatibus ecclesiasticis paruit, etiam cum id magnum dolorem postulabat; divitias quaslibet reliquit, quippe quae Sorores hortaretur ut, divi Francisci vestigiis insistentes, paupertatem ac simplicitatem excolerent; ipsa denique exemplo fuit in castimoniae virtute exercenda. Vitae suae, quam latens deguit, fortunae vicissitudines complures humiliter accepit.

Cum aeternae beatitudinis iam gaudia paulo ante finem praeciperet, die sui e vita discessus Sorores salutavit, dicens: « Eo in caelum ». Ad domum Patris pervenit die 25 mensis Martii anno 1906.

Pro pervagata fama sanctitatis, Episcopus Trevirensis Causam beatificationis et canonizationis inchoavit per Processum Ordinarium, annis 1957-1972 celebratum. Postea requisitio monumentorum historicorum effecta est. Cuius vis iuridica Processus recognita est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 19 mensis Februarii anno 1999 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Serva Dei virtutes in gradu heroico exercuisset. Die 19 mensis Aprilis anno 2005 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 6 mensis Decembris anno 2005 congregati, audita relatione Exc.mi D.ni Lini Fumagalli, Episcopi Sabinensis-Mandelensis, Causae Ponentis, recognoverunt Servam Dei Mariam Rosam Fleisch virtutes theologiales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto **XVI** per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexas, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Rosae Fleisch (in saec.: Margaritae), Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium a Beata Maria Virgine Angelorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Aprilis A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 18 S.

18 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIIS

PROVISIO ECCLESiarUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 3 Iunii 2006. — Titulari episcopali Ecclesiae Vardimissensi R.D. Moysem Marcia, e clero Calaritano, hactenus ibidem Oeconomum dioecesanum et in Seminario Regionali Directorem spiritus.

die 6 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Enachdunensi, R.D. Octavium Cisneros, e clero dioecesis Bruklymensis, hactenus Rectorem Instituti vulgo dicti «Cathedral Seminary Residence of the Immaculate Conception», quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Glendalacensi, R.D. Vidonem Sansaricq, e clero dioecesis Bruklyniensis, ibique curionem paroeciae Sancti Hieronymi et Apostolatus pro Haitianis Moderatorem Nationalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Insulae Cathensis, R.D. Franciscum Iosephum Caggiano, e clero dioecesis Bruklyniensis, ibidem Vicarium Vitae Pastoralis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 7 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Vegeselitanae in Byzacena, R.D. Renatum Coba Galarza, Archidioecesis Quitensis Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thibuzabetensi, R.D. Daniele Echeverría Verdesoto, dioecesis Ibarrensis Seminarii Rectorem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Quitensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Ficensi R.P. Gregorium (Leozirio) Paixão Neto, O.S.B., hactenus Collegii S. Benedicti in archidioecesi Sancti Salvatoris in Brasilia Administratorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Ordinariatui Militari Brasilianae Reipublicae, Exc.mum P.D. Ansuium Iosephum Both, hactenus Episcopum Novohamburgensem.

die 8 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Raleighiensi, Exc.mum P.D. Michaellem Franciscum Burbidge, hactenus Episcopum titularem Clonerdensensem et Auxiliarem archidioecesis Philadelphiensis Latinorum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bardensi, R.D. Daniele Eduardum Thomas, e clero archidioecesis Philadelphiensis Latinorum, ibique curionem paroeciae Dominae Nostrae Assumptae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 10 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Visensi R.D. Ildio Pinto Leandro, hactenus paroeciae vulgo *São Salvador*, in eadem, parochum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tuscanensi, R.P. Hannibali Nieto Guerra, O.C.D., in archidioecesi Guayaquilensi parochum, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mosae Traiectensis, R.D. Marcum Pérez Caicedo, archidioecesis Guayaquilensis Seminarii Rectorem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 17 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Lurinensi Exc.mum P.D. Carolum García Camader, hactenus Episcopum titularem Villamagnensem in Proconsulari et Auxiliarem archidioecesis Limanae.

die 19 Iunii. — Archiepiscopali Ecclesiae Camberrensi, cui unitus est titulus Gulburnensis, Exc.mum P.D. Marcum Benedictum Coleridge, hactenus Episcopum titularem Thevestinum et Auxiliarem archidioecesis Melburnensis.

die 20 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Sabariensi, Exc.mum. P.D. Andream Veres, hactenus Episcopum titularem Cissensem et Auxiliarem Agriensem.

— Cathedrali Ecclesiae Szegediensi-Csanadiensi, Exc.mum. P.D. Ladislaum Kiss-Rigó, hactenus Episcopum titularem Pudentianensem et Auxiliarem Strigoniensem-Budapestinensem.

die 24 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Palentinae, R.D. Iosephum Ignatium Munilla Aguirre, e clero dioecesis Sancti Sebastiani, hactenus parochum paroeciae vulgo nuncupatae «El Salvador».

— Cathedrali Ecclesiae Teramensi-Hatriensi, Exc.mum P.D. Michaellem Seccia, hactenus Episcopum Sancti Severi.

die 28 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Yprensi, R.D. Iacobum Blaquart, e clero dioecesis Engolismensis, ibique Vicarium Generalem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Burdigalensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Stephani, R.D. Dominicum Lebrun, e clero dioecesis Sancti Dionysii in Francia, ibique parochum ecclesiae cathedralis et Decanum urbis Dionysiopolitanae.

die 5 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Caicoënsi R.P. Emmanuelem Delson Pedreira da Cruz, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, hactenus huius Ordinis Consiliarium Generalem pro America Latina.

die 6 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Atrimensi, R.D. Gregory O'Kelly, Societatis Iesu sodalem, hactenus Collegii Sancti Ignatii in civitate Adelaidensi Praesidem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Adelaidensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Galli R.D. Marcum Büchel, e clero eiusdem dioecesis, hactenus Capituli Cathedralis Sancti Galli Decanum.

die 7 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Altamirensis R.D. Maximinum Martínez Miranda, e clero dioecesis Atlacomulcanae, hactenus Vicarium Generalem et paroeciae vulgo *Santa Maria de Guadalupe* nuncupatae parochum.

— Titulari Ecclesiae Buthrotiae R.D. Georgium Frendo, Ordinis Fratrum Praedicatorum sodalem et Vicarium Generalem archidioecesis Tiranensis-Dyrracenus, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIAE

Benedictus divina Providentia Pp. XVI, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, quae sequitur Ecclesia sacrum Pastorem dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 30 Iunii 2006. — Cathedrali Ecclesiae Ootacamundensi R.D. Arulappan Amalraj, olim Rectorem « Good Shepherd Seminary » dioecesis Coimbaturensis.

ACTA TRIBUNALIUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Plenaria conceditur Indulgentia christifidelibus occasione «V Mundialis Familiarum Congressus».

DECRETUM

Veneratae Memoriae Ioannes Paulus PP. II, de familiari consortio argumentum, considerationi totius Ecclesiae proponere volens, statuit ut quarto quoque anno convocaretur «Mundialis Familiarum Congressus», ea in primis pastoralis sollicitudine motus ut idem argumentum impenso studio elucidaretur, et humanae familiae institutum ab erroribus et pravitatibus hodie grassantibus defenderetur, ac tandem precibus commendaretur Deo, a quo Creatore conditum et, ordinis supernaturalis Auctore, matrimonium pro baptizatis in Sacramentum auctum est.

Summus Pontifex Benedictus XVI, hanc sui Decessoris mentem omnino propriam faciens, «V Mundialem Familiarum Congressum», currente anno Valentiae in Hispania, a die prima ad diem nonam mensis Iulii, celebrandum, Sui ipsius praesentia absolvere statuit, vota Augustissimae Trinitati provehens ut inde magnum Ecclesiae emolumentum obveniat, praesertim ex proposito illi themate pertractando de christiana familia, vitae et amoris sede ac «domestica ecclesia», in qua a parentibus inaestimabile fidei donum filiis traditur.

Ipsae igitur Summus Pontifex, proprium circa mundialem Valentiae convocationem animum ostendens, plenariae Indulgentiae donum christifidelibus libenter concedere decrevit iuxta sequentem tenorem, desiderans nempe ut illi ex omnibus mundi partibus plurimi libenter illuc conveniant, variis inceptis et religiosis celebrationibus pro familia ibi peragendis ferventi et attento animo incumbant et, postquam Dei gratia roborati domum fuerint regressi, in propriis et proximorum familiis iuxta sanctas Evangelii normas conformandis generose sese impendant. Exemplum propriae uniuscuiusque

vitalis christianis virtutibus operibusque pietatis et caritatis refertae praebeant, patrocinio suffulti Beatae Mariae Virginis eiusque castissimi Sponsi Ioseph, quibus arcanum Dei consilium tribuit ut familiam constituerent in qua ipse Dominus Noster Iesus Christus, homo factus, «proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines» (Lc 2, 52).

Quapropter Summus Pontifex *plenariam* concedit *Indulgentiam*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem eiusdem Summi Pontificis), animo quidem elongato a quocumque peccato, obtinendam christifidelibus, si cui ex sacris sollemnibus functionibus, decursu «V Mundialis Familiarum Congressus» Valentiae celebrandis, necnon sollemni Congressus conclusioni devote interfuerint.

Multiplicem exercuit apostolicam actionem artissime cum Domino coniunctus, quem super omnia dilexit. Fidelis erga propositum suum sanctitatem assequendi, quod pridie ordinationem sacerdotalem inierat, iter ad evangelicam perfectionem perseveranter percurrit, sacerdotales christianasque virtutes exercendo. Verbo, exemplo vitae et scriptis, iuvenes et fideles suae pastoralis curae créditos per Christi vias duxit. Fidei, caritatis et spei virtutes est testificatus. Spirituale nutrimentum invenit in liturgia et in oratione. Eucharistiam praedilexit; immo, priusquam presbyter constitueretur, cotidie participabat Eucharisticum Sacrificium, et, post receptam communionem, ita fervore aestuabat, ut vocationem suscitareret cuiusdam iuvenis qui eum intuebatur. Cultu prosequabatur beatissimam Virginem, cui iam quattuordecim annos natus se devoverat, sub cuius praesidium tempore tribulationis confugebat et in suis contionibus saepe de Ipsa loquebatur.

Aestimatus consiliarius fuit iuvenum et prudens moderator spiritualis. A terrenis facultatibus alienus, exiguas suas opes pauperibus distribuebat. Magnopere nisus est ut iniustitiae condiciones aboleret secundum socialia Ecclesiae praecepta. Difficultates et contumelias spirituali sustinuit fortitudine. Humilitatem excoluit, oboedientiam et castitatem; quarum virtutum momentum et venustatem scriptis contionibusque docuit. Mense Maio anno **MCM** certior factus de gravi tumore forma, serene dolores pertulit, spe roboratus Dominum assequendi, qui eum ad Se vocavit eodem anno die xxxi mensis Augusti.

Ob diffusam sanctitatis famam, anno **MCMLXXXII** incohata est Causa per Processum Cognitionalem. Omnibus servatis de iure servandis, Nobis coram die **XXII** mensis Iunii anno **MMIV** tam super heroicis virtutibus quam super miraculo decreta prodierunt. Quocirca statuimus ut ritus beatificationis Lauretana in urbe perageretur die v sequentis mensis Septembris.

Hodie igitur Laureti intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: «Noi, accogliendo il desiderio dei Nostri Fratelli Lluís Martínez Sistach, Arcivescovo di Barcelona, Mariano de Nicolò, Vescovo di Rimini, e Cataldo Naro, Arcivescovo di Monreale, e di molti altri Fratelli nell'Episcopato e di molti fedeli, dopo aver avuto il parere della Congregazione delle Cause dei Santi, con la Nostra Autorità Apostolica concediamo che i Venerabili Servi di Dio Pere Tarrés i Claret, Alberto Marvelli e Pina Suriano d'ora in poi siano chiamati Beati, e che si possa celebrare la loro festa nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno: il 30 maggio per Pere Tarrés i Claret, il 5 ottobre per Alberto Marvelli e il 19 maggio per Pina Suriano. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo ».

Praeclarus hic vir actuosae sanctitatis testificationes christifidelibus universis tribuit ac, totam vitam Domino Deo addicens, perquam studiose omnibus inserviit. Dum tantam eius pro Domini amore navitatem simulque eximias virtutes laudibus extulimus, omnes christifideles ad praestabile eius exemplum imitandum sumus hortati et Nos primi cum omnibus adstantibus eum venerati sumus et caeleste super universam Catholicam Ecclesiam invocavimus patrocinium.

Quae autem hisce decrevimus Litteris, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis rebus neutiquam obsistentibus.

Datum Laureti, sub anulo Piscatoris, die v mensis Septembris, anno Domini **MMIV**, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

De mandato Summi Pontificis

83 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco **88** Sigilli

In Secret. Status tab , n 565.781

II

Venerabili Servo Dei Alberto Marvelli Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu gratias agentes Deo Patri per ipsum » (Col 3, 17).

Dominus Iesus principem tenuit locum in vita Venerabilis Servi Dei Alberti Marvelli, qui in diario spiritali ita scripsit: « Iesus sua me circumdedit gratia. Nonnisi Eum contemplor, nonnisi Eum cogito ». Cum Christo coniunctus, hic iuvenis laicus, Ecclesiae Ariminensis filius et Actionis Catholicae magnanimus fautor, fideli laetoque animo munera baptismatis explevit ac totam suam brevem vitam, nempe xxviii aetatis annos, uti donum amoris pro fratrum bono a Iesu datum esse intellexit.

Ipsae Ferrariae natus est die xxi mensis Martii anno **MCMXVIII** parentibus bona fortuna instructis solidaque catholica institutione. Anno **MCMXXX** una cum familia Ariminum transmigravit, ubi sub fidei lumine crevit, participans Oratorium Salesianum atque ingrediens Actionem Catholicam, in qua brevi prima fecit apostolatus opera atque varia obiit munera. Delegatus dioecesanus fuit studentium coetus ac deinde praepositus catholicis laurea praeditis. Anno **MCMXLI** Bononiae lauream adeptus est in disciplina machinali, deinde nonnullos per menses operam navavit in autoraedarum officina quae appellatur «Fiat» in urbe Taurinensi. Eodem anno ad militiam vocatus est, quam primum Tergesti et postea Tarvisii gessit. Ubique fidem suam testatus est assiduamque explicavit apostolatam inter milites. Participavit omnes vices dramaticas urbis suae Ariminensis bello vastatae, cunctis viribus suis intentus ut suorum concivium angustias allevaret. Succurrit eis qui pyrobolis vulnerabantur, adiuvit pauperes, impedivit ne plurimi iuvenes deportarentur in Germaniam. Post bellum eodem fervore operae, non minus arduae, materiali et morali se dedit urbem suam restaurandi. Constitutus est moderator Officii Habitationum, assessor communalis pro operibus publicis, doctor machinarius Civilis Fabricae, sodalis executivae factionis politicae Democratiae Christianae. Anno **MCMXLV** ingressus est Societatem Operariorum a Gethsemani, cuius partem dioecesanam instituit Arimini. Varia promovit incepta caritatis et assistentiae socialis; uti sodalis Conferentiae Sancti Vincentii de Paul pauperes

peculiariter praeoptavit et exheredes, pro quibus instituit «Pauperis Mensam», quibusque dominica die, eo ipso ministrante, prandium offerebatur.

Amor et curiositas erga Actionem Catholicam propulerunt eum ad curandam sui ipsius suorumque sociorum christianam formationem. Ideo interfuit conventibus, campis scholasticis, congressibus nationalibus, unde novum attingit fervorem. In vita cotidiana triplex ad rem perduxit munus Associationis: orationem scilicet, actionem et ministerium, coniungens plenam operibus dedicationem cum intensa vita interiore, quam aluit sacramentis, precibus et amore erga Dominum, Ecclesiam et animas. Vim hausit ex caritate, ac praecipue ex ardenti devotione erga Eucharistiam, quae fons est et culmen communionis cum Deo et missionis Ecclesiae. Bello mundialis vix composito, singularia ob adiuncta in quibus Italia versabatur, sese dedit politicae actuositati quae christianis inspirabatur principiis. Candidatus Democratiae Christianae pro electione primae administrationis communalis Arimini, cum ad ultimum comitium se conferret, die v mensis Octobris anno **MCMXLI** militari autoraeda illisus est et paulo post animam Domino exhalavit.

Ob diffusam et crescentem sanctitatis famam Episcopus Ariminensis Causam beatificationis et canonizationis incohavit. Omnibus de iure expletis, die **XXII** mensis Martii anno **MCMLXXXVI** declaravimus eum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum gradu exercuisse. Die quidem **VII** mensis Iulii anno **MMIII** coram Nobis promulgatum est decretum super miraculo intercessionis Servi Dei adscripto. Deinde decrevimus ut ritus beatificationis Laureti die v mensis Septembris huius anni **MMIV** celebraretur.

Hodie igitur Laureti, intra Missarum sollemnia, hanc protulimus formulam: «Noi, accogliendo il desiderio dei Nostri Fratelli Lluís Martínez Sistach, Arcivescovo di Barcelona, Mariano De Nicolò, Vescovo di Rimini, e Cataldo Naro, Arcivescovo di Monreale, e di molti altri Fratelli nell'Episcopato e di molti fedeli, dopo aver avuto il parere della Congregazione delle Cause dei Santi, con la Nostra Autorità Apostolica concediamo che i Venerabili Servi di Dio Pere Tarrés i Claret, Alberto Marvelli e Pina Suriano d'ora in poi siano chiamati Beati, e che si possa celebrare la loro festa nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno: il 30 maggio per Pere Tarrés i Claret, il 5 ottobre per Alberto Marvelli e il 19 maggio per Pina Suriano. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo».

Persuasum habentes nostris praecipue in rerum adiunctis, laudabilem hunc Beatum insignes pietatis, sanae doctrinae operumque bonorum suo tempore dedisse testificationes, Nos Ipsi, gratiarum actionibus benignissi-

mo Domino redditis, hunc novum caelitem laudibus honestavimus ac primi venerati sumus caeleste eiusdem invocantes patrocinium, eumque tam christifidelibus quam universae hodiernae societati libentes proposuimus imitandum.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Laureti, sub anulo Piscatoris, die v mensis Septembris, anno **MMIV**, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 565.780

III

Venerabili Servae Dei Iosephae Suriano Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Te diligere cupio patiendo, pati cupio cantando».

Haec verba, a Venerabili Serva Dei Iosepha Suriano in diario spiritali scripta cum aetatem ageret circiter xviii annorum, patefaciunt oblationem sui ipsius Divino Redemptori, quem ardentem diligebat cuique suas offerebat passiones ad hominum peccata reparanda atque frugifera apostolatus opera, explenda in contemplatione, in communione cum Deo et fratribus inque ferventi adhaesione Actioni Catholicae.

Haec Ecclesiae filia nata est in loco *Partinico*, archidioecesis Montis Regalis, die xviii mensis Februarii anno **MCMXV** ex agricolarum familia. Asylum frequentabat apud Sorores Colleginas Sacrae Familiae ac postea ludum litterarium publicum. Septem annos nata ingressa est Actionem Catholicam, in

qua mansit usque ad mortem. Anno **MCMXXXII** votum castitatis emisit in manus sui moderatoris spiritus et primi parochi Antonini Cataldo necnon Deo sese obtulit pro animarum salute ac praecipue pro sanctificatione sacerdotum. Deinde proposito adhaesit constituendae communitatis instar instituti saecularis quae appellabatur «Societas Sacri Cordis», quod tamen propositum evanuit postquam parochus Cataldo quem diximus *Partinico* abiit.

Apud novam paroeciam Beatae Virginis Mariae a Rosario una cum parochi Andrea Soresi sociam dedit operam instituendae Actioni Catholicae, cuius a secretis fuit annis **MCMXXXIX-MCMXLV** ac deinde Iuventutis femininae praesidis munere functa est annis **MCMXLV-MCMXLVIII** post instantem iuvenum postulationem. Institutioni «beniaminarum» atque «aspirantium» incumberebat, recessus spirituales apparabat pro sodalibus Iuventutis femininae. In paroecia catechesim quoque tradebat sponsis atque regebat Piam Societatem Filiarum Mariae, quam ipsa instituerat.

Omnia haec opera zelo explebat, varias oppetens difficultates. Mense Februario anno **MCMXL**, se vocatam putans ad vitam consecratam, Institutum Filiarum Sanctae Annae ingressa est Panormi, sed octo post dies domum repetere debuit propter quaedam incommoda cordis. Alias religiosas communitates ingredi conata est, sed non valuit ob suae valetudinis condiciones. Suum tamen studium ad sanctitatem implevit cum laetitia et perseverantia laicalem gerens vocationem, in Dei voluntate plane accipienda inque fidelitate propositis Actionis Catholicae servanda.

Omnes aedificavit christianas exercens virtutes. Nam sua in familia, inter amicas et puellas, quas ipsa spiritu est moderata, validum testimonium praebuit fidei, quam aluit liturgia, precibus, devotione erga Eucharistiam, Sacrum Cor Iesu et Virginem Mariam, lectione et meditatione Sacrarum Litterarum, textuum theologiae, catechismi et Ecclesiae documentorum. Sese fidenter credidit Deo, qui unus est fons veri perennisque gaudii. Peccatum vitavit seduloque operata est pro errantium conversione. Sereno animo infirmitates et angustias sustinuit, cum spe viva praestolans laetitiam sine fine. Magnam ostendit caritatem erga suos necessarios omnesque quibus in apostolatu occurrebat.

Consiliaria fuit prudens sapiensque puellarum Actionis Catholicae atque Filiarum Mariae; cum omnibus illis solidam iniit amicitiam, nisam communi proposito simul laborandi pro Regni Dei diffusionem. Aeque animo operata est cunctis in rerum adiunctis. Sobria fuit et austera, ab omni terrestri bono et honore seiuncta. Prompte Cruci Christi adhaesit, patienter perferens cardio-

pathiam quae ante tempus eam ad mortem detulit nempe die xix mensis Maii anno **MCML**

Ob diffusam sanctitatis famam anno **MCMLXX** Archiepiscopus Montis Regalis Processum Ordinarium Informativum incohavit. Expletis iure statutis, die **XVIII** mensis Februarii anno **MCMLXXXIX** declaravimus Servam Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum gradu exercuisse. Die xxn mensis Iunii anno **MMIV** coram Nobis promulgatum est decretum super miraculo intercessioni Servae Dei adscripto. Deinde decrevimus ut ritus beatificationis Laureti die v mensis Septembris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur Laureti, intra Missarum sollemnia, hanc protulimus formulam: «Noi, accogliendo il desiderio dei Nostri Fratelli Lluís Martínez Sistach, Arcivescovo di Barcelona, Mariano De Nicolò, Vescovo di Rimini, e Cataldo Naro, Arcivescovo di Monreale, e di molti altri Fratelli nell'Episcopato e di molti fedeli, dopo aver avuto il parere della Congregazione delle Cause dei Santi, con la Nostra Autorità Apostolica concediamo che i Venerabili Servi di Dio Pere Tarrés i Claret, Alberto Marvelli e Pina Suriano d'ora in poi siano chiamati Beati, e che si possa celebrare la loro festa nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno: il 30 maggio per Pere Tarrés i Claret, il 5 ottobre per Alberto Marvelli e il 19 maggio per Pina Suriano. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo ».

Deinde Nos Ipsi, de novorum caelitem virtutibus instituentes sermonem, beatam Iosepham Suriano libentes venerati sumus eiusque exemplar iuvenibus nostrae aetatis enixe proposuimus imitandum.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Septembris, anno **MMIV**, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

83 **ANGELUS** card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 565.224

IV

Venerabili Dei Servo Iosepho Mariae Cassant Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Cum iam missam celebrare non poterò, Iesu Cor de hac vita me dimittere poterit, quoniam nullam habeo terrae adhaesionem». Sui quidem fidelis servi Iosephi Mariae Cassant propositum exsequi constituit Dominus: ipse tuberculosi correptus, xxv annos natus, octo post presbyteralis ordinationis menses hoc de mundo discessit.

Is in oppido *Casseneuil-sur-Lot*, in meridiana Francogallia, die vi mensis Martii anno **MDCCLXXVIII** ortus est. Eucharistiae amore captus, precationi deditus, inde a pueritia sacerdotium affectabat. Obsequenter vitam monasticam complectendi consilio sui parochi stetit atque adulescens sedecim annorum, die v mensis Decembris anno **MDCCLXXIV** Trappam Sanctae Mariae de Deserto, intra Tolosanae Sedis fines, est ingressus, commodum reperiens ci austri silentium et precationem. Imbecilla fruebatur valetudine, ingenii ususque haud pollebat facultatibus, sed communi sensu, firma voluntate, innocentiae decore, affatim exornabatur.

Cum in coenobium adolescentem reciperet et in eo amandi donandique magnam facultatem reperiret Magister, eiusdem animum confirmavit: «Confide, te equidem ad Iesum amandum iuvabo». Eum in semita Cordis Christi direxit, eucharisticum adolescentis studium augens, qui vicissim fidenter simpliciterque sivit se doceri et regi, cor aperiens atque cunctis in difficultatibus pacem reperiens et laetitiam. Monasticae ascesis salebrosus iter, quod ad cordis puritatem ac Dei voluntatem penitus exsequendam ducit, dulcius expeditiusque per eius docilitatem factum est. Iosephus simpliciter sincereque se commisit communitati et moderantibus Superioribus.

Cum vera amicitia cum spiritali Moderatore se Iosephus Maria coniungeret, id adolescentem iuivit, ut Deum ac se ipsum cognosceret: didicit nempe se penitus Iesu Amori, eius Veritati, eius Viae, eius Vitae dicare. «Omnia Iesu per Mariam»: haec fuit adolescentis sententia, qui singulos diei actus monachi maxima cum largitate complebat, ut Iesu per Mariam satisfaceret, se servum usque considerans inutilem.

Die **XXIV** mensis Maii anno **MM** apud Sanctam Mariam de Deserto sollemnia vota nuncupavit. Cum ad sacerdotium constanter vellet accedere, Supe-

riores effecerunt ut theologicae disciplinae operam daret; sed cum memoria careret, studia haec impervia facta sunt, quae res probra animique despon- sionem procuravit. Per constans studium maximaque sacrificia satis suam mentem intellectum que erudi vit atque iam valde infirmatus die xn mensis Octobris anno **MCMIII** sacerdotalem ordinationem recepit.

Nihil quod ad mundi gloriam pertineret, scilicet eximium ingenium, prae- stantiam corporis, manuum facultates, habebat Iosephus Maria Cassant. Pauper erat ac se, ut erat, humiliter accipiebat. Sanctitate eminuit eo quod Amori se totum addixit, suos praeter limites, immo propter eos: «Iesu Cor thronus est misericordiae, ubi miseri melius suscipiuntur».

Cum sciret non debilibus suis viribus, sed vigore ex Iesu Corde oriente se inniti, Moderator spiritalis concessit ut peculiare votum nuncuparet adulescens, quod eius fiduciam confirmavit, eius animi elationem demissio- nemque temperavit eumque in Amore firmum reddidit: votum fuit numquam demittendi animum, cui semper fidelis Iosephus fuit: «Iesu, in tuo Corde fac ut sim firmus ac tua in bonitate fiducia in me semper maneat! ».

Fratribus dilectus, semper contentus laetusque, monachus hic firmitatem ac felicitatem personaliter alteque Iesu Cor conveniendo repperit, cum sim- pliciter sed firmiter constanterque suam voluntatem in Eum duceret a quo amabatur quemque vicissim toto corde amabat.

Morbus progrediebatur inexorabilis isque hunc monachum cruciabat, quem pacate tranquilleque ille tolerabat. Orabat ipse ut « mori serene ideoque magis magisque sociari cum Iesu Corde posset». Crebro Iesu bonitatem in Reconciliationis sacramento et cum Missam celebrare iam non posset in sacra Eucharistia reperiebat. Suae brevis vitae cursum die xvii mensis Iunii anno **MCMIII** complevit. Novem vitae monasticae annos exegit, precationi, sui dedi- tione humilitati, servitio, fraternae dilectioni dicatos.

Perstante sanctitatis fama, processus Ordinarius in Curia ecclesiastica Tolosana, annis **MCMXXXVI-MCMXXXVII** constituitur et Processus Apostolicus annis **MCMLX-MCMLXIII** actus est. Omnibus iure statutis perfectis rebus Nobis coram Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die ix mensis Iunii anno **MCMLXXXIV**, Decretum vero de miraculo die **VII** mensis Iulii anno **MMIII**, prodiit. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Romae die **III** mensis Octo- bris anno **MMIV** celebraretur.

Hodie igitur, in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Christophori Lagleize, Episcopi Valentinensis, Aemilii

Marcus, Archiepiscopi Tolosani, Renardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, Hectoris Rubén Aguer, Archiepiscopi Platensis, et Theodori de Faria, Episcopi Funchalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium expletes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Vigne, Iosephus Maria Cassant, Anna Catharina Emmerick, Maria Ludovica De Angelis et Carolus e Domo Austriae Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Petri Vigne die octava Iulii, Iosephi Mariae Cassant die decima septima Iunii, Annae Catharinae Emmerick die nona Februarii, Mariae Ludovicae De Angelis die vicesima quinta Februarii, et Caroli e Domo Austriae die vicesima prima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Deinde, gratiis benignissimo Domino redditis, hunc beatum venerati sumus eumque omnibus adstantibus proposuimus imitandum.

Quod autem his sermonibus decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus plane valere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **III** mensis Octobris, anno **MMIV**, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco 63 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 570.090

V

Venerabili Dei Servo Petro Vigne Beatorum caelorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Sanctissimum Sacramentum arbor est ex qua fructus obveniunt, qui ad spiritualem vitam gerendam nos concitant ». Hisce verbis presbyter Petrus Vigne eximiam suam significavit fidem in Eucharistiam, ex qua fortitudinem attingere potuit ut montem sanctitatis ascendere, et pastorem caritatem ut ad Dei Regnum aedificandum ope apostolatus efficaciter conferret. Etenim Eucharistia « in qua totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus » fuit illi « fons et culmen totius evangelizationis » (CONC. OECUM. VAT. II, *Presbyterorum Ordinis*, 5).

Hic fervens Dei Servus die xx mensis Augusti anno **MDCLXX** natus est in Gallico oppido vulgo *Privas*, dioecesis Vivariensis. Brevi tempore perspicere potuit Iesum Christum, qui homines dilexit « factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Philp 2*, 8), per Eucharistiam nobis se tradere pergere. Illo ex tempore Iesus potissimum tenuit locum in vita et propositis eius. Presbyter ordinatus die xviii mensis Septembris anno **MDCXCIV**, sacrum exercuit ministerium uti vicarius fidelium loci *Saint-Agrève*, ac deinde, quo efficacius Christo et Ecclesiae serviret, Congregationem Missionis amplexus est religiosam emittens professionem anno **MDCCII**. Una cum suis sodalibus vires insumpsit Evangelium nuntians diversis in locis, praesertim apud pauperiores et magis derelictas regiones. Anno **MDCCLVI**, sua sponte ac de superiorum consensu, ad clerum dioecesanum reversus est quo in pauperes evangelizandos et in catholicam tuendam fidem, haeresi infestam, promptiore apertioreque animo incumberet. Licentiam obtinens sui Episcopi missionarius esse voluit itinerans, animarum saluti omnino deditus. Ut posset praedicare, confessiones audire, hortari et suadere, suam regionem pedibus saepe percurrit, onera fere semper oppetens et incommoda, ad dissitos quoque vicos perveniens atque aegritudines corporis hominumque simultates cohibens. Itinera suscipiens parvum secum ferebat confessionale ut ubique Reconciliationis sacramentum administrare posset. Libros scripsit et sacra cantica composuit. Cultum erga Christi passionem promovit et pluribus in locis Viam Crucis erexit. In loco vulgo *Boucieu-le-Roi*, ubi degebat, amplum Calvariae monumentum extruxit et magnam Viam Crucis, quae facta sunt sive locus pere-

grinantium sive centrum evangelizationis. Nonnullis suffultus mulieribus, quae in spirituali peregrinorum famulatu comitabantur eum, anno **MDCXXV** condidit Sorores Religiosas Sanctissimi Sacramenti ita appellatas. Venerabilis Dei Servus missionem eisdem commisit Eucharistiam adorandi, pauperes iuvandi nec non instituendi iuvenes, pro quibus tempus viresque insumpsit; praeterea aliquot aperuit scholas, quas suis credidit Sororibus. Dicebat enim: «Omnis paroecia progreditur per idoneam institutionem iuvenum, a quibus posthac constituetur». Peculiari fervore curavit formationem eorum qui operam navabant in educandis instituendisque pueris et etiam puellis futuris matribus familias. Christi caritate compulsus, omnibus viribus suis Deum dilexit, pro cuius gloria alacriter adlaboravit, et beneficia Redemptionis largiter distribuit. Iuvamen tulit pauperibus, infirmis, confratribus presbyteris, atque suis filiabus spiritualibus quas sanctitatis itinera docuit. Pro tenuioribus et indefensis propugnavit eorum iura tuendo. Vires impendens pro populo et pro Instituto a se condito, vitam suam spiritualem assidue ac diligenter fovebat sub lumine Eucharistiae, Passionis Domini et cultus erga Virginem Mariam, quam appellabat «venustum inter Deum et homines tabernaculum».

Apostolico fervens ministerio, morte correptus est die **VIII** mensis Iulii anno **MDCXXL** in urbe *Rencurel*, dioecesis Gratianopolitanae. Sanctimoniae fama persistente simul cum recordatione Servi Dei, incohata est Causa beatificationis et canonizationis per instructionem Processus Ordinarii in Gallicis urbibus, nempe Valentiae anno **MDCCCXCIII** et Vivarii anno **MDCCCXCIV**. Servatis omnibus de iure servandis, Nobis coram Decretum prodiit super heroicitate virtutum die **VII** mensis Iulii anno **MMIII**. Posterius, die xix mensis Aprilis huius anni **MMIV** miraculum agnovimus adscriptum intercessionem eiusdem Servi Dei. Itaque statuimus ut ritus beatificationis perageretur Romae die **III** sequentis mensis Octobris.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Christophori Lagleize, Episcopi Valentiniensis, Aemilii Marcus, Archiepiscopi Tolosani, Renardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, Hectoris Rubén Aguer, Archiepiscopi Platensis, et Theodori de Faria, Episcopi Funchalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Vigne, Iosephus Maria Cassant, Anna Catharina Emmerick, Maria Ludovica De Angelis et Carolus e Domo Austriae Beato-

rum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Petri Vigne die octava Iulii, Iosephi Mariae Cassant die decima septima Iunii, Annae Catharinae Emmerick die nona Februarii, Mariae Ludovicae De Angelis die vicesima quinta Februarii, et Caroli e Domo Austriae die vicesima prima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Consuetudo denique habito sermone, quo eximiam huius beati vitam et innumera pastoralia opera pro animarum salute laetanter laudibus ornavimus, omnes christifideles de eius virtutum exemplo breviter edocuimus eosque simul hortati sumus ad hunc praestabilem virum, qui per fidem et opera Christum fideliter secutus est, non modo colendum, verum etiam praesertim nostra aetate imitandum. Tandem cum adstantibus cunctis ipsum venerati sumus et caeleste eius invocavimus patrocinium.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **III** mensis Octobris anno Domini **MMIV**, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 565.679

VI

Venerabili Dei Servae Annae Catharinae Emmerick Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Et tuam ipsius animam pertransiet gladius» (*Lc 2, 35*).

Divinus Redemptor per passionem suam et mortem peccatum sustulit mundi (cfr *Io 1, 29*) atque novum doloris tradidit sensum, quem in instru-

meritum vertit redemptionis. Maria etiam Sanctissima proprio dolore Redemptionem actuose participavit; simili modo plurimi christifideles annorum decursu infirmitates in idoneum instrumentum mutaverunt ad Regnum Dei diffundendum. Iis sine dubio adnumeranda est Venerabilis Serva Dei Anna Catharina Emmerick quae, sciens virtutem Domini in infirmitate perfici (cfr 2 Cor 12,9), suam accepit crucem atque simul cum Christo viam ad Calvariae locum percurrit.

Die **VIII** mensis Septembris anno **MDCLXXIV** in loco v.d. *Flamske*, dioecesi in Monasteriensi, familia rustica, est orta. Quosdam tantummodo menses scholam frequentare potuit quia, etiamsi infirma valetudine, domesticis operibus et rustico labore conferre debebat ad familiam sustentandam. Oti tempus transigebat religiosos legens libros atque Sacras meditans Scripturas; precibus ardentem se tradidit atque continentiam exercuit. Aliquos per annos in vilicatione quadam laboravit. Viginti annos nata Confirmationis Sacramentum accepit. Domino fortiter fidens spiritalis momenta ariditatis nec non varias daemonii temptationes oppetivit.

Vocatione ad vitam consecratam roborata, anno **MDCCCLII** monasterium est ingressa Canoniarum Regularium Sancti Augustini in loco *Dülmen* atque, sequenti anno, vota nuncupavit religiosa. Fidelitate in servanda regula, diligentia in caritate apud sorores diffundenda nec non patientia in difficultatibus et incommodis suscipiendis eminuit. A Domino singularibus dotibus est ornata. Post conventus abolitionem a publica Status auctoritate iniunctam, veluti famula recepta est domi cuiusdam sacerdotis Francogallici, qui, ob rerum eversionem, propriam reliquerat domum. Morbo correpta, immobilis semper mansit. In eius corpore signa apparuerunt Christi Passionis, quibus alia quoque dona extraordinaria accesserunt. Notitia de existentia horum signorum, quae Serva Dei humili gratoque animo assumpsit, statim est diffusa. Multi devoti et curiosi ad lectum eius adveniebant, quos ea, etiamsi dolens, amabiliter excipiebat et ad proseguendas Christi vias adhortabatur.

Per sui doloris et assiduae precationis oblationem artiozem in dies communionem attigit cum Christo quem omnibus dilexit viribus. Ei ut complaceret, divinis adhaesit consiliis, malum abhorrens atque constanter laetanterque christianas excolens virtutes usque ad evangelicam obtinendam perfectionem. Fides fax exstitit quae iter eius illuminabat atque tutela in rebus adversis. Spiritalem vitam lectione et meditatione Sacrarum Scripturarum fovit, pietate erga Eucharistiam qua cotidie nutriebatur, Mariali

cultu nec non aliis spiritalibus exercitiis, praecipue Via Crucis. Ecclesiam amavit, apostolatum sustinuit sacerdotum, assidue pro peccatorum conversione orabat et patiebatur. Caritatem exsequebatur erga sorores et omnes qui ei assidebant et eam visitabant. Medico dixit ut suum erga proximum ministerium veluti altissimam consideraret virtutem. Magno animo aliis se dedit, solamen ferens afflictis atque vestimenta conficiens pro pauperibus puerulis.

Salutaria consilia dabat illis qui quaerebant eam, atque prudentem se praebeuit in aptioribus eligendis instrumentis ad spiritalis vitae progressionem. A terrenis opibus honoribusque seiuncta, Deo ipsi omne tribuit meritum. Omnino obsequens fuit parentibus, ecclesiasticis moderatoribus nec non medicis eam curantibus. Exemplari modo firmitatem, temperantiam et castitatem exercuit. Multos post dolores, ad Christum, suum sponsum, pertransiit die **IX** mensis Februarii anno **MDCCCXXIV**.

Sanctimoniae fama crescente, Episcopus Monasteriensis Causam inchoavit beatificationis canonizationisque instruens Processum Ordinarium Informativum annis **MDCCCXCI****MDCCCXCIX** **EX** diuturno Processus itinere clare probatum est scripta, quae Servae Dei tribuebantur, opera esse Germanici scriptoris Clementis Brentano. Omnibus de iure diligenter expletis, Nobis adstantibus, die xxiv mensis Aprilis anno **MMI**, decretum promulgatum est de virtutibus theologalibus, cardinalibus iisque adnexis heroum in modum ab Anna Catharina Emmerick exercitis. Die **VII** mensis Iulii anno **MMIII** decretum, coram Nobis, super miraculo prodiit quod eiusdem Venerabilis Dei Servae intercessionis est adsignatum. Statuimus igitur ut beatificationis ritus die in mensis Octobris anno **MMIV** Romae perageretur.

Hodie igitur, in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Christophori Lagleize, Episcopi Valentinensis, Aemilii Marcus, Archiepiscopi Tolosani, Renardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, Hectoris Rubén Aguer, Archiepiscopi Platensis, et Theodori de Faria, Episcopi Funchalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Vigne, Iosephus Maria Cassant, Anna Catharina Emmerick, Maria Ludovica De Angelis et Carolus e Domo Austriae Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Petri Vigne die octava Iulii, Iosephi Mariae Cassant die decima septima Iunii, Annae Ca-

tharinae Emmerick die nona Februarii, Mariae Ludovicae De Angelis die vicesima quinta Februarii, et Caroli e Domo Austriae die vicesima prima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Venerabilis Serva Dei Anna Catharina Emmerick Christi eiusque Ecclesiae singularem ostendit dilectionem atque insignia dedit pietatis testimonia. Eius vitam conspicientes, quae Redemptorem etiam variis in difficultatibus fideliter est secuta, ad altiore usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitatur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitatur.

Quod autem his sermonibus decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus plane valere, contrariis rebus minime quibuslibet offici entibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **III** mensis Octobris, anno **MMIV**, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco **£8** Sigilli

In Secret. Status tab., n. 565.779

VII

Venerabili Dei Servo Carolo e Domo Austriae Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Illud tantummodo cupio: quam clarissime Dei voluntatem percipere quamque perfectissime eam exsequi ».

Haec verba a Venerabili Servo Dei Carolo e Domo Austriae paulo ante obitum pronuntiata, eius significant vitae rationem. Sciens ille mundum transire et concupiscentiam eius, et illum tantum, qui Dei voluntatem adimplet, manere in aeternum (cfr *1 Io* 2, 17), diligentem dedit operam ut volun-

tati adhaereret Dei, quae in animo semper habuit in officiis christiani, mariti, patris et imperatoris adimplendis.

Die **XVII** mensis Augusti anno **MDCCLXXXVII** in Austriae loco v.d. *Persenbeug* est ortus. Vindobonae, in gymnasio Scotorum privatas scholas frequentavit. Inde ab infantia singularem monstrabat oboedientiam nec non liberalitatem erga pauperes, xvi annos natus tribunus creatus est in exercitu imperiali ubi ingenii dotibus fidelitateque eminuit.

Die **XXI** mensis Octobris anno **MCMXI** matrimonio sibi adiunxit principis filiam Zitam ex Borbonica dynastia Parmensi, cui, vigilia nuptiarum, dixit: «Iam deinceps mutuo contendere debemus ut caelum consequamur». Uxorem suam sicut seipsum dilexit (cfr *Eph* 5, 33). Octo nati sunt illis liberi, quos Carolus in Domini viis ducebat. Interfecto avúnculo, archiduce Francisco Ferdinando, Carolus heres Habsburgicae sedis est factus. Primo grassante bello universali particeps fuit militarium actionum atque exemplum dedit probitatis et fortitudinis. Diligenter adlaboravit ut vulnerati congruenter curarentur, ut captivi humaniter ac reverenter tractarentur; furta, vastationes atque dolosas destructiones prohibuit.

Post obitum Francisci Iosephi, die xxi mensis Novembris anno **MCMXI** imperator factus est Austriae. Dixit se coronam non ad suiipsius gloriam accepisse, sed «ut pro suis viveret subiectis, ut de illis curam adhiberet, ut pro illis oraret et pateretur illosque per sanctificationem ad Deum adduceret». Regimen tenebat secundum Evangelium et Ecclesiae doctrinam, assidue pro communi bono operans. Adhortante Decessore Nostro Papa Benedicto **XV**, pacem servare voluit, sine tamen exitu. Deminuere conatus est proprii populi aerumnas. Quamobrem publicas instituit culinas atque, praecepta sequens *Rerum Novarum*, officium condidit de rebus socialibus ut pauperes praesertim adiuveret. Numquam preces neglegebat, immo ex eis adiumentum hauriebat tum ad vitae difficultates obeundas, tum ad iter sanctitatis prosequendum per christianarum virtutum exercitationem.

Fidem veluti veram vitae suae publicae et privatae viam monstravit. Singulari excelluit cultu erga Eucharistiam, quamobrem «eucharisticus Imperator» est appellatus. Filiali etiam eminuit adfectu erga Dei Matrem, quam saepe per Rosarium invocabat. Cotidiana in vita familiares, operae socios nec non subiectos caritate prosequabatur. Ipsemet domos adire solebat pauperum, adiumenta illis varii generis afferens; allevare etiam est conatus militum angustias. Spe supernaturali onustus atque fiducia in divinam Providentiam, peculiarem ostendit prudentiam atque in muneribus explendis coniugis, pa-

tris et imperatoris iustitiam. Priusquam gravia decerneret negotia, ardentem orabat ut divinum acciperet consilium. Studiose exercebat temperantiam, castitatem matrimonialem et humilitatem, fundamentum uniuscuiusque virtutis. Administratorum vitia damnavit et corruptionem; omnes punivit qui personalia beneficia ex Status officiis subtrahebant. Se praebuit obsequentem erga Ecclesiam, ius recusavit significandi et episcopos nominandi.

Bello victus, missus est in exilium, in Helvetia. Noluit auctoritatem iterum exercere, etiamsi Decessor Noster Benedictus XV id suadebat. Dum Carolus in Hungariam reverti conabatur, comprehensus est, atque simul cum familia amandatus in locum v.d. *Funchal*, in insulam Materiam, in Lusitania. Morbo peripneumoniae correptus, die i mensis Aprilis anno **MCMXXII**, pie in Domino obdormivit eius invocans nomen.

Sanctimoniae fama crescente, Archiepiscopus Vindobonae Causam inchoavit beatificationis canonizationisque cum Processu Ordinario Informativo annis **MCMLMCMIV** expleto. Omnibus de iure diligenter expletis, Nobis adstantibus, die xn mensis Aprilis anno **MMIII**, decretum promulgatum est de virtutibus theologalibus, et cardinalibus iisque adnexis heroum in modum a Carolo e Domo Austriae exercitis. Die xx mensis Decembris anno **MMIII** decretum, coram Nobis, super miraculo prodiit quod eiusdem Venerabilis Dei Servi intercessionem est adsignatum. Statuimus igitur ut beatificationis ritus die **III** mensis Octobris anno **MMIV** Romae perageretur.

Hodie igitur, in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Christophori Lagleize, Episcopi Valentinensis, Aemilii Marcus, Archiepiscopi Tolosani, Renardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, Hectoris Rubén Aguer, Archiepiscopi Platensis, et Theodori de Faria, Episcopi Funchalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Vigne, Iosephus Maria Cassant, Anna Catharina Emmerick, Maria Ludovica De Angelis et Carolus e Domo Austriae Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Petri Vigne die octava Iulii, Iosephi Mariae Cassant die decima septima Iunii, Annae Catharinae Emmerick die nona Februarii, Mariae Ludovicae De Angelis die vicesima quinta Februarii, et Caroli e Domo Austriae die vicesima prima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Clarus hic vir diligentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, atque insignia dedit pietatis testimonia. Dum illius conspicimus vitam, qui Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter est secutus, ad altiore usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamus adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitamus.

Quod autem his sermonibus decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus plane valere, contrariis rebus minime quibuslibet efficientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **III** mensis Octobris, anno **MMIV**, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 565.573

VIII

Venerabili Dei Servae Mariae Ludovicae De Angelis Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Testimonium vita propria Christo redere et operibus et verbis existit peculiare vitae consecratae in Ecclesia et orbe munus» (IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap. Post-synodalis *Vita Consecrata*, **109**).

Soror Maria Ludovica De Angelis, saeculari nomine Antonina appellata, puella iam Christum secuta est, quem unum ex corde dilexit. Cum vitam consecratam complexa esset, se Evangelio aequavit ipsaque vita operibusque in dolentes et pauperes Redemptoris dilectionem est testata, se potissimum parvulis dicans infirmis.

Dei Serva in oppido S. Gregorii Aquilanae dicionis die xxiv mensis Octobris anno MDCCCLXXX ex agricolae familia orta est. Cum esset prima natu,

matrem in fratribus curandis, in rusticis operibus patrem iuivit. Cum scholam adire non posset, rudimenta litterarum domi alicuius magistrae est adeptus.

Perfectiori vitae studens, mense Novembri anno **MCMV** novitiatum Congregationis Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia Savonensi in urbe ingressa est, ubi vota nuncupavit. In Argentina eius apostolatus munus explicatum est, quo anno **MCMVIII** pervenit. Argentopoli in puerorum valetudinario operata est, quod illis temporibus duo lignea cubicula efficiebant, quae veluti prima auxilia habebantur. Initio culina et celia penaría ei sunt demandata. In tali munere sustinendo tantam ostendit peritiam studiumque, ut anno **MCMX** valetudinarii dispensatrix nominata sit, quod officium totam per vitam sustinuit. Per aliquod tempus communitatis sororum fuit quoque antistita. Sua industria parvum valetudinarium aestimatissimum honestissimumque in Argentina reddidit.

Anno **MCMXXXV** renem amisit atque eius valetudo pedetemptim in peius versa est. Nihilominus suam caritatis operam haud extenuavit. Sanatorium pueris curandis tuberculosis ac respirationis difficultatibus affectis Maris Plateni in urbe condidit. Operam dedit ut valetudinarium quam maxime esset acceptabile, pacem concordiamque fovens inter videlicet eos qui in eo operabantur atque sua deditioe afficiens cooperatores. Pro sua quoque religiosa communitate adlaboravit.

Suburbana loca evangelizanda curavit et effecit ut Sacri Cordis sacellum in oppido *City Bell* aedificantur. Per Instituti regulam cotidie servatam ac per officia ad amussim expleta, evangelicae perfectionis fastigia conscendit, christianis religiosisque virtutibus exercitis.

Firmiter Dei voluntati sese aequavit atque sacra liturgia, precatioe, erga Eucharistiam, Sacrum Cor Iesu, Virginem Mariam devotione suam spiritualitatem sustentavit. In Christum dilectio ad continuata opera pro Eius regno gerenda necnon pro corporis spiritusque salute infirmorum eorumque familiis eam compulit. Adflctos est solata, überaus fuit in sorores cooperatoresque, tantam demonstravit erga aegrotos caritatem ut « Angelus dolentium custos » haberetur. Largiter iis ignovit qui eius administrationis rationes refutabant, atque inter difficultates divinae Providentiae est confisa.

Prudenter, perite, iureque administratorium Valetudinarii munus et communitatis antistitae officium sustinuit. Sobria usque et modesta, ecclesiasticis Superioribus oboedivit, terrestri bona posthabuit, castitatem servavit. Suo in explicando munere mercedem gratiamque non quaeritavit, sed Domini gloriae animarumque saluti studuit.

Morbo gravi correpta, per dolorem magis usque se cum Christo coniunxit, quem totam per vitam adamavit Cuique inservivit, die xxv mensis Februarii anno **MCMLXII** Eum convenit.

Latam ob sanctitatis famam, Platensis Archiepiscopus beatificationis canonizationisque Causam incohavit dioecesanam Inquisitionem annis **MCMLXXXVI-MCMLXXXIX** celebrando. His perfectis iure statutis rebus, Nobis coram die xx mensis Decembris anno **MMI** decretum de virtutibus heroum in modum exercitis itemque die xx mensis Decembris anno **MMIII** decretum de miraculo prodierunt. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Romae die **III** mensis Octobris anno **MMIV** ageretur.

Hodie igitur, in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Christophori Lagleize, Episcopi Valentinensis, Aemilii Marcus, Archiepiscopi Tolosani, Renardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, Hectoris Rubén Aguer, Archiepiscopi Platensis, et Theodori de Faria, Episcopi Funchalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Vigne, Iosephus Maria Cassant, Anna Catharina Emmerick, Maria Ludovica De Angelis et Carolus e Domo Austriae Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Petri Vigne die octava Iulii, Iosephi Mariae Cassant die decima septima Iunii, Annae Catharinae Emmerick die nona Februarii, Mariae Ludovicae De Angelis die vicesima quinta Februarii, et Caroli e Domo Austriae die vicesima prima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Quod autem his sermonibus decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus plane valere, contrariis rebus minime quibuslibet efficientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **III** mensis Octobris, anno **MMIV**, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

68 **ANGELUS** card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco EB Sigilli

In Secret. Status tab., n. 568.004

MEDITATIO

Medytacja na temat « bezinteresownego daru »

1. Stworzenie jako obdarowanie

Czy człowiek może powiedzieć drugiemu człowiekowi: «Pan Bóg mi ciebie dał»? Jako młody duszpasterz usłyszałem od mojego kierownika duchowego takie słowa: «Może Pan Bóg chce ci dać tego człowieka...» — słowa, w których zawierała się zachęta do tego, ażeby zaufać Bogu i ażeby przyjąć dar, jakim człowiek staje się dla drugiego człowieka. Chyba zrazu nie zda wałem sobie sprawy z tego, jak głęboka zawiera się tutaj prawda o Bogu, o człowieku i o świecie. Świat bowiem, ten świat w którym żyjemy, ludzki świat, jest środowiskiem, w którym wciąż na różne sposoby urzeczywistnia się wymiana darów. Ludzie nie tylko żyją obok siebie, żyją w wielorakich odniesieniach, żyją dla siebie, są dla siebie bratem czy siostrą, mężem czy żoną, przyjacielem, wychowawcą lub wychowywanym. Może się zdawać, że nie ma w tym nic nadzwyczajnego. Jest to, po prostu, zwyczajny obraz życia ludzkiego. Ten obraz w pewnych miejscach zagęszcza się i właśnie tam, w punktach tego «zagęszczenia», urzeczywistnia się ów dar człowieka dla człowieka.

To nie tylko ludzie z sobą się łączą, to Pan Bóg ich sobie wzajemnie daje. I w tym urzeczywistnia się Jego stwórczy plan. Tak jak czytamy w Księdze Rodzaju, Pan Bóg stworzył widzialny świat dla człowieka, kazał mu czynić sobie ziemię poddaną (por. *Rdz* 1, 28), a cały świat stworzeń niższych od człowieka, oddał pod jego władzę. Jednakże ta władza człowieka nad stworzonym światem musi liczyć się także z dobrem poszczególnych stworzeń. Księga Rodzaju przypomina, że Stwórca widział, iż wszystko było dobre. Stworzenie jest dobrem dla człowieka, jeżeli człowiek jest «dobry» dla otaczających go stworzeń: dla zwierząt, roślin, a nawet dla stworzeń nieożywionych. Jeżeli człowiek jest dla nich «dobry», jeżeli ich nie niszczy niepotrzebnie, nie eksploatuje bezmyślnie. Wówczas stworzenia te tworzą dla niego środowisko naturalne, stają się poniekąd jego «przyjaciółmi». Nie tylko umożliwiają mu przeżycie, ale także możliwości odnajdywania siebie samego.

Bóg, stwarzając, objawił swoją Chwałę, a całe bogactwo stworzonego świata dał człowiekowi, ażeby się nim przede wszystkim radował, ażeby w nim «odpoczywał» (Norwid: «od-poczywał», to znaczy poczynął się na nowo), ażeby w nim odnajdował Boga, i żeby w ten sposób znajdował siebie samego. Współcześnie mówimy często o «ekologii», czyli trosce o środowisko naturalne. U podstaw tak rozumianej ekologii trwa tajemnica stworzenia, które jest wielkim i nieustającym obdarowywaniem człowieka dobrami kosmosu — zarówno tymi, których doświadcza bezpośrednio, jak też tymi, które odkrywa na drodze poszukiwań i badań przy pomocy metod różnych nauk. Ludzkość coraz więcej wie o bogactwie kosmosu, choć nie zawsze rozpoznaje, iż bogactwo to pochodzi z rąk Stwórcy. Jednakże są takie momenty, kiedy ludzie nawet niewierzący, dostrzegają prawdę stwórczego obdarowania i zaczynają się modlić, wyznają, że to wszystko jest darem Stwórcy.

Czytamy w Księdze Rodzaju, że w ostatnim dniu stworzenia Bóg powołał do istnienia człowieka: mężczyzną i niewiastą stworzył ich (por. *Rdz* 1, 26-27). Stworzył, to w tym wypadku znaczy jeszcze bardziej: obdarował ich wzajemnie sobą. Obdarował mężczyznę kobiecością podobnej do niego istoty ludzkiej, uczynił ją dlań «pomocą», a równocześnie jego dał kobiecie. Tak więc człowiek od początku jest dany drugiemu człowiekowi przez Boga. Jeśli uważnie czytamy zapis Księgi Rodzaju, to musimy tam odnaleźć jakby początek tego obdarowania.

Coram persecutionibus, adversus Ecclesiam in Hispania annis **MCMXXXVI-MCMXXXIX** actis, Dei Serva Maria ab Angelis Ginard Marti non sivit se timore vinci atque palam suam est confessa in Christo fidem usque ad vitam tradendam, in eum tamquam summum amoris documentum, cui totam suam existentiam tradiderat. Fidelis haec Redemptoris sponsa die in mensis Aprilis anno **MDCCCXIV** in oppido *Llucmajor* Maioricensis dioecesis orta est. Puella in insula Magna Canaria est commorata, quoniam illuc pater venerat. Nativis locis una cum familiaribus repetitis, se Deo consecrandi religiosa cepit consilium, sed exspectare per aliquod tempus debuit, quandoquidem familia ei necessario sustinenda fuit. Didicit igitur galerorum conficiendorum acuque pingendi artem. Quae res non obstiterunt quominus spiritalem vitam curaret.

Quotidie Missae celebrationi interesse solebat, multum temporis coram Sanctissimo Sacramento exigebat itemque Sancti Rosarii precationem colebat.

Anno **MCMXXI**, spiritali moderatore comprobante, Institutum Zelantium Cultum Eucharisticum Palmae Maioricensis ingressa est. Die xxvii mensis Maii anno **MCMXXII** vestimentum religiosum sumpsit sibi que nomen imposuit Mariae ab Angelis. Anno **MCMXXIII** prima vota nuncupavit. Annis **MCMXXVI**-**MCMXXIX** Matriti quandam domum est moderata. Die xxviii mensis Maii anno **MCMXXIX** perpetua vota nuncupavit. Barcinonensi in urbe tres annos fuit, ubi primae consiliariae sustinuit munus. Matritum porro repetiit ministratrix, generalis consiliariae detrectato munere. Sua munia laeta studiosaque sustinebat atque Domino inserviebat, sua ipsius explicans officia. Per precationem et Eucharistiae devotionem suam spiritualitatem curabat, coram diu manens sanctissimo Sacramento. Virginem Mariam saepe invocabat ac pristinos christianos martyres colebat, quorum affectare exempla volebat. Suis vivendi rationibus sorores afficiebat, quas caritate tractare solebat. Pauperibus maternam sollicitudinem ostendebat, quos evangelica dilectione adamabat.

Mense Iulio anno **MCMXXXVI**, religiosa persecutione saeviente, apud amicam familiam confugit. Monentibus de imminente periculo, sine metu ipsa respondebat: «Plus quam nos necare facere non possunt»: sic ostendebat se illos non vereri, qui corpus attingunt, at non animam. Die xxv mensis Augusti anno **MCMXXXVI** est capta. Quoniam marxiani milites capturi erant sororem quoque domus dominae, affirmavit ipsa se unam esse illic religiosam sororem. Amicam hoc modo servavit, sed se ipsam capitis damnavit. Capta revera est et in loco *Dehesa de la Villa* prope Matritum subsequenti die xxvi mensis Augusti manuballista est necata.

Dei populus eam fidei martyrem putavit; quae opinio temporis decursu mansit. Anno **MCMLXXXVII**, Archiepiscopus Matritensis beatificationis seu declarationis martyrii Causam per dioecesanam Inquisitionem incohavit. His perfectis iure statutis rebus, coram Venerato Decessore Nostro, Ioanne Paulo II, die **XIX** mensis Aprilis anno **MMV** decretum de martyrio prodiit. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Romae die xxix mensis Octobris anno **MMV** celebraretur.

Hodie igitur Petriana in Basilica de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servam Dei Mariam ab Angelis:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Henrici Vives Sicilia, Episcopi Urgellensis, et Antonii Mariae Cardinalis Rouco Várela, Archiepiscopi Matri-

tensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Tapies et sex Socii et Maria ab Angelis Ginard Martí Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Iosephi Tapies et sex Sociorum die decima tertia Augusti et Mariae ab Angelis Ginard Marti die tricésima Augusti, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praeclara haec beata quae exemplarem vitam Deo fideliter consecratam martyrii corona obsignavit, quodammodo omnes nos hortatur ad fidem iugiter colendam, ad constantiam in bonis operibus servandam atque heroicam in Deum et proximum caritatem exsequendam.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet efficientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix mensis Octobris, anno **MMV**, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 68 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 34.024

V

Venerabili Dei Servo Carolo de Foucauld caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Hoc est corpus meum, hic est... sanguis meus» (*Mt* 26, 26 et 28); «Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*Mt* 25, 40).

Duo haec Iesu verba in propositum illud ad sanctitatem nos inducunt, quod Caroli de Foucauld fuit, quodque ipse, in epistula die i mensis Augusti anno **MCMXVI** data eaque Aloisio Massignon transmissa, est testatus: «Nullum

est in Evangelio verbum, opinor, quod me altius affecerit ac meam vitam immutaverit, quam istud ».

Carolus de Foucauld Argentorati die xv mensis Septembris anno **MDCCCLVIII** ortus est. Sex annos natus pupillus, una cum sorore Maria apud maternum avum adolevit, cuius militare munus est secutus. Adulescens fidem amisit. Licet ad vitam facilem sit promptus, fortem constantemque voluntatem difficilioribus in condicionibus demonstrabit.

Militiae munere deposito, Mauritaniam invisurus annis **MDCCCLXXXIII-
MDCCCLXXXIV** iter suscepit. Fides, quam Muslimi testabantur, hanc interrogationem in eum concitat: Estne Deus? Veritatem quaerens, id precatur: «Deus meus, si existis, effice ut te cognoscam » (Epistula Henrico de Castries missa, die xiv mensis Augusti anno **MCMXVI**). In Francogalliam regressus, cum moderata amabilique familiae affectione moveretur, fidem prudentem suorum mirabatur eique invidebat. A presbytero Huvelin perductus, Deum mense Octobri anno **MDCCCLXXXVI** in perpetuum detexit: « Simul ac Deum esse credidi, intellexi me nihil aliud facere posse quam pro Eo vivere » (*ibid.*).

In Terram Sanctam susceptum iter eius vocationem patefacit, scilicet sequendi imitandique eius in vita Iesum Nazarenum. Ordinem Cisterciensium Strictioris Observantiae anno **MDCCCXC** ingressus, die xxiv mensis Aprilis suum vitae propositum amico Henrico Duveyrier ostendit: « Dei amor, amor hominum tota est mea vita atque spe teneor istud usque totam meam vitam fore ».

Ut Dei voluntatem servaret, memoratum Ordinem anno **MDCCCXCVI** deseruit. Dehinc, quattuor fere per annos, Nazareth prope Clarissarum monasterium vitam in solitudine exigit. Sacram Eucharistiam contemplando et Sacras Scripturas meditando convenire cupit Eum, qui dilectus est Frater, cuius se parvum vult esse fratrem.

Ut plenius Iesum imitaretur, decrevit ut presbyterali ordine augetur. Quapropter die ix mensis Iunii anno **MCM** sacerdos fit dioecesis Vivariensis. Post tres menses in loco *Beni-Abbés* appellato commorari coepit. Dei « exinanitione » omnino capitur, per quam Nazarethanae vitae omnino intellegit apostolicam indolem, quae cum incarnationis mysterio prorsus sociatur. Ministerium suum sacerdotale « amore, in cotidiano opere contuens, contemplans indesinenter Dilectum Iesum, agere vult ». In oratione adorationeque divinae Hostiae noctu vigilat.

Anno **MCMV** in pago *Tamanrasset* commorari coepit, ubi circiter viginti tentoria aderant, in quibus nonnullae familiae *Tuareg* stirpis incolebant. Ipse unus Europaeus a gente hac est susceptus, quae eum ineunte anno **MCMVIII**

aegrotum iuverunt. Ibidem non multum patrare poterat; consociandi tamen cum iis, quibus etiam Bonus Nuntius destinabatur, dabatur copia. Mores igitur *Tuareg* stirpis adipiscitur, cuius amans didicit loquelam aliasque res, quae futuris etiam missionariis usui esse possent.

Cum bellum primum mundanum exarsisset, cum hac gente in pago *Tamanrasset* mansit, ubi die i mensis Decembris anno **MCMXVI** manuballistae ictu est interemptus.

Eius post mortem complures viri feminaeque coadunari in varias religiosas congregationes piaque sodalicia potuerunt, ut eius exemplum et doctrinam sequerentur. Sic Domini verbum complebatur: «Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert» (*Io* 12, 24).

Anno **MCMXXVII** beatificationis canonizationisque Causa est incohata, apud Ghardaiensem in Sahara sedem, ordinario celebrato Processu necnon decem Processibus rogatorialibus absolutis. His omnibus perfectis iure statutis rebus, Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die xxv mensis Aprilis anno **MM** prodiit. Deinceps die xx mensis Decembris anno **MMIV** Decessor Noster Ioannes Paulus II, recolendae memoriae, miraculum comprobavit, quod eiusdem Dei Servi intercessionem est adscriptum. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus Romae die xin mensis Novembris anno **MMV** celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Carolum de Foucauld adscribimus.

Nos vota Fratrum Nostrorum Claudii Rault, Episcopi Laghuatensis, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana Dioecesi, et Hygini Reali, Episcopi Portuensis-Sanctae Rufinae, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Carolus de Foucauld, Maria Pia Mastena et Maria Crucifixa Curcio Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caroli de Foucauld die prima Decembris, Mariae Piae Mastena die vicesima septima Iunii et Mariae Crucifixae Curcio die quarta Iulii, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praestabilis hic vir, qui cum Domino arte coniunctus totam suam vitam pro Ipsius gloria omnino impendit Eidemque perquam studiose in pauperibus

inserviit, insignes dedit religiosae pietatis operamque bonorum testimonio-nes. Admirantes tantam ipsius pro Domini amore alacritatem, exoptamus ut, huius caelitis patrocinio exemplisque ducti, illius contemplativam et actuo- sam vitam imitemur atque, terrenis posthabitis rebus, ad superna iugiter contendamus.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xin- mensis Novembris, anno **MMV**, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis

£8 **ANGELUS** card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco 68 Sigilli

In Secret, Status tab., n. 34.125

VI

Venerabili Dei Servo Aloisio Biraghi caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Imitatores mei estote sicut et ego Chri- sti» (*1 Cor 11, 1*).

Perinde ac Paulus Apostolus, Venerabilis Dei Servus Aloisius Biraghi, divina gratia roboratus, expedite semitam tenuit Christi imitationis, qui unus fuit magister et exemplar, atque usque studiose operatus est ut ad Eum animas perduceret omnibusque dilectionem illam ostenderet qua Pater in Divino Redemptore homines complectitur.

Operosus hic sacerdos in oppido *Vignate* Mediolanensis Archidioecesis die **II** mensis Novembris anno **MDCCCI** ex agrorum familia ortus est. Puer una cum familia ad oppidum *Cernusco sul Naviglio* se contulit. Ad sacerdotium se sentiens vocatus, philosophicis ac theologis disciplinis in Seminariis Castri (*Leucensis loci*), Modiciae ac Mediolani operam dedit, ubi diligentia, pietate ac doctrina eminuit. Diaconus renunciatus, litteras in minoribus Seminariis tradere coepit, quod opus, die xxvin mensis Maii anno **MDCCCXXV** sacro ordine auctus, sustinere perrexit.

Annis **MDCCCXXXIII****MDCCCXLVIII** Seminarii maioris moderator spiritus fuit ipseque clericorum institutionem caritate studioque curavit. Beneficandae Ecclesiae societatisque causa in oppido *Cernusco sul Naviglio* anno **MDCCCXXXVIII** feminarum collegium condidit, ut iuvenes mulieres in humanis christianisque rebus educarentur, bene iuvantibus Marina Videmari, quam is spiritaliter moderabatur, aliisque magistris. Una cum iis novam religiosam familiam sub vocabulo Instituti Sororum a Sancta Marcellina condidit, quod anno **MDCCCLII** canonicè est constitutum, cuius praecipuum est munus puellas docendi et in christianis rebus educandi. Opus istud minime obstitit quominus Dei Servus Seminarii tirones coleret itemque sacrum ministerium ageret. Multum ad ecclesiasticam ephemeridem, quae est «L'Amico Cattolico», condendam contulit atque ad Dei Regnum in moderna societate diffundendum, quae adversus christianos sensibus gravabatur, adlaboravit. Dei Servo Angelo Ramazzotti, Pontificium Institutum pro Missionibus Exteris condenti, sociatam operam praestitit. Anno **MDCCCLV** doctor renunciatus est in Bibliotheca Ambrosiana. Frugifere archaeologiae et ecclesiasticae historiae inquisitioni operam dedit, aestimata edens scripta. Prudentia omnino et auctoritate praeditus, consiliarius fuit sapiens Archiepiscoporum Mediolanensium, qui plurimi eum fecerunt. Beatus Pius IX anno **MDCCCLXII** ab eo postulavit ut inter diversas politicas opiniones Ambrosiani cleri esset mediator. Humiliter et sapienter illud opus gessit, ad omnem rem subeundam paratus ut Sancta Ecclesia Mediolanensisque Sedes honestarentur.

Germanus Dei homo et Ecclesiae fidus minister, studiose ac diligenter omnia suae condicionis complevit officia. Constanter quidem et laetanter virtutes exercens, summa evangelicae perfectionis attigit fastigia. Spirituales filias ad Deum amandum cohortari solebat, cum ipse primus exemplum praeberet vitae, Domini gloriae bonoque animarum prorsus dicatae. In fide vim repperit ut aerumnas et abnegationes laetus susciperet et magnas iacturas toleraret. Omnino Ecclesiae deditus et obnoxius est operatus. Per sacram liturgiam, precessionem, lectionem meditationemque Sacrarum Scripturarum, in Eueharistiam Virginemque Mariam devotionem, ecclesiasticarum disciplinarum inquisitionem et vitae Ecclesiae participationem suam spiritalitatem aluit. Puellas in sui Instituti collegiis commorantes sollicite curavit ipseque filias suas spirituales amabiliter prudenterque direxit. Fortis fuit in difficultatibus idemque in omnibus rerum adiunctis aequabilis ac modicus. Divini Magistri assecla, insigniter fuit pauper, castus et oboediens.

Postremis suae vitae annis ad suum Institutum augendum operari perrexit, varia quoque condens extra Mediolanenses fines collegia. Anno **MDCCCLXXIX** eius valetudo ingravescere coepit atque eum Pater ad Se die xi mensis Augusti eiusdem anni vocavit, ut praemium reciperet valde optatum.

Eius propter latam sanctitatis famam anno **MCMLXVI** Archiepiscopus Mediolanensis beatificationis canonizationisque Causam per Processus Ordinarii celebrationem incohavit. His perfectis iure statutis rebus, coram venerato Decessore Nostro Ioanne Paulo II de virtutibus heroum in modum exercitis die xx mensis Decembris anno **MMIII** et de miraculo die xx mensis Decembris anno **MMIV** decreta prodierunt. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Mediolani die **XXX** mensis Aprilis anno **MMI** celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Sarai va Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Aloisium Biraghi adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Dionysii S.R.E. Cardinalis Tettamanzi, Archiepiscopi Mediolanensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Aloisius Biraghi, presbyter, conditor Instituti Sororum a Sancta Marcellina, qui operam dedit institutioni candidatorum ad sacerdotium, et Aloisius Monza, presbyter, qui operibus pastoralibus gerendis vitam suam devovit, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Aloisii Biraghi die duodevicesima Maii et Aloisii Monza die duodevicesima Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Aprilis, anno **MMVI**, Pontificatus Nostri secundo.

De mandato Summi Pontificis

Æ8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 63 Sigilli

In Secret.. Status tab., n. 35.812

VII

Venerabili Dei Servo Augustino Thevarparampil caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — Iesus «cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos» (*Io* 13, 1).

Divinum Redemptorem secutus, qui pro cunctis sibi a Patre demandatis hominibus tradidit vitam, Augustinus Thevarparampil vitam consumpsit, Deum laudando ac pauperibus inserviando, iis potissimum qui ab Inda societate respuebantur quique haud tangendi habebantur (patrio sermone Harijan vocati). Caritate repletus, eosdem perassidue operoseque prae dissensionibus ac praeiudiciis dilexit et iuivit.

Venerabilis Dei Servus in oppido *Ramapuram* Palaiensis eparchiae Syro-Malabarensis ritus in civitate Kerala, die i mensis Aprilis anno **MDCCCXI** natus est. Die xvii mensis Decembris anno **MCMXXI** presbyteralem ordinationem a Dei Servo Thoma Kurialacherry recepit. Iuvenis humilitate, **Gomitate**, pietate eminuit.

Anno **MCMXXIII** ei parochi coadiutoris officium in paroecia Sancti Sebastiani in oppido Kadanad est commissum. Tribus circiter exactis annis, quendam propter morbum ad nativum oppidum remeare debuit. Convalescens eos qui «tangi» non poterant convenit, quique, ab omnibus despecti, ad humillimum ordinem societatis Indae pertinebant. Quapropter iis se tradere statuit totum, eos per Christi veritatem et caritatem evangelizaturus. Eos invisibat, audiebat, solabatur, dissensiones componens atque curans aegrotos. Pro iis etiam qui extra paroeciam commorabantur adlaborare solebat. Domini diligendi gratia, cuius vultus in pauperibus reperiebatur, omne genus incommoditates ac labores tolerabat, tum etiam cum eius conatus haud subitaneos fructus gignebant, minime demittens animus: «boni sunt homines — aiebat — ac simplices. Meliores fient». Verbo populum ac potissimum vita sancta docebat, propriis officiis distincta, insigniter actis, et virtutibus heroum in modum exercitis.

Cum Dei caritate flagraret, in Eo spiritale gaudium reperiens, ei suas fatigationes ac dolores, cuius sedulo servabat mandata, committebat. Fidem eximiam manifestavit, quam diffundebat et vigore quodam defendebat, quamque per personalem ac liturgicam precationem, Sacrarum Scripturarum lectionem meditationemque, in Eucharistiam et Virginem Mariam devotio-

nem alebat. In Domino fisus, in difficilioribus etiam rerum adiunctis quietus mansit. Eius evangelizationis opera ita fuit frugifera, ut complura milia hominum baptizaret. Ut suum explicaret sacerdotale munus, aegrotos contagiosos adire non dubitabat. Puerorum pauperum humanam religiosamque institutionem curabat, cum eosdem non modo catechismum verum etiam litterarum formas doceret.

Aequabiliter ac prudenter modica possessa bona ministravit. In spiritali moderamine cautus fuit, qui in iuvando ad vitam sacerdotalem vel religiosam decernendam et eligendam potissimum eminuit. Honores non quaesivit, sed simpliciter ac modeste vixit. Pauper voluit esse inter pauperes, quemadmodum in eius testamenti verbis emergit: « Neque terram neque pecuniam possideo ». Ecclesiasticae potestati obsequens semper fuit, isque castitatem servavit.

Anno **MCMLXXI** Iubilaeum presbyteralis ordinationis celebravit. Morbo correptus, suetam laetitiam non amisit. Die xvi mensis Octobris anno **MCMLXXIII** ad Patrem pervenit, cui mirabiliter servierat.

Eius latam propter sanctitatis famam anno **MCMLXXXVII** Palaiensis Episcopus beatificationis canonizationisque Causam per dioecesanam Inquisitionem incohavit. His perfectis iure statutis rebus, coram Venerato Decessore Nostro Ioanne Paulo II decretum die xxn mensis Iunii anno **MMV** de virtutibus heroum in modum exercitis prodiit et die xix mensis Decembris anno **MM** coram Nobis decretum de miraculo edictum est. Statuimus igitur ut beatificationis ritus in India in oppido *Ramapuram*, die xxx mensis Aprilis anno **MMM** celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Varkey S.R.E. Cardinalis Vithayathil, Archiepiscopus Maior Ernakulamensis-Angamaliensis ritus Syri Malabarensis, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Augustinum Thevarparampil adscribimus.

Nos, vota Fratris Nostri Iosephi Kallarangatt, Episcopi Palaiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Augustinus Thevarparampil «Kunjachan», presbyter, qui pauperrimis et exclusis adiuvandis vitam suam devovit, Beatorum nomine in posterum appelletur, eiusque festum die decima sexta Octobris, cum ad caelum pervenit, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Aprilis, anno **MMVI** Pontificatus Nostri secundo.

De mandato Summi Pontificis

88 **ANGELUS** card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco **S3** Sigilli

In Secret. Status tab., n. 38 090

VIII

Beatorum Caelitum honor dignitasque Venerabili Dei Servae Eliae a Sancto Clemente Carmelitidi Barensi tribuuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia» (*1 Cor 1, 27*).

Nihili prorsus saeculi ducens vanitates Venerabilis Dei Serva Elias a Sancto Clemente, nata scilicet Theodora Fracasso, ex Christi amore viam humilitatis sua sponte percucurrit necnon absconditae vitae totiusque sui ipsius denudationis, Iesum Christum ut indueret cui semet veluti sponsam obtulit et victimam.

Haec Carmeli filia die xvii Ianuarii mensis Bariis est orta anno **MDCCCI** christiana e domo ac paupere. Institutionis elementa prima percepit apud Sorores a Stigmate. Cum vero primum potuit, paroeciae vitam coepit sedula participare atque catechismum tradere tum domi etiam suas amicas conglobare simul ut pias agerent meditationes et preces coniunctim. Matri interea auxiliabatur cotidianis in domus procurandis negotiis, dum parva eodem tempore munera explebat unde aliquid familiae suae conferret sustentandae.

Tertium Sancti Dominici Ordinem anno **MDCCCXIV** est ingressa ubi postero anno vota est religiosa professa. Saeviente primo bello universalis apostolatus operam et auxilii prosequabatur-ipsis pro militibus qui paroeciam adibant a sodalibus dominicanis administratam.

Mense dein Aprili anni **MDCCCXX** Teresianum intravit Carmelum sub nomine Sancti Iosephi in urbe *Barensi* ubi die iv Decembris anno **MDCCCXXI** simplicia nuncupavit vota seseque amoris victimam Iesu Eucharistico devovit. Officium docendi recepit artem acu pingendi in domui suae contiguo instituto. Matrem erga alumnas se praebens omnia hortabatur ut quam optime ad Domino reddendam gloriam peragerent. Munere autem educandi sibi adempto illud quoque patienter pertulit incommodum et oboedientiae affectu. Votum exinde die **VIII** Decembris pronuntiavit «rei semper perfectioris» anno **MDCCCXXIV**, victimam pariter misericordis offerens se amoris. Sollemnem denique professionem die xi mensis Februarii anno **MDCCCXXV** peregit exemplum sectata Sanctae Teresiae a Iesu Infante. Omnibus quidem viribus suis sanctitatem affectabat in Dei ipsius gloriam hominumque salutem.

Prius etiam quam est in Carmelum ingressa, ipsius vita Domini perpetua distinguebatur praesentia. Totam enim illi sese consecrans maiorem usque quaerebat Divino cum Redemptore coniunctionem quem fideliter devoteque diligebat. Omnibus autem ut in rebus eidem probaretur, docilis eius adhaerescebat ad voluntatem cuius proinde servabat mandata et propagando Regno verbis factisque consulebat. Omnium simul virtutum adsidua et laeta consuetudine socias suas confirmabat sorores necnon Carmelitanae regulae observatione. Fide quidem solida fulciente, veritatibus credebat firmiter revelatis suamque spiritalem alebat vitam de Eucharistia, quam cotidie ab iuventute excipiebat, tum etiam de precatione ac lectione Sacrarumque ponderatione Litterarum et postremo de Virginis Mariae Cultu ac sanctorum Carmeli. Precabatur et sacrificia pro peccatorum conversione offerebat sibi nempe persuadens velle Dominum animas se ad illum perducere haud mirificis operibus verum absoluta sui ipsius immolatione. Sodales erga sorores comem se facilemque praestabat et omnes quotquot ipsi adversabantur amanter omnino tractabat.

Aptiora prudenter deligebat instrumenta propriam in sanctificationem semperque rectora. Magnanima confligebat cum gravioribus morbis et iniuriis amaris. Traditionis Carmeli paenitentias proprias exercebat, cum omni esset in re simplex atque humilis. Christum pauperem mirabiliter imitabatur castumque et oboedientem consilia evangelica quasi in exemplum custodiens.

Iam anno **MDCCCXXVI** signa aegritudinis illius ostendebat brevi tempore quae eam erat ad mortem propulsura. Talem doloris condicionem serena pertulit, quin immo usurpavit dolorem unde impensius Christi se posset coniungere cum passione semper caelestium bonorum exspectatione suffulta; dicebat namque: «Per Carmelum transeo, at caelum mihi patria est», quod videlicet die xxv Decembris mensis attigit anno **MDCCCXXVII**.

Ob propagatam sanctimoniam famam anno **MDCCCXVIII** Barensis archiepiscopus beatificationis Causam instituit atque canonizationis processu ordinario perficiendo. Ad legem singulis convenienter expletis necessariis rebus prodierunt decreta coram venerato Decessore nostro Ioanne Paulo II super heroicis eius virtutibus die xi nemp Decembris **MDCCCLXXXVI** superque miraculo legitime a peritis sine dubitatione ulla comprobato mensis Decembris die **XIX** anno **MMV**. Ritus propterea beatificationis constituimus ut Barii die **XVIII** Martii contingeret anno **MMVI**. Hodie idcirco Barii Nostro de mandato Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum Venerabilis Frater Noster Apostolicas Nostras perlegit Litteras quibus Nos in Beatorum album adscribimus Venerabilem Servam Dei Eliam a Sancto Clemente:

Nos vota Fratris Nostri Francisci Cacucci archiepiscopi Barensis-Bituntini necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque Christifidelium explentes, ex Congregationis de Causis Sanctorum sententia, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Elias a Sancto Clemente, virgo ex Ordine Monialium Discalceatarum Beatissimae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quae suam contemplativam vitam Christi ex amore Ecclesiae ipsius ministerio devovit, Beatae nomine in posterum nuncupetur eiusque festum die undetricesima Maii in locis et modis iure statutis celebrari quotannis possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nec dubitabamus procul Nos quin hic novus Carmelitanae Familiae decor honorque plurimum quidem christianis ubique profuturus moribus esset nec non exemplo vitae posthac diu mansurus ipsius imitatoribus. Itaque, quod supra decrevimus maturo consilio libentique voluntate volumus profecto et nunc et in posterum tempus vim omnem habere, contrariis rebus nequaquam quibuslibet efficientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die xviii Martii mensis anno Domini **MMVI**, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 35 298

HOMILIA

In sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis.*

*Venerati Fratelli nell'Episcopato e nel Sacerdozio,
cari Fratelli e Sorelle!*

Nel *Magnificat* — il grande canto della Madonna ora ascoltato nel Vangelo — troviamo una parola sorprendente. Maria dice: «D'ora in poi tutte le generazioni mi chiameranno beata». La Madre del Signore profetizza le lodi mariane della Chiesa per tutto il futuro, la devozione mariana del Popolo di Dio fino alla fine dei tempi. Lodando Maria la Chiesa non ha inventato qualcosa «accanto» alla Scrittura: ha risposto a questa profezia fatta da Maria in quell'ora di grazia.

E queste parole di Maria non erano solo parole personali, forse arbitrarie. Elisabetta aveva, come dice San Luca, gridato piena di Spirito Santo: «Beata Colei che ha creduto». E Maria, pure piena di Spirito Santo, continua e completa quello che ha detto Elisabetta, affermando: «Beata mi diranno tutte le generazioni». E una vera profezia, ispirata dallo Spirito Santo, e la Chiesa, venerando Maria, risponde a un comando dello Spirito Santo, fa ciò che deve fare. Noi non lodiamo Dio sufficientemente tacendo sui suoi santi, soprattutto su «la Santa» che è divenuta la sua dimora in terra, Maria. La luce semplice e multiforme di Dio ci appare proprio nella sua varietà e ricchezza solo nel volto dei santi, che sono il vero specchio della sua luce. E proprio vedendo il volto di Maria possiamo vedere più che in altri modi la bellezza di Dio, la sua bontà, la sua misericordia. Possiamo realmente percepire la luce divina in questo volto.

«Tutte le generazioni mi chiameranno beata». Noi possiamo lodare Maria, venerare Maria, perché è «beata», è beata per sempre. E questo è il contenuto di questa Festa. Beata è perché unita a Dio, vive con Dio e in Dio. Il Signore, nella vigilia della sua Passione, congedandosi dai suoi, ha detto: «Io vado a prepararvi, nella grande casa del Padre, una dimora. E ci sono molte dimore nella casa del Padre». Maria dicendo: «Sono la tua serva, sia fatta la tua volontà» ha preparato qui in terra la dimora per Dio; con corpo e anima ne è divenuta la dimora e così ha aperto la terra al cielo.

* Die 15 Augusti 2006

Textus hic viva voce, sine scripto, a Summo Pontifice est prolatus

San Luca, nel Vangelo ora ascoltato, con diversi accenni fa capire che Maria è la vera Arca dell'Alleanza, che il mistero del Tempio — l'inabitazione di Dio qui in terra — è adempiuto in Maria. In Maria realmente abita Dio, diventa presente qui in terra. Maria diventa la sua tenda. Quello che desiderano tutte le culture — che cioè Dio abiti tra di noi — si realizza qui. Sant'Agostino dice: «Prima di concepire il Signore nel corpo, lo aveva già concepito nell'anima». Aveva dato al Signore lo spazio della sua anima e così è divenuta realmente il vero Tempio dove Dio si è incarnato, è divenuto presente su questa terra. E così, essendo la dimora di Dio in terra, in lei è già preparata la sua dimora eterna, è già preparata questa dimora per sempre. E questo è tutto il contenuto del dogma dell'Assunzione di Maria alla gloria del cielo in corpo e anima, espresso qui in queste parole. Maria è «beata» perché è divenuta — totalmente, con corpo e anima e per sempre — la dimora del Signore. Se questo è vero, Maria non solamente, non semplicemente ci invita all'ammirazione, alla venerazione, ma ci guida, mostra la strada della vita a noi, ci mostra come noi possiamo divenire beati, trovare la strada della felicità.

Sentiamo ancora una volta la parola di Elisabetta, completata nel *Magnificat* di Maria: «Beata Coeli que ha creduto». Il primo e fondamentale atto per diventare dimora di Dio e per trovare così la felicità definitiva è credere, è la fede, la fede in Dio, in quel Dio che si è mostrato in Gesù Cristo e si fa sentire nella parola divina della Sacra Scrittura. Credere non è aggiungere una opinione ad altre. E la convinzione, la fede che Dio c'è non è una informazione come altre. Di molte informazioni, a noi non fa niente se sono vere o false, non cambiano la nostra vita. Ma se Dio non c'è, la vita è vuota, il futuro è vuoto. E se Dio c'è, tutto è cambiato, la vita è luce, il nostro avvenire è luce e abbiamo l'orientamento per come vivere. Perciò credere costituisce l'orientamento fondamentale della nostra vita. Credere, dire: «Sì, credo che Tu sei Dio, credo che nel Figlio incarnato sei Tu presente tra di noi», orienta la mia vita, mi spinge ad attaccarmi a Dio, ad unirmi con Dio e così a trovare il luogo dove vivere, e il modo come vivere. E credere non è solo un tipo di pensiero, un'idea; è, come già accennato, un agire, è una forma di vivere. Credere vuol dire seguire la traccia indicataci dalla Parola di Dio. Maria, oltre questo atto fondamentale della fede, che è un atto esistenziale, una presa di posizione per tutta la vita, aggiunge un'altra parola: «La sua misericordia si stende su quelli che lo temono». Parla, con tutta la Scrittura, del «timor di Dio». Questa è forse una parola che noi conosciamo poco o non amiamo

molto. Ma «timor di Dio» non è angoscia, è tutt'altra cosa. Come figli, non abbiamo angoscia del Padre, ma abbiamo il timor di Dio, la preoccupazione di non distruggere l'amore sul quale è collocata la nostra vita. Timor di Dio è quel senso di responsabilità che noi dobbiamo avere, responsabilità per la porzione del mondo che ci è affidata nella nostra vita. Responsabilità di amministrare bene questa parte del mondo e della storia che siamo noi e così servire all'edificazione giusta del mondo, servire alla vittoria del bene e della pace.

«Ti chiameranno beata tutte le generazioni»: questo vuol dire che il futuro, l'avvenire, appartiene a Dio, è nelle mani di Dio, che Dio vince. E non vince il drago, così forte, del quale parla oggi la prima Lettura, il drago che è la rappresentazione di tutti i poteri della violenza del mondo. Sembrano invincibili, ma Maria ci dice che non sono invincibili. La Donna — così ci mostrano la Prima Lettura e il Vangelo — è più forte perché Dio è più forte. Certo in confronto con il drago, così armato, questa Donna che è Maria, che è la Chiesa, appare indifesa, vulnerabile. E realmente Dio è vulnerabile nel mondo, perché è l'Amore e l'amore è vulnerabile. E tuttavia Lui ha il futuro in mano; vince l'amore e non l'odio, vince alla fine la pace.

Questa è la grande consolazione contenuta nel dogma dell'Assunzione di Maria in corpo e anima alla gloria del cielo. Ringraziamo il Signore per questa consolazione, ma vediamo anche questa consolazione come un impegno per noi di stare dalla parte del bene, della pace. E preghiamo Maria, la Regina della Pace, perché aiuti per la vittoria della pace, oggi: «Regina della Pace, prega per noi». Amen!

ALLOCUTIO

Ad presbyteros dioecesis Albanensis.*

Cinque sacerdoti della Diocesi hanno rivolto al Papa alcune domande.

P. Giuseppe Zane, Vicario ad omnia, di 83 anni: « Il nostro Vescovo Le ha illustrato, seppure brevemente, la situazione della nostra Diocesi di Albano. Noi sacerdoti siamo pienamente inseriti in questa Chiesa, vivendone tutti i problemi e le complessità. Giovani e anziani, ci sentiamo tutti inadeguati, in primo luogo perché siamo in pochi rispetto ai tanti bisogni e abbiamo provenienze diverse, soffriamo, inoltre, la scarsità di vocazioni al sacerdozio. Per questi motivi a volte ci scoraggiamo, cercando di tamponare un po' di qua e un po' di là, spesso costretti a fare solo cose di pronto soccorso senza progetti precisi. Vedendo le tante cose da fare, subiamo la tentazione di privilegiare il fare trascurando l'essere e questo inevitabilmente si riflette sulla vita spirituale, il colloquio con Dio, la preghiera e la carità (l'amore) verso i fratelli, specie i lontani. Santo Padre, cosa può dirci in merito? Io ho una certa età... ma questi giovani confratelli possono avere speranza? ».

Cari fratelli, vorrei dirvi, innanzitutto, una parola di benvenuto e di ringraziamento. Grazie ai Cardinale Sodano per la sua presenza, con la quale esprime il suo amore e la sua cura per questa Chiesa Suburbicaria. Grazie a Lei, Eccellenza, per le sue parole. Con poche espressioni, Lei mi ha presentato la situazione di questa Diocesi, che non conoscevo in questa misura. Sapevo che è la più grande delle Diocesi Suburbicarie, ma, non sapevo, che fosse cresciuta fino a cinquecentomila abitanti. Vedo così, una Diocesi ricca di sfide, di problemi, ma, certamente anche di gioie nella fede. E vedo, che tutte le questioni del nostro tempo sono presenti: l'emigrazione, il turismo, l'emarginazione, l'agnosticismo, ma anche una fede ferma.

Non ho la pretesa adesso di essere quasi come un « oracolo », che potrebbe rispondere in modo sufficiente a tutte le questioni. Le parole di san Gregorio Magno che Lei ha citato, Eccellenza — che ognuno conosca « *infirmi-
tatem suam* » — valgono anche per il Papa. Anche il Papa, giorno per giorno, deve conoscere e riconoscere « *infirmi-
tatem suam* », i suoi limiti. Deve riconoscere che solo nella collaborazione con tutti, nel dialogo, nella cooperazione comu-

* Die 31 augusti 2006

Textus hic viva voce, sine scripto, a Summo Pontifice est prolatus.

ne, nella fede, come « *cooperatores veritatis* » — della Verità che è una Persona, Gesù — possiamo fare insieme il nostro servizio, ciascuno per la sua parte. In questo senso, le mie risposte non saranno esaustive ma frammentarie. Tuttavia, accettiamo proprio questo: che solo insieme possiamo comporre il « mosaico » di un lavoro pastorale che risponde alla grandezza delle sfide.

Lei, Cardinale Sodano, aveva detto che il nostro caro confratello, P. Zane, appare un po' pessimista. Ma, devo dire, che ognuno di noi ha momenti in cui può scoraggiarsi davanti alla grandezza di ciò che bisognerebbe fare e ai limiti di quanto invece può realmente fare. Questo, riguarda di nuovo anche il Papa. Che cosa devo fare in quest'ora della Chiesa, con tanti problemi, con tante gioie, con tante sfide che riguardano la Chiesa universale? Tante cose succedono giorno per giorno e non sono in grado di rispondere a tutto. Faccio la mia parte, faccio quanto posso fare. Cerco di trovare le priorità. E sono felice di essere coadiuvato da tanti buoni collaboratori. Posso dire già qui, in questo momento: vedo ogni giorno il grande lavoro che fa la Segreteria di Stato sotto la sua sapiente guida. E solo con questa rete di collaborazione, inserendomi con le mie piccole capacità in una totalità più grande, posso e oso andare avanti.

E così, naturalmente, ancora più un parroco che sta da solo, vede che tante cose ci sarebbero da fare in questa situazione da Lei, P. Zane, brevemente descritta. E può fare solo qualcosa, « tamponare » — come Lei ha detto —, fare una specie di « pronto soccorso », consapevole che si dovrebbe fare molto di più. Direi, allora, che la prima necessità di noi tutti è di riconoscere con umiltà i nostri limiti, riconoscere che dobbiamo lasciar fare la maggior parte delle cose al Signore. Oggi, abbiamo sentito nel Vangelo la parabola del servo fidato.¹ Questo servo — così ci dice il Signore — dà il cibo agli altri al tempo giusto. Non fa tutto insieme, ma è un servo saggio e prudente, che sa distribuire nei diversi momenti quanto deve fare in quella situazione. Lo fa con umiltà, ed è anche sicuro della fiducia del suo padrone. Così noi, dobbiamo fare il possibile per cercare di essere saggi e prudenti, e anche avere fiducia nella bontà del nostro « Padrone », del Signore, perché alla fine deve egli stesso guidare la sua Chiesa. Noi ci inseriamo con il piccolo dono nostro e facciamo quanto possiamo fare, soprattutto le cose sempre necessarie: i Sacramenti, l'annuncio della Parola, i segni della nostra carità e del nostro amore.

Quanto alla vita interiore, alla quale Lei ha accennato, direi che è essenziale per il nostro servizio di sacerdoti. Il tempo che ci riserviamo per la

¹ Cfr Mt 24, 42-51,

preghiera non è un tempo sottratto alla nostra responsabilità pastorale, ma è proprio «lavoro» pastorale, è pregare anche per gli altri. Nel «Comune dei Pastori» si legge come caratterizzante per il Pastore buono che «*multum oravit pro fratribus*». Questo è proprio del Pastore, che sia uomo di preghiera, che stia dinanzi al Signore pregando per gli altri, sostituendo anche gli altri, che forse non sanno pregare, non vogliono pregare, non trovano il tempo per pregare. Come si evidenzia così che questo dialogo con Dio è opera pastorale!

Direi, quindi, che la Chiesa ci dà, quasi ci impone — ma sempre come una Madre buona — di avere tempo libero per Dio, con le due pratiche che fanno parte dei nostri doveri: celebrare la Santa Messa e recitare il Breviario. Ma più che recitare, realizzarlo come ascolto della Parola che il Signore ci offre nella Liturgia delle Ore. Occorre interiorizzare questa Parola, essere attenti a che cosa il Signore mi dice con questa Parola, ascoltare poi il commento dei Padri della Chiesa o anche del Concilio, nella seconda Lettura dell'Ufficio delle Letture, e pregare con questa grande invocazione che sono i Salmi, con i quali siamo inseriti nella preghiera di tutti i tempi. Prega con noi — e noi preghiamo con esso — il popolo dell'antica Alleanza. Preghiamo con il Signore, che è il vero soggetto dei Salmi. Preghiamo con la Chiesa di tutti i tempi. Direi che questo tempo dedicato alla Liturgia delle Ore è tempo prezioso. La Chiesa ci dona questa libertà, questo spazio libero di vita con Dio, che è anche vita per gli altri.

E così mi sembra importante vedere che queste due realtà — la Santa Messa celebrata realmente in colloquio con Dio e la Liturgia delle Ore — sono zone di libertà, di vita interiore, che la Chiesa ci dona e che sono una ricchezza per noi. In esse, come ho detto, incontriamo non solo la Chiesa di tutti i tempi, ma il Signore stesso, che parìa con noi e aspetta la nostra risposta. Impariamo così a pregare inserendoci nella preghiera di tutti i tempi e incontriamo anche il popolo. Pensiamo ai Salmi, alle parole dei Profeti, alle parole del Signore e degli Apostoli, pensiamo ai commenti dei Padri. Oggi abbiamo avuto questo meraviglioso commento di san Colombano su Cristo fonte di «acqua viva» alla quale beviamo. Pregando incontriamo anche le sofferenze del popolo di Dio, oggi. Queste preghiere ci fanno pensare alla vita di ogni giorno e ci guidano all'incontro con la gente di oggi. Ci illuminano in questo incontro, perché in esso non portiamo soltanto la nostra propria, piccola intelligenza, il nostro amore di Dio, ma impariamo, attraverso questa Parola di Dio, anche a portare Dio a loro. Questo essi aspettano: che portiamo loro l'«acqua viva», della quale parla oggi san Colombano. La gente ha sete. E

cerca di rispondere a questa sete con diversi divertimenti. Ma comprende bene che questi divertimenti non sono l'«acqua viva» della quale ha bisogno. Il Signore è la fonte dell'«acqua viva». Egli però dice, nel capitolo 7 di Giovanni, che chiunque crede diventa una «fonte», perché ha bevuto da Cristo. E questa «acqua viva»² diventa in noi acqua zampillante, fonte per gli altri. Così cerchiamo di berla nella preghiera, nella celebrazione della Santa Messa, nella lettura: cerchiamo di bere da questa fonte perché diventi fonte in noi. E possiamo meglio rispondere alla sete della gente di oggi avendo in noi l'«acqua viva», avendo la realtà divina, la realtà del Signore Gesù incarnatosi. Così possiamo rispondere meglio ai bisogni della nostra gente. Questo per quanto riguarda la prima domanda. Che cosa possiamo fare? Facciamo sempre il possibile per la gente — nelle altre domande avremo la possibilità di ritornare su questo punto — e viviamo con il Signore per poter rispondere alla vera sete della gente.

La sua seconda domanda è stata: *abbiamo speranza per questa Diocesi, per questa porzione di popolo di Dio che è questa Diocesi di Albano e per la Chiesa?* Rispondo senza esitazione: sì! Naturalmente abbiamo speranza: la Chiesa è viva! Abbiamo duemila anni di storia della Chiesa, con tante sofferenze, anche con tanti fallimenti: pensiamo alla Chiesa in Asia Minore, la grande e fiorente Chiesa dell'Africa del Nord, che con l'invasione musulmana è scomparsa. Quindi porzioni di Chiesa possono realmente scomparire, come dice san Giovanni nell'Apocalisse, o il Signore tramite Giovanni: «Se non ti ravvederai verrò da te e rimuoverò il tuo candelabro dal suo posto».³ Ma, d'altra parte, vediamo come tra tante crisi la Chiesa è risorta con una nuova giovinezza, con una nuova freschezza.

Nel secolo della Riforma, la Chiesa Cattolica appariva in verità quasi finita. Sembrava trionfare questa nuova corrente, che affermava: adesso la Chiesa di Roma è finita. E vediamo che con i grandi santi, come Ignazio di Loyola, Teresa d'Avila, Carlo Borromeo ed altri, la Chiesa risorge. Trova nel Concilio di Trento una nuova attualizzazione e una rivitalizzazione della sua dottrina. E rivive con grande vitalità. Vediamo il tempo dell'Illuminismo, nel quale Voltaire ha detto: Finalmente è finita questa antica Chiesa, vive l'umanità! E cosa succede, invece? La Chiesa si rinnova. Il secolo XIX diventa il secolo dei grandi santi, di una nuova vitalità per tante Congregazioni religiose, e la fede è più forte di tutte le correnti che vanno e vengono. E così anche

² v. 38.

³ 2, 5

nel secolo passato. Ha detto una volta Hitler: «La Provvidenza ha chiamato me, un cattolico, per farla finita con il cattolicesimo. Solo un cattolico può distruggere il cattolicesimo». Egli era sicuro di avere tutti i mezzi per distruggere finalmente il cattolicesimo. Ugualmente la grande corrente marxista era sicura di realizzare la revisione scientifica del mondo e di aprire le porte al futuro: la Chiesa è alla fine, è finita! Ma, la Chiesa è più forte, secondo le parole di Cristo. E la vita di Cristo che vince nella sua Chiesa.

Anche in tempi difficili, quando mancano le vocazioni, la Parola del Signore rimane in eterno. E chi — come dice il Signore stesso — costruisce la sua vita su questa «roccia» della Parola di Cristo, costruisce bene. Perciò, possiamo essere fiduciosi. Vediamo anche nel nostro tempo nuove iniziative di fede. Vediamo che in Africa la Chiesa, pur con tutti i problemi, ha tuttavia una freschezza di vocazioni che incoraggia. E così, con tutte le diversità del panorama storico di oggi, vediamo — e non solo, crediamo — che le parole del Signore sono spirito e vita, sono parole di vita eterna. San Pietro ha detto, come abbiamo sentito domenica scorsa nel Vangelo:⁴ «Tu hai parole di vita eterna; noi abbiamo creduto e conosciuto che tu sei il santo di Dio». E vedendo la Chiesa di oggi, vedendo, con tutte le sofferenze, la vitalità della Chiesa, possiamo dire anche noi: abbiamo creduto e conosciuto che tu ci dai le parole di vita eterna, e quindi una speranza che non fallisce.

LA PASTORALE «INTEGRATA»

Mons. Gianni Macella, Parroco in Albano: «Negli ultimi anni, in sintonia con il progetto della CEI per il decennio 2000-2010, ci stiamo impegnando per realizzare un progetto di «pastorale integrata». Le difficoltà sono molte. Vale la pena ricordare almeno il fatto che tanti fra noi, sacerdoti, siamo ancora legati ad una certa prassi pastorale poco missionaria e che sembrava consolidata, tanto era legata a un contesto, come si dice, «di cristianità»; d'altra parte, molte fra le stesse richieste di tanti fedeli suppongono la parrocchia alla maniera di un «super market» di servizi sacri. Ecco, allora, vorrei domandarle, Santità: Pastorale integrata è solo questione di strategia, oppure c'è una ragione più profonda per la quale dobbiamo continuare a lavorare in questo senso?».

Devo confessare che ho dovuto imparare dalla sua domanda la parola «pastorale integrata»... Ho capito tuttavia il contenuto: cioè che dobbiamo cercare di integrare in un unico cammino pastorale sia i diversi operatori

⁴ v. 6, 69

pastorali che esistono oggi, sia le diverse dimensioni del lavoro pastorale. Così, distinguerei le dimensioni dai soggetti del lavoro pastorale, e cercherei poi di integrare il tutto in un unico cammino pastorale.

Lei ha fatto capire, nella sua domanda, che c'è il livello diciamo « classico » del lavoro nella parrocchia per i fedeli che sono rimasti — e forse anche aumentano — dando vita alla nostra parrocchia. Questa è la pastorale « classica » ed è sempre importante. Distinguo di solito tra evangelizzazione continuata — perché la fede continua, la parrocchia vive — e evangelizzazione nuova, che cerca di essere missionaria, di andare oltre i confini di coloro che sono già « fedeli » e vivono nella parrocchia, o si servono, forse anche con una fede « ridotta », dei servizi della parrocchia.

- 3° Delegati Fraternali, qui ecclesias et ecclesiales communitates repraesentent, quae cum Ecclesia Catholica plena communiōe non fruuntur.

CAPUT V

DE COMMISSIONIBUS STUDIORUM

Art. 8

De Commissionibus studiorum constituendis

- § 1. I° Si res, de qua in Synodo agitur ulteriore enucleatione indigeat, Praesidis Delegati est, de consensu Romani Pontificis, peculiare inter Sodales Commissiones Studiorum constituere.
- 2° Uniuscuiusque propterea Commissionis est tantummodo studere textui argumenti melius forte redigendo aut difficultati propositae solvendae.
- § 2. Nisi aliter statutum fuerit a Romano Pontifice, singulae Commissiones constant ex duodecim membris, in materia peritis, quorum octo a Coetu eliguntur, quattuor vero nominantur a Romano Pontifice.
- § 3. De Romani Pontificis assensu, constituetur, ad normam praecedentis § 2, etiam Commissio Nuntio vel alii Documento forte redigendo, quod, Patribus Synodalibus approbantibus, publici iuris fiet.

Art. 9

De Sodalibus Commissionum Studiorum eligendis

- I° Electiones Sodalium Commissionum Studiorum ad normam *C. I. C.*, can. 119, I° fiunt.
- 2° Inter electos vel nominatos Romanus Pontifex Praesidem et Praesidis Vicarium eligit.
- 3° Sodalis uniuscuiusque Commissionis eligi potest quilibet e Patribus, exceptis Praeside Delegato, Secretario Generali et Relatore Generali.
- 4° Secretarius Commissionis erit unus ex ipsius Sodalibus ab iisdem electus.
- 5° Commissionibus Studiorum intererit Secretarius Specialis, qui praesto erit in discussione argumenti, pro quo Commissio statuta est.

CAPUT VI
DE COMMISSIONE QUERELARUM

Art. 10

De Commissionis Querelarum constitutione et munere

Initio uniuscuiusque coetus constituitur a Romano Pontifice Commissio trium Sodalium, cuius est porrectas querelas rite examinare et ad ipsum Romanum Pontificem deferre.

CAPUT VII
DE SECRETARIA GENERALI SYNODI EPISCOPORUM

Art. 11

De Secretariae Generalis Synodi constitutione

§ 1. Secretaria Generalis Synodi Episcoporum est institutum permanens in servitium Synodi conditum, ita ut sit inter diversos eiusdem coetus ligamen.

§ 2. Secretariae Synodi partem, suo pro munere, habent Secretarius Generalis et Consilium Secretariae.

Art. 12

De Secretarii Generalis nominatione, muneribus et adiutoribus

§ 1. Secretarius Generalis a Romano Pontifice nominatur atque ad ipsius Romani Pontificis nutum munus suum exercet.

§ 2. Secretarii Generalis est iussa et mandata Romani Pontificis exsequi atque cum Eo communicare omnia quae ad Synodum spectant.

§ 3. Secretarius Generalis coetuum synodalem Sodalium est. In principio coetus laborum *Relationem* de Synodo apparanda profert, officia Secretariae moderatur eiusque acta subsignat.

§ 4. Secretarii Generalis item est labores Consilii Secretariae praeparare et promovere necnon sessiones eiusdem Consilii moderari.

§ 5. Ad Secretarium Generalem quoque pertinet:

- I° mittere, de mandato Romani Pontificis, epistulas convectionis et ordinem rerum agendarum uniuscuiusque coetus Synodi, necnon documenta, instructiones et notitias ad eundem coetum spectantia;

- 2° communicare cum omnibus, quorum interest, nomina Membrorum seu Sodalium libere a Romano Pontifice designatorum ad normam n. X Litterarum Apostolicarum *Apostolica sollicitudo*, diei 15 mensis Septembris anni 1965; communicare item nominationem Praesidentis Delegati, Relatoris Generalis et Secretarii Specialis uniuscuiusque coetus a Romano Pontifice factam;
 - 3° referre Romano Pontifici ea quae in laboribus Consilii Secretariae Generalis peracta sunt;
 - 4° ordinem uniuscuiusque coetus praeparare atque Romano Pontifici subicere res in eo agendas et elenchum Membrorum, quae ratihabitione indigent;
 - 5° synodalibus laboribus decurrentibus, curare singula munera tribuenda Sodalibus diversis, officiorum cumulo vitando;
 - 6° transmittere processum verbalem uniuscuiusque coetus Synodi Patribus: Patriarchis, Archiepiscopis Maioribus et Metropolitibus Ecclesiarum Metropolitanarum sui iuris, Praesidibus Conferentiarum Episcopaliū, Praepositis Curiae Romanae Dicasteriis, Praesidi Unionis Superiorum Generalium;
 - 7° exsequi ea quae Synodus Episcoporum ipsi mandaverit;
 - 8° colligere, in ordinem disponere et asservare acta et documenta.
- § 6. Adiutores Secretarii Generalis nominantur, approbante Romano Pontifice, a Secretario Generali ex eoque dependent.
- § 7. Idem Adiutores eliguntur inter ecclesiasticos viros idoneos et aptos, scientia et prudentia praeditos.
- § 8. Si res postulet, periti in rebus technicis a Secretario Generali, approbante Romano Pontifice, eligi possunt.

Art. 13

De Consilii Secretariae Generalis constitutione, muneribus et conventibus

- § 1. Consilium Ordinarium Secretariae Generalis in fine cuiusque Coetus Generalis Ordinarii Synodi constituitur.
- § 2. Idem constat quindecim Sodalibus, quorum duodecim ab ipsa Synodo eliguntur, ratione habita repraesentationis Episcoporum in toto orbe diffusorum, tres vero a Romano Pontifice designantur.

§ 3. Electio Sodalium fit per scrutinium secretum et vim habet iuris cum, demptis suffragiis nullis, parti absolute maiori eorum, qui suffragium dederunt, placuerit, aut, post primum inefficax scrutinium, parti relative maiori in secundo scrutinio. Quod si suffragia aequalia fuerint, servabitur norma *C.I.C.*, can. 119, 1°.

§ 4. Episcopi in Consilio Secretariae Generalis electi munus suum servant, donec sequens Coetus Generalis Ordinarius initium habeat.

§ 5. Consilii Secretariae Generalis est adiutricem operam Secretario Generali praestare:

1° in examinandis omnibus quae a Synodis Episcoporum et Consiliis Hierarcharum Ecclesiarum Catholicarum Orientalium, Episcoporum Conferentiis, Dicasteriis Curiae Romanae et Unione Superiorum Generalium proponuntur quoad quaestiones in Synodo tractandas, ratione habita art. 1, § 1, 2°;

2° in praeparandis laboribus in proximo Synodi coetu persolvendis;

3° in praebendis consiliis quoad ea exsequenda quae a Synodo prolata et a Romano Pontifice approbata sunt;

4° in aliis demum quaestionibus quas Romanus Pontifex ipsi commiserit.

§ 6. Sodales Consilii Secretariae Generalis a Secretario Generali convocantur bis in anno et insuper quoties, de iudicio Romani Pontificis, id opportunum esse videatur.

§ 7. Similiter atque in Coetu Generali Ordinario, in fine Coetus Specialis Consilium Speciale Secretariae Generalis constituitur ad quinquennium, quo transacto Romanus Pontifex decernit ipsumne Consilium prorogandum atque Sodales confirmandi vel substituendi sint.

CAPUT VIII

DE RELATORE GENERALI ET SECRETARIO SPECIALI

Art. 14

De Relatoris Generalis et Secretarii Specialis nominatione

§ 1. Relator Generalis nominatur a Romano Pontifice pro unoquoque coetu.

§ 2. Secretarius Specialis nominatur a Romano Pontifice pro unoquoque coetu, in quo argumentum tractetur, cuius ipse sit peritus.

§ 3. Si argumenta diversa sunt, tot Secretarii Speciales nominantur quot sunt argumenta discutienda.

§ 4. Si casus ferat, nominantur a Romano Pontifice Adiutores Secretarii Specialis, de quibus in art. 7, I°.

§ 5. Coetu absoluto, Relatoris Generalis et Secretarii Specialis munera cessant.

Art. 15

De Relatoris Generalis et Secretarii Specialis muneribus

§ 1. Relatoris Generalis est:

I° parere *Relationem ante disceptationem et Relationem post disceptationem*, de quibus ad artt. 31 et 32;

2° praeesse operi textum parandi *Propositionum* vel aliorum documentorum, quae, sub cura Secretarii Specialis exarata, suffragationi Patrum subicienda sunt, atque eadem in sessione plenaria proferre.

§ 2. Secretarius Specialis haec munera explet:

I° adest Relatori Generali in omnibus eius officiis;

2° ipso moderante, opus Adiutorum componit et curat ut exarentur *Propositiones* vel alia documenta suffragationi Patrum subicienda.

§ 3. Secretarius Specialis praesto est Praesidi Delegato, Relatori Generali et Secretario Generali pro apparandis documentis et relationibus; pro explanationibus et notitiis, iis praebendis, qui illas forte petant; pro actis denique conficiendis.

§ 4. In discussione argumenti fas est cuilibet Patri, de consensu Praesidis Delegati et ordine ab eo statuto, explicationes et notitias petere sive a Relatore sive praesertim a Secretario Speciali.

CAPUT IX

DE NOTITIIS CIRCA SYNODUM VULGANDIS

Art. 16

De Commissione notitiis circa Synodum vulgandis

§ 1. Ad dandas notitias de Synodi conventibus et actuositate constituitur peculiaris Commissio, constans ex his Membris: Praeside et Praesidis Vicario, a Romano Pontifice nominatis, Secretario Generali Synodi, Secretario Speciali Synodi, Praeside Pontificii Consilii de Communicationibus Socialibus,

Directore Sedis Vaticanae Diurnariis Edocendis, necnon quinque Patribus Synodalibus, a Praeside Delegato designatis, iuxta elenchum candidatorum a Commissionis Praeside propositorum.

§ 2. Commissionis Secretarius erit Director Sedis Vaticanae Diurnariis Edocendis.

§ 3. Commissioni competit, approbante Praeside Delegato, determinare rationes et modos, quibus notitiae vulgentur.

§ 4. Per Patres Synodales, a Praeside Commissionis, Praeside Delegato approbante, designatos, collationes cum diurnariis de singulis argumentis identidem fient.

PARS SECUNDA NORMAE GENERALES

CAPUT I

DE SYNODO EPISCOPORUM CONVOCANDA

Art. 17

De ratione Synodi convocandae

§ 1. Synodus Episcoporum a Romano Pontifice opportuno tempore opportunisque modis convocatur.

§ 2. Praesidis Delegati est proximae congregationis diem et horam necnon materiam tractandam iuxta praestitutum ordinem indicare.

§ 3. Intimatio singulorum Sodalium tunc tantum locum habet, cum id Praeses Delegatus necessarium iudicaverit.

CAPUT II

DE VESTIBUS ADHIBENDIS

Art. 18

De vestibus in coetu adhibendis

In coetus congregationibus Sodales, ad quos pertinet, habitum pianum induunt sine lacerna; ceteri proprium publicum.

CAPUT III
DE PRAECEDENTIA

Art. 19

De praecedentiae ordine

- § 1. Serventur, pro praecedentia, praescripta canonica et consuetudines.
§ 2. Si qui Sodalis forte extra ordinem sedeat, sententiam proferat vel alios actus faciat, nullum ius acquirit, ac nemini praeiudicium affert.

CAPUT IV
DE SECRETO SERVANDO

Art. 20

De obligatione secreti servandi

Salvo praescripto art. 16, omnes qui in Synodo partem habent vinciuntur secreto quod attinet et ad actus praeparatorios et ad labores ipsius coetus, praesertim quod spectat ad singulorum sententias et suffragia atque coetus decisiones conclusionesque.

CAPUT V
DE LINGUA SYNODO ADHIBENDA

Art. 21

De lingua in coetibus et actis adhibenda

In Coetu Generali Synodi et in actis conficiendis lingua latina adhibetur. Praeses Delegatus alias linguas adhibendi facultatem concedere potest.

CAPUT VI
DE COLLIGENDIS AC DISTRIBUENDIS ACTIS ET DOCUMENTIS

Art. 22

De ratione colligendi ac distribuendi acta et documenta

- § 1. Omnia acta et documenta colliguntur et distribuuntur per Secretarium Generalem.

§ 2. Argumenta, de quibus in coetu Synodi agendum est, transmittuntur antequam coetus initium capiat, ita ut tempus habeatur ad convocandos organismos quibus competit, ut rogentur sententiam.

CAPUT VII

DE SENTENTIA EXQUIRENDA AB ORGANISMIS QUIBUS COMPETIT

Art. 23

De ratione sententiae exquirendae

§ 1. Res, quas pertractandas Romanus Pontifex in Synodi convocatione statuerit, a Synodis Episcoporum et a Consiliis Hierarcharum Ecclesiarum Orientalium Catholicarum, ab unaquaque Episcoporum Conferentia, a Dicasteriis Curiae Romanae et ab Unione Superiorum Generalium studiose antea perspiciantur oportet.

§ 2. De earundem rerum agendarum definitione unusquisque Episcopatus suam communem sententiam exprimit aptiore, quae ipsi videatur, ratione.

§ 3. Huiusmodi sententia a singulis Sodalibus pro Synodo deputatis in Synodi coetu exprimitur.

§ 4. Patrum consensus, synodali disceptatione absoluta, exprimitur per *Propositiones* vel alia documenta, quae subiciuntur suffragationi, deinde Romano Pontifici traduntur prout Synodi conclusiones.

CAPUT VIII

DE SUFFRAGIIS

Art. 24

De suffragiis ferendis

Postquam Sodales sententiam, de qua in art. 23, § 3, expresserunt, si Romanus Pontifex id constituerit, ad ferenda suffragia proceditur.

Art. 25

De formula et modo ferendi suffragia

§ 1. Suffragia in Synodo feruntur formula: *placet, non placet, placet iuxta modum*, si agitur de schemate approbando, sive integro sive per partes diviso;

feruntur vero formula: *placet, non placet*, in emendationibus seu modis approbandis et in aliis suffragationibus.

§ 2. Qui suffragium dederit formula: *placet iuxta modum*, officio tenetur modum clare et concinne scripto tradere.

§ 3. Suffragia exprimuntur aptis schedulis, nisi Praeses Delegatus alium modum praeceperit, v. gr. surgendo vel manu elevanda.

Art. 26

De suffragiorum maioritate

§ 1. Ad maioritatem suffragiorum constituendam, si agitur de re approbanda, requiruntur duae tertiae partes suffragiorum Sodalium, qui suffragia ferunt; si vero de reicienda, eorundem Sodalium maioritas absoluta.

§ 2. Praescriptum § 1 servetur sive consilium praestandum est Romano Pontifici, sive, obtenta eiusdem Romani Pontificis licentia, est de re decernendum.

§ 3. Quoties de ratione procedendi quaestio movetur, ea per maioritatem absolutam Sodalium, qui suffragium ferunt, solvitur.

CAPUT IX

DE SODALIUM ABSENTIA

Art. 27

De obligatione significandi absentiam

Quisquis congregationibus interesse nequeat, is Praesidi Delegato, per Secretarium Generalem, absentiae rationem significare debet.

CAPUT X

DE RESIDENTIA

Art. 28

De dispensatione ab obligatione residentiae

Omnes, qui Synodo interesse tenentur vel eidem operam quovis titulo legitime impendunt, coetu perdurante et donec eidem adsunt vel inserviunt, ab obligatione residentiae eximuntur et reditus proprii consueti officii percipere valent.

PARS TERTIA
DE RATIONE PROCEDENDI

CAPUT I
DE RITIBUS SACRIS

Art. 29

De coetu inaugurando et absolvendo

§ 1. Coetus Synodi inauguratur celebratione Eucharistiae et cantu hymni *Veni, Creator Spiritus*.

§ 2. Idem coetus absolvitur celebratione Sanctae Missae et cantu hymni *Te Deum*.

CAPUT II
DE IMMISSIONE IN OFFICIUM PRAESIDIS DELEGATI

Art. 30

De ratione immissionis in officium

Ineunte Synodo in coetum congregata, si casus ferat, Secretarius Generalis perlegit pontificium documentum, quo deputatur Praeses Delegatus, qui statim officium capit suum.

CAPUT III
DE RELATIONIBUS RELATORIS GENERALIS

Art. 31

Relatio ante disceptationem

§ 1. Relatio, qua materia in Synodo tractanda exponitur et enucleatur, ratione habita quaestionum de quibus disceptandum erit, a Relatore Generali paratur, cui Romanus Pontifex, cum coetus quilibet convocatur, hoc munus contulerit.

§ 2. Relatori Generali praesto esse debet Secretarius Specialis.

§ 3. Textus *Relationis ante disceptationem*, in Synodo proferendae, saltem triginta diebus ante inchoandum coetum perveniat ad Secretarium Generalem, qui curat exemplaria pro Sodalibus paranda.

Art. 32

Relatio post disceptationem

Patrum Synodaliū interventionibus absolutis, Relator Generalis, quod pertinet ad argumenta in Aula perpensa, disceptationis summam, quae *Relatio post disceptationem* vocatur, porrigit, idemque eas quaestiones illustrat, de quibus fortasse in Circulis Minoribus vel alium in modum investigandum adhuc sit.

CAPUT IV

DE RATIONE PROCEDENDI IN COETIBUS SYNODI

Art. 33

De argumentorum propositione

Praeses Delegatus argumentum disceptandum nuntiat et Relatorem Generalem vocat, qui Relationem iam apparatus et Patribus distributam summam exponit et explicat, adiutorio usus, si necesse sit, Secretarii Specialis.

Art. 34

De argumentorum discussione

§ 1. 1° Praeses Delegatus, iuxta indicem a Secretario Generali confectum, ex ordine ad dicendum vocat Sodales, qui pridie nomina sua in eum finem significaverint.

2° Patres, qui dicere postulaverunt, alter alteri succedunt iuxta ordinem petitionis loquendi.

3° Qui Synodos Episcoporum et Consilia Hierarcharum Ecclesiarum Orientalium Catholicarum et Conferentias Episcopales repraesentant, ipsorum nomine, iuxta facultates sibi tributae, dicant.

- 4° De una eademque quaestione, nomine Organismorum quibus competit, unus tantum Pater dicat.
- § 2. 1° Si multi sint, qui disserendi veniam petierint, rogantur Patres ne repetant quae alii iam exposuerunt, sed ad ea, quae iam dicta sint, paucis se referant.
- 2° Eodem in casu Praesidis Delegati est coadunare, vel per semetipsum vel per Patrem a se deputatum iuxta articulum 3, 2°, in separatis conventibus Patres oratores ad concordandum, salva omnium libertate, ut pauci nomine omnium, iuxta diversitatem sententiarum, dicant.
- § 3. 1° Patres, qui facultatem disserendi petierunt, etsi non dixerint, suas animadversiones Secretariae Generali scripto dabunt, quae tamen aequae existimabuntur et perpendentur atque interventiones in Aula prolatae.
- 2° Qui autem dicunt, orationes suas spatio temporis a Praeside Delegato statuto contineant.
- § 4. Praevio consensu Romani Pontificis, determinatis temporibus disceptatio libera inter Patres persolvi potest iuxta modos a Secretario Generali, Praeside Delegato adsistente, statutos.
- § 5. Praesidis Delegati est coetui Patrum Synodali in Aula congregato proponere ut disceptationi finis imponatur. Quo in casu per maiorem partem suffragiorum res definiatur.

Art. 35

De circulis minoribus

Patrum Synodali interventionibus absolutis, Praeses Delegatus, si hoc opportunum iudicaverit, potest in Circulis Minoribus argumenti discussionem promovere, quae iuxta *Modum Procedendi* huic *Ordini* adnexum fiet. In hisce Circulis, secundum varias linguas distinguendis, Patres Synodales Moderatorem et Relatorem eligant et, discussione argumenti absoluta, committant Relatori, ut nomine aliorum sententiam proferat in congregatione generali.

Art. 36

De responsionibus

- § 1. Si qui Pater, auditis aliorum animadversionibus, respondere seu aliquid obicere intendit, hanc facultatem a Praeside Delegato petere potest.
- § 2. Praesidis Delegati est facultatem respondendi concedere et diem statuere, qua responsio fiat.
- § 3. Die statuta, Praeses Delegatus, iuxta indicem a Secretario Generali confectum, vocat Patres, qui respondere petierunt.
- § 4. Oratores, nisi tempus ad respondendum Praeses Delegatus definierit, brevissimo sermone suas responsiones contineant.
- § 5. Possunt oratores nomine plurium Sodalium respondere, quorum, si hoc faciunt, nomina indicare debent.
- § 6. Responsiones scripto Secretario Generali dein tradendae sunt.

Art. 37

De navitate Commissionum Studiorum

- § 1. Si ex habita disceptatione constet argumentum ulteriore enucleatione indigere, potest Praeses Delegatus, de consensu Romani Pontificis et modis ab eodem statutis iuxta articulum 8, peculiarem Commissionem constituere, quae in hoc opus incumbat.
- § 2. Interea ad subsequentis argumenti examen proceditur.
- § 3. I° Cum Commissio Studiorum suas conclusiones exhibuerit, eae a Relatore, per Commissionem designato, Sodalibus illustrantur.
- 2° Si Patres postulant, potest Praeses Delegatus brevissimam disceptationem circa has conclusiones concedere; quae disceptatio fit iuxta art. 34.

Art. 38

De voto exprimendo

- § 1. Expleta disceptatione, singuli Patres mentem suam iuxta sententiam, de qua in art. 23, § 2, pandunt per votum scripto deinde Secretario Generali tradendum.

§ 2. Si, ex voluntate Romani Pontificis, suffragatio facienda sit, haec ad normam articulo 24-26 peragitur.

Art. 39

De examinandis et suffragationi subiciendis Propositionibus et documentis

§ 1. Modis insertis, Relator Generalis, Secretarius Specialis et Secretarius Generalis *Propositiones* vel alia, si qua forte sint, documenta typis imprimenda curant.

§ 2. Statuto tempore Patres, auditis textibus de quibus in praecedenti paragrapho, ad exprimenda suffragia de ipsis procedunt.

§ 3. Suffragatio fit formula: *placet, non placet.*

§ 4. *Propositiones* vel alia documenta, per hanc suffragationem probata, Romano Pontifici traduntur, ad normam articuli 23, § 4.

CAPUT V

DE RELATIONE CIRCA PERACTOS LABORES

Art. 40

De Relatione facienda

Coetus laboribus absolutis, fit per Secretarium Generalem *Relatio*, in qua describuntur labores circa argumentum vel argumenta examinata peracti et conclusiones a Patribus deductae exhibentur.

Art. 41

De Relatione Romano Pontifici exhibenda

Relationem, de qua in articulo 40, Secretarius Generalis Romano Pontifici exhibet.

ADNEXUM

MODUS PROCEDENDI IN CIRCULIS MINORIBUS

CAPUT I

NATURA, SCOPUS ET COMPOSITIO CIRCULORUM MINORUM

Art. 1

Decurrente disceptatione synodali, Praeses Delegatus in Circulis Minoribus, secundum linguas constitutis (cfr. *Ordo Synodi Episcoporum*, art. 35), ulteriorem discussionem promovet de quaestionibus, quas *Relatio post disceptationem* significat. Singuli Patres Synodales participabunt Circulum, qui ipsis tribuetur, ratione habita linguarum ab ipsis electarum. Omnes et singuli Circuli eadem pertractabunt argumenta.

Art. 2

Scopus huiusmodi Circulorum Minorum est Patribus praebere opportunitatem facilius exprimendi suas cuiusque opiniones, easque inter se conferendi, ut sic denique patefiat et compendiose declaretur de quibus sentiis consentiant, de-quibus vero dissentiant. Haec quidem collatio per se ad opiniones quam maxime concordantes, etiam ad generalem consensum, ut optatur, perducatur oportet, semper tamen ratio habenda erit cuiusvis opinionis sive oppositae sive diversae.

Art. 3

Patres Synodales distribuentur in Circulos secundum linguas quae sequuntur: latina, anglica, gallica, germanica, hispanica simul cum lusitana, italica. Si multi Patres elegerint eandem linguam, ipsi in duos vel plures Circulos eiusdem linguae dividuntur. Quae divisio fiet plerumque iuxta ordinem alphabeticum, qualis apparet in indice Patrum nominali.

CAPUT II
DE ORDINATIONE CIRCULORUM
ET DE DISCEPTATIONE CIRCA ARGUMENTUM

Art. 4

§ 1. Moderator uniuscuiusque Circuli erit unus ex Patribus Synodalibus qui ei intersunt. Eligitur vero in initio primae sessionis a Sodalibus eiusdem Circuli, per secreta suffragia (cfr. *C.I.C.*, can. 172; *C.C.E.O.*, can. 954) in schedulis expressa, per maioritatem relativam.

§ 2. Moderatoris uniuscuiusque Circuli est:

- enuntiare palam argumenta proposita;
- disceptationem moderari;
- providere ne ipsa disceptatio a materia seu quaestionibus propositis declinet;
- promovere actuosam participationem Sodalium;
- decernere quodnam argumentum ante alia tractari debeat et definire tempora ad loquendum concessa, ubi illa aut illa necessitas contingat propter ipsius temporis angustias.

Art. 5

§ 1. Relator uniuscuiusque Circuli erit unus alterve ex Patribus Synodalibus, qui ei intersunt. Eligitur a Sodalibus eiusdem Circuli, per secreta suffragia (cfr. *C.I.C.*, can. 172; *C.C.E.O.*, can. 954) in schedulis expressa, per maioritatem relativam. Electio fit in initio primae sessionis.

§ 2. Relatoris uniuscuiusque Circuli est:

- in fine singularum sessionum summatim repetere sententias prolatas, sive consentientes sive dissentientes;
- disceptatione argumenti absoluta, parare *Relationem*, a Membris Circuli probandam, quae omnes praedictas sententias, sive consentientes sive dissentientes, contineat;
- coram coetu *Relationem* proferre.

Art; 6

§ 1. Uniuscuiusque Circuli Secretarius erit Assistens quidam Secretariae Generali Synodi Episcoporum adscriptus.

§ 2. Secretarii uniuscuiusque Circuli est:

- praesto adesse Moderatori;
- praesto esse Relatori pro apparanda *Relatione* et omnibus Circuli Sodalibus pro qualibet ministratioe technica, quam forte petant;
- satisfacere iis quae a Sodalibus Circuli quaeruntur, si forte illa quaeri contingat;
- processum verbalem consessuum Circuli exarare, Secretariae Generali transmittendum.

CAPUT III

DE CIRCULORUM *RELATIONUM* EXPOSITIONE IN PLENARIA SESSIONE

Art. 7

Tempore a Praeside Delegato statuendo, Relatores, nomine Membrorum uniuscuiusque Circuli, *Relationem*, de qua in art. 5, § 2, in congregatione generali exponent.

Art. 8

Relationibus Circulorum Minorum in congregatione generali expletis, ad normam art. 36 *Ordinis Synodi Episcoporum*, facultas respondendi tribui potest Patribus Synodalibus, qui necessarium duxerint aliquid complere, emendare aut enucleare circa ea quae in *Relationibus* contineantur.

Art. 9

Expositione absoluta in congregatione generali, potest Praeses Delegatus, ad normam art. 34 *Ordinis Synodi Episcoporum*, de ipsis Circulorum Minorum propositionibus in Aula discussionem instruere.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 2 Septembris 2006. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Severi, Exc.mum P.D. Lucium Renna, O. Carm., hactenus Episcopum Marsorum.

die 9 Septembris. — Episcopum Coadiutorem Bredanum R.D. Ioannem Hermannum Iosephum van den Hende, e clero Groningensi-Leovardiensi, hactenus eiusdem dioecesis Vicarium generalem.

die 21 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Aveirensi Exc.mum P.D. Antonium Franciscum dos Santos, hactenus Episcopum titularem Magnetensem et Auxiliarem archidioecesis Bracarensis.

die 29 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Algarensi-Bosanensi, Exc.mum P.D. Iacobum Lanzetti, hactenus Episcopum Auxiliarem archidioecesis Taurinensis et titularem Marianensem in insula Corsica.

— Cathedrali Ecclesiae Oteriensi, R.D. Sergium Pintor, e clero archidioecesis Arborensis, hactenus Officii Conferentiae Episcoporum Italiae pro Pastoralis Valetudinis Cura Praesidem.

die 3 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Mariae, Exc.mum P.D. Angelum Iosephum Rovai, hactenus Episcopum titularem Abaradirensensem et Auxiliarem Cordubensem in Argentina.

— Cathedrali Ecclesiae Portus Iguassuensis, R.D. Marcellum Martorell, e clero archidioecesis Cordubensis in Argentina, ibidemque parochum Cordis Iesu Eucaristici.

die 5 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Matehualensi R.D. Lucam Martínez Lara, e clero archidioecesis Sancti Ludovici Potosiensis, hactenus Vicarium episcopalem et parociae vulgo *Santa Catalina* nuncupatae parochum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 8 settembre, S.E. il Signor **PEDRO PABLO CABRERA GAETE**, Ambasciatore del Cile;

Sabato, 16 settembre, S.E. il Signor **IVAN REBERNIK**, Ambasciatore di Slovenia;

Lunedì, 18 settembre, S.E. il Signor **MARTIN BOLLDORF**, Ambasciatore di Austria;

Giovedì, 28 settembre, S.E. il Signor **HANS-HENNING HORSTMANN**, Ambasciatore della Repubblica Federale di Germania;

Venerdì, 29 settembre, S.E. il Signor **RROK LOGU**, Ambasciatore di Albania.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 28 settembre, il Dott. **GÜNTER HIRSCH**, Presidente della Corte di Cassazione della Repubblica Federale di Germania;

Lunedì, 2 ottobre, S.E. il Signor **JAMES ALIX MICHEL**, Presidente della Repubblica delle Seychelles;

Giovedì, 5 ottobre, S.E. il Signor **HEINZ FISCHER**, Presidente della Repubblica di Austria.

NOMINATIO

A conferma di quanto pubblicato il 22 giugno 2006, il Santo Padre ha nominato il 15 settembre 2006 Segretario di Stato Sua Eminenza Reverendissima il Sig. Card. Tarcisio Bertone, S.D.B., Arcivescovo emerito di Genova.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

- 6 settembre 2006 S.E.R. Mons. James Patrick Green, Arcivescovo titolare di Aitino, Nunzio Apostolico in Sud Africa e in Namibia, e Delegato Apostolico in Botswana, *Nunzio Apostolico in Lesotho*.
- 23 » » S.E.R. Mons. James Patrick Green, Arcivescovo tit. di Aitino, Nunzio Apostolico in Sud Africa, Lesotho, Namibia e Delegato Apostolico in Botswana, *Nunzio Apostolico in Swaziland*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

- 1 settembre 2006 L'Em.mo Signor Cardinale Agostino Valimi, Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *Membro della Congregazione per i Vescovi «ad quinquennium»*.
- 2 » » Il Rev.do P. Felice Ruffini, M.I., *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari «donec aliter provideatur»*.
- 15 » » S.E.R. Mons. Giovanni Lajolo, Arcivescovo tit. di Cesariana, finora Segretario della Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato, *Presidente della Pontificia Commissione per lo Stato della Città del Vaticano e Presidente del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano, «ad quinquennium»*.
- » » » L'Ecc.mo Mons. Dominique Mamberti, Arcivescovo tit. di Sagona, finora Nunzio Apostolico in Sudan e in Eritrea, *Segretario per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato «ad quinquennium»*.
- 21 » » Gli Ecc.mi Monsignori: Josef Voss, Vescovo tit. di Tisiduo, Ausiliare di Münster (Germania), e Renato Ascencio León, Vescovo di Ciudad Juárez (Messico), *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Rineranti «ad quinquennium»*.
- » » » Gli Ecc.mi Monsignori: Marian Golebiewski, Arcivescovo di Wroclaw (Polonia), e Leo Cornelio, Vescovo di

Khandwa (India), *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « in aliud quinquennium ».*

- 22 » » L'Em.mo Signor Cardinale Ivan Dias, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, *Membro del Consiglio Speciale per l'Asia della Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi «ad quinquennium»*; S.E.R. Mons John Atcherley Dew, Arcivescovo di Wellington (Nuova Zelanda), *Membro del Consiglio Speciale per l'Oceania della Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi « ad quinquennium »*; S.E.R. Mons. Fernando Antonio Figueiredo, Vescovo di Santo Amaro (Brasile), *Membro del Consiglio Speciale per l'America della Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi « ad quinquennium ».*
- 25 » » L'Em.mo Cardinal Tarcisio Bertone, Segretario di Stato, *Membro della Congregazione per le Chiese Orientali, della Congregazione per i Vescovi e della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli «ad quinquennium ».*

Si rende noto che il 22 settembre F Ill.mo Prof. Paolo Papanti-Pelletier è stato confermato Giudice Aggiunto del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano « ad annum ».

NECROLOGIO

- 6 agosto 2006 Mons. Pietro Giachetti, Vescovo em. di Pinerolo (*Italia*).
- 22 » » Mons. Simeon Pereira, Arcivescovo em. di Karachi (*Pakistan*).
- 23 » » Mons. Justin Samba, Vescovo di Musoma (*Tanzania*).
- » » » Mons. Francisco Peralta y Ballabriga, Vescovo em. di Vitoria (*Spagna*).
- 27 » » Mons. Alfred Maria Oburu Asue, C.M.F., Vescovo di Ebebiyn (*Guinea Equatoriale*).
- » » » Mons. Juan Ignacio Larrea Holguín, Arcivescovo em. di Guayaquil (*El Ecuador*).
- 5 settembre » Mons. Oscar García Urizar, Vescovo em. di Los Altos, Quetzaltenango-Totonicapan (*Guatemala*).

- 7 settembre 2006 Mons. Alberto Setele, Vescovo di Inhambane (*Mozambico*).
- » » » Mons. Petar Perkolic, Arcivescovo em. di Bar (*Montenegro*).
- 11 » » Mons. Louis Cornet, Vescovo em. di Meaux (*Francia*).
- » » » Mons. Antonio Forte, Vescovo em. di Avellino (*Italia*).
- 14 » » Mons. Michel Yatim, Arcivescovo em. di Lattaquié dei Greco-Melkiti (*Siria*).
- » » » Mons. José Mauro Pereira Bastos, Vescovo di Guaxupé (*Brasile*).
- 16 » » Mons. Mario Teixeira Gurgel, S.D.S., Vescovo em. di Itabira - Coronel F ab ri ciano (*Brasile*).
- 17 » » Mons. Gianfranco Masserdotti, M.C.C.I., Vescovo di Balsas (*Brasile*).
- 23 » » Mons. Vital Komenan Yao, Arcivescovo di Bouaké (*Costa D'Avorio*).
- 24 » » Mons. Joseph M. Nguyễn Quang Tuyền, Vescovo di Bac Ninh (*Vietnam*).
- 26 » » Mons. Benedict Charles Franzetta, Vescovo tit. di Oderzo, Ausiliare em. di Youngstown (*Stati Uniti d'America*).
- 29 » » Sua Em.za il Signor Cardinale Louis-Albert Vachon, del Tit. di S. Paolo della Croce a «Cordale» (*Canada*).

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

AGBOVILLEN SIS

Nova in Litore Eburneo conditur dioecesis Agbovillensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Vigili cum cura nitimur ut catholica fides in dies effundatur et universas orbis ecclesiales communitates efficaciter complectatur. Qua de causa Nostram huiusmodi convertimus mentem ad ecclesiam Yopugonensem in Litore Eburneo. Quoniam a Nobis petatum est ut haec dioecesis divideretur ad novam condendam ecclesiasticam circumscriptionem, hisce precibus libenti animo annuimus. Itaque, sententiam excipientes Congregationis pro Gentium Evangelizatione, favente huic rei Venerabili Fratrem Mario Roberto Casari, Archiepiscopo titulo Truentino et in Litore Eburneo Apostolico Nuntio, quae sequuntur decernimus et iubemus. Territorium districtum civilium, qui vulgo appellantur *Agboville*, *Adzopé* et *Tiassalé*, a memorata dioecesi Yopugonensi abstrahimus, et ex eo novam dioecesim, Agbovillensem appellandam, constituimus. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Abidianensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam declaramus. Episcopalem eius sedem in urbe vulgo *Agboville* statuimus ibidemque exstans templum, Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae Vianney dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis

ecclesiae evehimus, cunctis additis iuribus et privilegiis quae ad id genus sacras aedes pertinent. Cetera vero secundum canonicas leges adimpleantur. Haec quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Mario Roberto Cassari, quem supra memoravimus, vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem curatori, necessarias tribuentes et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die quarto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri secundo.

THARSICIUS Card. **BERTONE**

Secretarius Status

IVAN Card. **DIAS**

**** 9' P^o Gentium Evang. Praef*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 46.815

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mariae Teresiae a Sancto Ioseph (in saec.: Annae Mariae Tauscher van den Bosch), Fundatrici Congregationis Sororum Carmelitarum a Divino Corde Iesu, caelitem Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Deus laudandus et semper glorificandus! ».

Haec verba emissa ex ore Servae Dei Teresiae a Sancto Ioseph, morti proximae, ad suas Sorores, possunt haberi compendium doctrinae, vitae et missionis eius in Ecclesia et in mundo. Contemplatione Sacratissimi Cordis

Iesu, crevit amore et caritate usque ad modum heroicum diffundendo amorem illum in operas caritativas erga personas derelictas et pauperes.

Venerabilis Serva Dei a familia lutherana die xix mensis Iunii anno **MDCCCLV** in loco *Sadow*, prope Francofurtum in Germania (hodie sito in Polonia) nata est. Hermannus, pater eius, fervidus pastor lutheranus existit. Mater, Maria Paulina van den Bosch, descendens a maioribus Neerlandensibus, voluit ut filia apud baptismatis fontem Anna Maria appellaretur. Serva Dei didicit a matre pia amorem Dei et caritatem erga pauperes. Numquam autem adhaesit confessioni patris sui et habebat «religionem suam propriam», quam, aetatem agens triginta annorum, recognovit esse doctrinam Ecclesiae Catholicae. Dissensionem patris sui devincens, admissa est in Ecclesiam Catholicam die xxx mensis Octobris anno **MDCCCLXXXVIII** in urbe Colonia.

In oratione perfecit consilium sese Deo vovendi, prout iam dudum cupierat. Ex quadam biographiae Sanctae Teresiae a Iesu lectione ad spiritualem Carmelitarum doctrinam adducta est. Christi caritate compulsa, anno **MDCCCXI** Berolini, parvam aperuit domum Sancto Ioseph dicatam ad iuvandos pueros derelictos; haec domus veluti primum lapidem Congregationis Sororum Carmelitarum a Divino Corde Iesu constituit. Brevi tempore alias aperuit domus novaque opera iniit in beneficium sacerdotum, familiarum nec non civium Italorum Berolini degentium. Simul cum iuvenibus mulieribus affluentibus, anno **MDCCCXCVII** incepit vitam consecratam secundum Regulam Ordinis Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo. Hoc anno etiam Romam petiit ad operam suam firmioribus fundamentis roborandam, cum aggregatione ad Ordinem Fratrum Carmelitarum Discalceatorum.

Persistentibus difficultatibus, Serva Dei propagavit novam Congregationem in Europam et etiam in Americam. Ad probandum amorem suum erga Deum, propriam crucem cum patientia laetitiaque portavit; legitur in eius autobiographia: «Crucem semper aestimo ut signum maximum divini amoris»; Dei voluntati perfectissime obtemperavit et mandatis auctoritatum Ecclesiae, dicens: «Vox episcopi - vox Dei»; consilia evangelica servavit modo heroico tamquam regulam sui Instituti; ad exemplum prophetae Eliae, Carmelitarum Patris, zelo zelata est pro salute animarum eodemque zelo instruxit sorores suas. «Cor divinum pro animis tantummodo palpitavit, nos autem non debemus aliud habere desiderium, quam animas salvandi».

Materna sollicitudine, auxilio ac solamine cumulavit pauperes, infirmos, senes, consorores eosque omnes ab ea consilium et adiumentum quaerentes; inimicos suos semper defendit, videns in eis instrumenta manus Divini Salvatoris; apud filias spirituales fovit regularum observantiam et caritatem reciprocam. Authentica ducta caritate, contendit ut in semet ipsa et in sororibus Christi imago insculperetur. Per se honores non quaesivit, sed simpliciter et modeste vixit, adspirans semper ad humilitatem maximam secundum exemplum Beatae Virginis Mariae.

Fides Servae Dei, oratione et Sacra Scriptura nutrita, exprimebatur pietate in Eucharistiam, in Sacrum Cor Iesu, in Matrem Mariam, in Sanctum Ioseph, in Sanctam Teresiam a Iesu quam magistram et matrem appellare solebat. Cum Christo suo Sponso intime coniuncta, percepit offensas illius tamquam sibi illatas, quas maiore caritate reparare intendit. Omnem spem suam in auxilio Divinae Providentiae reposuit atque fiducia in Deum quasi infinita appellari potest. Cum Institutum eius in nummaria difficultate versaretur, fiduciam in Domino minime perdidit, filiabus suis dicens omnia solvenda esse post eius obitum, qui eam attigit, meritis ditatam et sanctimoniae fama exornatam, die xx mensis Septembris anno **MCMXXXVIII** in oppido *Sitiará*, ubi domum suam generalem erexerat anno **MCMXXII**, atque mortalia eius corporis spolia sunt deposita.

Post eius mortem fama sanctitatis magis diffusa est. Quamobrem Episcopus Ruremundensis die **II** mensis Februarii anno **MCMIII** beatificationis canonizationisque Causam per dioecesanam Inquisitionem incohavit. His perfectis iure statutis rebus, coram Venerabili Decessore Nostro Ioanne Paulo II decretum die xx mensis Decembris anno **MMIII** de virtutibus heroum in modum exercitis prodiit et die xix mensis Decembris anno **MMV** Nobis coram decretum de miraculo edictum est. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Ruraemundae in Neerlandia die xni mensis Maii anno **MMI** celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Hadrianus Ioannes S.R.E. Cardinalis Simonis, Archiepiscopus Ultraiectensis, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servam Dei Mariam Teresiam a Sancto Ioseph, Fundatricem Congregationis Sororum Carmelitarum a Divino Corde Iesu adscribimus.

Nos, vota Fratris Nostri Francisci Iosephi Mariae Wiertz, Episcopi Ruremundensis, nec non plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis

Serva Dei Maria Teresia a Sancto Ioseph, in saeculo Anna Maria Tauscher van den Bosch, fundatrix Congregationis Sororum Carmelitarum a Divino Corde Iesu, quae pueris derelictis et senioribus adiuvandis vitam suam devovit, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tricésima Octobris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xni mensis Maii, anno **MMVI**, Pontificatus Nostri secundo.

De mandato Summi Pontificis

83 **ANGELUS** card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco 68 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 39.956

II

Venerabili Dei Servo Eustachio van Lieshout, SS.CC, Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « *Videns autem turbas, misertus est eis quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem* » (Mt 9, 36).

Venerabilis Servi Dei Eustachii van Lieshout vocatio uti patris et pastoris explicatur praesertim tempore quo missionarius in Brasiliam se contulit, ad Statum *Minas Gérais*, ubi tot auri et gemmarum exquisitores adamantina Stellae Australis virtute attrahebantur. Hoc suo servo Deus utitur ut in diversis ministerii campis florere faciat innumeras gratias et conversiones, abundantiam pacis et admirationis, ingentem virtutem attrahendi quaerentes eum, nec non tot animas quae orant eiusque intercessionem deprecantur, quoniam in eo vivens intuentur instrumentum et quasi manibus tractabile signum praesentiae divinae inter suum populum pauperem, infirmum, egenum, qui Deum esurit ac sitit.

Eustachius natus est in oppido *Aarle-Rixtel*, in Neerlandia, anno **MDCCCXC**. Religiosus professus est apud Congregationem Sacrorum Cordium anno **MCMXV** ac presbyter ordinatus anno **MCMXIX**. Missionalem fervorem inde ab exordiis suis ostendit, cum apud migrantes Belgas, operarios vitrarios, in urbe *Massluis*, prope Rotterdamum opus exercebat. Sodalis Congregationis naturaliter missionariae, anno **MCMXXV** cum aliis duobus fratribus religiosis navem conscendit Brasiliam versus. In regione quae vulgo *Triangulo Minero* appellatur, stationem constituit apostolatus apud Sanctuarium Dominae Nostrae ab Abbatia, quod religiosum centrum est peregrinationis. Translatus quoddam in principis urbis Paulopolis suburbium, vulgo *Pod*, magis in dies ministerium implet ad fideles sibi créditos ipsemet accedendo eosque visitando. Hic tamen centrum peregrinationis non existit ne ullum quidem sacellum invenitur quo fideles conveniant. Ipse est qui ovibus obviam venit et omnibus cor suum aperit; qui promptus est in confessionali; qui aditum ad domum offert omnibus pacem quaerentibus, quin praestitutis horis se subiciat. Attamen hunc modum sese gerendi aegre ferunt sodales communitatis, et insuper difficultates quaedam gignuntur in comiteo ferri viario, eo quod frequentissimi fideles huc veniunt eum cotidie quaerentes uti confessarium, consiliarium, administratorem salutis et pacis («*saúde e paz*» en eius salutatione!) pro infirmis et peccatoribus. Verbo usus, aqua benedicta et precibus ritualis Romani, plurimas manibus suis diffundebat benedictiones.

Superiores coegerunt eum ut ad tempus illinc sese recederet, ut cursus peregrinantium reprimere possent, ac praesertim examini subicerent concitatas notitias diurnariorum, qui palam scribebant de Vicario loci *Toa*, de eiusdem benedictionibus et prodigiis. Rediit enim in Statum *Minas Gerais*, ad oppida *Patrocinio*, *Ibid* ac deinde *Belo Horizonte*. Huc advenit mense Aprili anno **MCMXLI** ubi permansit usque ad obitum, nempe diem xxx mensis Augusti anno **MCMXLIII**; qua periodo optimam operam suam explere perrexit, nempe «*Ecclesiam efficere*», id est templa construere et christifideles pascere. Pervenit uti notus apostolus zelo onustus, obsequens et humilis religiosus, pauperum et indigentium acceptor, aegrotis ac derelictis deditus. Cum vero templum aedificabatur et paroecialis communitas ad eius pastorale ministerium magis in dies conferebat, ultima cruce, typho scilicet exanthematico, correptus est. Decem extremos dies vitae suae, fortitudine fideque suffultus, crucem baiulavit, apertam exhibens professionem vitae suae religiosae et omnimodae Deo deditiois, atque constanter se proiciens super Dei voluntatem, per religiosos et ecclesiasticos superiores sibi significatam. Bellohorizon-

tina in urbe reviviscit memoria eius, quoniam ille adhuc quodammodo conspicitur sive in lectulo qui apud valetudinarium *Cavalcanti* stricte servatur, sive in suburbio quod pascuis nutrit, sive in exuviis mortalibus quae cotidie invisuntur. Fortiter nos admonet Magistri invitamento: « *date illis vos manducare* » (*Mt* 14, 16).

Processus beatificationis et canonizationis, qui anno **MCMXIX** incohatus est, potissimas attingit periodos, id est cum heroicæ virtutes a Summo Pontifice Ioanne Paulo II sunt approbatae per Decretum diei xn mensis Aprilis anno **MMIII**, et cum vulgatum est Decretum super miraculo die xix mensis Decembris anno **MMV**. Denique statutum est ut in urbe Bellohorizontina beatificationis ritus die xv mensis Iunii anno **MMVI** celebraretur.

Hodie igitur Bellohorizontina in urbe de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Eustachium Van Lieshout ascribimus.

Nos vota Fratris Nostri Walmor Oliveira de Azevedo, Archiepiscopi Bellohorizontini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Eustachius Van Lieshout, presbyter, de Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, qui in pastoralis ministerio veluti salutis pacisque missionarius pro infirmis et peccatoribus vitam suam impendit, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tricésima Augusti in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Iunii, anno **MMVI**, Pontificatus Nostri secundo.

De mandato Summi Pontificis

83 **ANGELUS** card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret, Status tab., n. 46.565

HOMILIAE

I

In canonizatione beatorum Raphaelis Guízar y Valencia, Philippi Smaldone, Rosae Venerini et Theodoraë Guérin.*

Cari fratelli e sorelle!

Quattro nuovi Santi vengono oggi proposti alla venerazione della Chiesa universale: Rafael Guízar y Valencia, Filippo Smaldone, Rosa Venerini e Théodore Guérin. I loro nomi saranno ricordati per sempre. Per contrasto, viene subito da pensare al « giovane ricco », di cui parla il Vangelo appena proclamato. Questo giovane è rimasto anonimo; se avesse risposto positivamente all'invito di Gesù, sarebbe diventato suo discepolo e probabilmente gli Evangelisti avrebbero registrato il suo nome. Da questo fatto si intravede subito il tema della Liturgia della Parola di questa domenica: se l'uomo ripone la sua sicurezza nelle ricchezze di questo mondo non raggiunge il senso pieno della vita e la vera gioia; se invece, fidandosi della parola di Dio, rinuncia a se stesso e ai suoi beni per il Regno dei cieli, apparentemente perde molto, in realtà guadagna tutto. Il Santo è proprio quell'uomo, quella donna che, rispondendo con gioia e generosità alla chiamata di Cristo, lascia ogni cosa per seguirlo. Come Pietro e gli altri Apostoli, come Santa Teresa di Gesù che oggi ricordiamo, e innumerevoli altri amici di Dio, anche i nuovi Santi hanno percorso questo esigente, ma appagante itinerario evangelico ed hanno ricevuto « il centuplo » già nella vita terrena insieme con prove e persecuzioni, e poi la vita eterna.

Gesù, dunque, può veramente garantire un'esistenza felice e la vita eterna, ma per una via diversa da quella che immaginava il giovane ricco: non cioè mediante un'opera buona, una prestazione legale, bensì nella scelta del Regno di Dio quale « perla preziosa » per la quale vale la pena di vendere tutto ciò che si possiede.¹ Il giovane ricco non riesce a fare questo passo. Malgrado sia stato raggiunto dallo sguardo pieno d'amore di Gesù,² il suo cuore non è riuscito a distaccarsi dai molti beni che possedeva. Ecco allora l'insegnamen-

* Die 15 Octobris 2006.

¹ Cfr *Mt* 13, 45-46

² Cfr *Me* 10, 21.

to per i discepoli: « Quanto difficilmente coloro che hanno ricchezze entreranno nel regno di Dio! ». ³ Le ricchezze terrene occupano e preoccupano la mente e il cuore. Gesù non dice che sono cattive, ma che allontanano da Dio se non vengono, per così dire, « investite » per il Regno dei cieli, spese cioè per venire in aiuto di chi è nella povertà.

(1) Alla Chiesa, alle sue parrocchie e simili comunità ecclesiastiche e agli altri gestori patrimoniali con capacità giuridica, inclusi i suoi istituti e fondazioni, la Città Libera e Anseatica di Amburgo garantisce la proprietà e altri diritti a norma dell'articolo 140 della Legge Fondamentale in connessione con l'articolo 138, capoverso 2, della Costituzione del Reich Germanico dell'11 agosto 1919.

(2) Nel quadro delle leggi generali, la Città Libera e Anseatica di Amburgo avrà riguardo agli interessi della Chiesa nell'applicazione di prescrizioni relative al diritto di

sieht nehmen und im Falle eines Eingriffs bei der Beschaffung gleichwertiger Ersatzgrundstücke Hilfe leisten.

(3) Bei kirchlichem Bedarf an Grundstücken bzw. grundstücksgleichen Rechten, insbesondere bei Erschließung neuer Stadtteile und Aufsiedelung neuer Gebiete, wird die Freie und Hansestadt Hamburg die Belange der Kirche berücksichtigen und planungsrechtlich vorsehen. Auf Wunsch der Kirche werden entsprechende staatseigene Grundstücke bzw. grundstücksgleiche Rechte im Rahmen des haushaltsrechtlich Zulässigen kostengünstig zur Verfügung gestellt.

(4) Macht, die Freie und Hansestadt Hamburg einen dringenden öffentlichen Bedarf an Grundstücken bzw. grundstücksgleichen Rechten der Kirche, ihrer Einrichtungen oder Gemeinden geltend, wird die Kirche dafür Sorge tragen, dass die Freie und Hansestadt Hamburg solche Grundstücke bzw. grundstücksgleichen Rechte, soweit sie nicht für kirchliche Zwecke benötigt werden, zu angemessenen Bedingungen erwerben kann.

esproprio, e nell'eventualità di un intervento presterà aiuto per la ricerca di terreni sostitutivi di uguale valore.

(3) In caso di bisogno, da parte della Chiesa, di terreni o di diritti equiparati ai terreni stessi, specialmente nella circostanza dell'apertura di nuovi quartieri e dell'urbanizzazione di nuove aree, la Città Libera e Anseatica di Amburgo terrà conto degli interessi della Chiesa e vi provvederà in base alla legislazione sulla programmazione. Su richiesta della Chiesa vengono messi a disposizione a prezzo di favore, nel quadro dell'ammissibile in base alle disposizioni di legge sul bilancio, adeguati terreni o diritti equiparati ai terreni stessi, di proprietà dello Stato.

(4) Se la Città Libera e Anseatica di Amburgo fa valere un urgente bisogno pubblico di terreni o di diritti equiparati ai terreni stessi, appartenenti alla Chiesa, alle sue istituzioni o alle sue parrocchie e simili comunità ecclesiastiche, la Chiesa procurerà che la Città Libera e Anseatica di Amburgo possa entrare in possesso, a condizioni convenienti, di tali terreni o diritti equiparati ai terreni stessi, nella misura in cui non ci sia bisogno di essi per fini ecclesiastici.

Artikel 14

Denkmalpflege

(1) Die Kirche und die Freie und Hansestadt Hamburg tragen gemeinsam Verantwortung für den Schutz und den Erhalt der kirchlichen Denkmale.

(2) Die Kirche stellt sicher, dass ihre Denkmale erhalten bleiben und der Allgemeinheit zugänglich gemacht werden, sofern hieran ein öffentliches Interesse besteht. Unter diesen Voraussetzungen finden Enteignungen nach dem Denkmalschutzrecht nicht statt.

(3) Entscheidungen über Denkmale, die gottesdienstlichen, kulturellen oder gleichartigen kirchlichen Zwecken unmittelbar dienen, trifft die kirchliche Oberbehörde im Benehmen mit dem Denkmalschutzamt.

(4) Durch Vereinbarung können der Kirche Aufgaben der Denkmalpflege übertragen werden.

(5) Die Freie und Hansestadt Hamburg nimmt bei der Förderung nach dem Denkmalrecht, auch bei der Vergabe von Mitteln, Rücksicht auf die besonderen denkmalpflegerischen Aufgaben der Kirche. Sie setzt sich dafür ein, dass die Kirche auch von solchen Einrichtungen Hilfe erhält, die auf nationaler und internatio-

Articolo 14

Cura dei monumenti

(1) La Chiesa e la Città Libera e Anseatica di Amburgo portano insieme la responsabilità per la salvaguardia e la conservazione dei monumenti ecclesiastici.

(2) La Chiesa assicura che i suoi monumenti resteranno conservati e saranno resi accessibili a tutti, qualora vi sia un interesse pubblico a ciò. A queste condizioni non hanno luogo espropriazioni a norma del diritto sulla salvaguardia dei monumenti.

(3) L'autorità ecclesiastica superiore prende decisioni sui monumenti, che servono immediatamente a scopi liturgici o culturali oppure a simili scopi ecclesiastici, dopo aver preso contatto con l'ufficio per la salvaguardia dei monumenti.

(4) Mediante intesa possono essere affidati alla Chiesa compiti della cura dei monumenti.

(5) Nella promozione prevista dal diritto relativo ai monumenti, anche per quanto concerne l'assegnazione di fondi, la Città Libera e Anseatica di Amburgo ha riguardo per i particolari compiti della Chiesa in ordine alla cura dei monumenti. Essa si adopera per far sì che la Chiesa riceva aiuti anche da quelle istituzioni, che a livello

naler Ebene für die Kultur- und Denkmalspflege tätig sind.

Artikel 15

Kirchliche Friedhöfe

(1) Kirchliche Friedhöfe unterstehen demselben Schutz wie die staatlichen Friedhöfe. Staatliche Maßnahmen, die kirchliche Friedhöfe betreffen, werden mit der Kirche abgestimmt.

(2) Die Kirche hat das Recht, im Rahmen des geltenden Rechts neue Friedhöfe einzurichten, gegebenenfalls bestehende zu erweitern, zu verändern sowie zu betreiben und zu schließen. Das Erzbistum Hamburg stimmt sich darüber im Einzelfall mit der zuständigen Behörde der Freien jmd Hansestadt Hamburg ab.

(3) Die kirchlichen Träger von Friedhöfen können eigene Benutzungs- und Gebührenordnungen erlassen und im Amtlichen Anzeiger, Teil II des Hamburgischen Gesetz- und Verordnungsblattes bekannt machen. Friedhofsgebühren werden auf Antrag entsprechend den für staatliche Friedhöfe geltenden Bestimmungen eingezogen oder beigebracht.

(4) Bei der Bestattung haben die verstorbenen Mitglieder der Katholischen Kirche Vorrang.

nazionale e internazionale operano per la cura del patrimonio culturale e monumentale.

Articolo 15

Cimiteri ecclesiastici

(1) I cimiteri ecclesiastici sottostanno alla medesima protezione che i cimiteri statali. Provvedimenti statali, che riguardino i cimiteri ecclesiastici, vengono concordati con la Chiesa.

(2) La Chiesa ha il diritto, nel quadro del diritto vigente, di istituire nuovi cimiteri, di ampliare quelli eventualmente esistenti, di trasformarli come anche di gestirli e di chiuderli. Al riguardo, l'Arcidiocesi si accorda nel singolo caso con la competente autorità della Città Libera e Anseatica di Amburgo.

(3) I gestori ecclesiastici di cimiteri possono emanare propri regolamenti per l'uso e per le tariffe e pubblicarli nel *Monitore Ufficiale*, Parte II, della *Gazzetta delle Leggi e Decreti d'Amburgo*. Le tariffe cimiteriali vengono, su richiesta, rimosse o pagate in conformità alle disposizioni vigenti per i cimiteri statali.

(4) Nella sepoltura hanno la precedenza i membri defunti della Chiesa cattolica.

(5) Die Kirche hat das Recht, auf staatlichen Friedhöfen Bestattungsfeiern und sonstige Gottesdienste abzuhalten.

Artikel 16 Kirchensteuer

(1) Die Kirche ist berechtigt, nach Maßgabe der Gesetze von ihren Mitgliedern Kirchensteuern, Kirchgeld und Gebühren zu erheben.

(2) Die Kirchensteuerordnungen, die Kirchensteuerbeschlüsse, ihre Änderung und Ergänzung bedürfen der staatlichen Anerkennung. Diese kann nur bei einem Verstoß gegen die staatlichen Bestimmungen versagt werden. Die Kirchensteuerbeschlüsse gelten als anerkannt, wenn sie den Beschlüssen des vorhergehenden Jahres entsprechen.

(3) Festsetzung, Erhebung und Vollstreckung der Kirchensteuer erfolgt durch die Finanzämter. Soweit die Steuer durch Abzug vom Arbeitslohn in Betriebsstätten in der Freien und Hansestadt Hamburg erhoben wird, sind die Arbeitgeber verpflichtet, die Kirchensteuer einzubehalten und abzuführen.

(4) Für die Verwaltung der Kirchensteuer erhält die Freie und Hanse-

(5) La Chiesa ha il diritto di tenere cerimonie di sepoltura e altre celebrazioni liturgiche nei cimiteri statali.

Articolo 16 Imposta ecclesiastica

(1) La Chiesa ha il diritto di percepire dai propri membri imposte ecclesiastiche, il contributo alla Chiesa (*Kirchgeld*) e tariffe, a norma delle leggi.

(2) I regolamenti delle imposte ecclesiastiche, le deliberazioni sulle imposte ecclesiastiche, la loro modifica e integrazione necessitano del riconoscimento da parte dello Stato. Questo può essere rifiutato soltanto nel caso di contrasto con le disposizioni statali. Le deliberazioni sulle imposte ecclesiastiche si considerano riconosciute se corrispondono alle deliberazioni dell'anno precedente.

(3) La determinazione, la riscossione e l'esazione dell'imposta ecclesiastica vengono fatte attraverso gli uffici fiscali. Quando l'imposta viene riscossa nei luoghi di lavoro della Città Libera e Anseatica di Amburgo mediante detrazione dal salario lavorativo, i datori di lavoro sono obbligati a trattenere e a versare l'imposta ecclesiastica.

(4) Per l'amministrazione dell'imposta ecclesiastica la Città Libera e An-

stadt Hamburg eine Entschädigung in Höhe eines Anteils des Kirchensteueraufkommens, die einvernehmlich festgelegt wird. Die Finanzämter geben den zuständigen kirchlichen Stellen im Rahmen des geltenden Rechts die erforderlichen Auskünfte in allen Kirchensteuerangelegenheiten. Die kirchlichen Stellen wahren das Steuergeheimnis.

(5) Das Nähere bedarf besonderer Regelungen.

Artikel 17

Abgabenbefreiungen

(1) Auf Landesrecht beruhende Befreiungen und Ermäßigungen von Steuern, Gebühren und Beiträgen für die Freie und Hansestadt Hamburg gelten auch für die kirchlichen Körperschaften des öffentlichen Rechts.

(2) Gebührenbefreiungen gelten auch für solche Gebühren, die die ordentlichen Gerichte in Angelegenheiten der streitigen und freiwilligen Gerichtsbarkeit, die Gerichtsvollzieher und die Justizverwaltungsbehörden erheben.

Artikel 18

Spenden und Sammlungen

Es ist das Recht der Kirche und ihrer Einrichtungen, bei ihren Mit-

seatica di Amburgo riceve un indennizzo, che ammonta a una porzione del gettito delle imposte ecclesiastiche, da fissare di comune accordo. Gli uffici fiscali danno ai competenti uffici ecclesiastici, nel quadro del diritto vigente, le necessarie informazioni in tutte le questioni relative all'imposta ecclesiastica. Gli uffici ecclesiastici mantengono il segreto fiscale.

(5) I particolari necessitano di regolamentazioni speciali.

Articolo 17

Esenzioni da tributi

(1) Le esenzioni e riduzioni di imposte, di tasse e di contributi, basate sulla legislazione del Land e vigenti per la Città Libera e Anseatica di Amburgo, valgono anche per gli enti giuridici ecclesiastici di diritto pubblico.

(2) Le esenzioni da tasse valgono anche per quelle tasse che riscuotono i tribunali ordinari nelle cause della giurisdizione contenziosa e volontaria, gli ufficiali giudiziari e le autorità dell'amministrazione giudiziaria.

Articolo 18

Offerte e collette

E diritto della Chiesa e delle sue istituzioni raccogliere, presso i pro-

gliedern und in der Öffentlichkeit freiwillige Gaben für ihre Zwecke zu sammeln.

Artikel 19
Meldewesen
und Datenschutz

(1) Der Kirche werden zur Unterstützung eines eigenen Meldewesens nach Maßgabe der gesetzlichen Vorschriften die zur Erfüllung ihrer Aufgaben erforderlichen Daten aus dem Melderegister kostenfrei übermittelt.

(2) Die Übermittlung der Daten setzt voraus, dass bei der Kirche ausreichende Datenschutzmaßnahmen getroffen sind. Sie erlässt ein die Grundrechte beachtendes eigenes kirchliches Datenschutzrecht, das dem staatlichen gleichwertig ist.

Artikel 20
Parität

Gewährt die Freie und Hansestadt Hamburg anderen Religionsgemeinschaften über diesen Vertrag hinausgehende Leistungen und Rechte, werden die Vertragsparteien gemeinsam prüfen, ob wegen des Grundsatzes der Parität Änderungen dieses Vertrages sachgerecht sind.

pri membri e in pubblico, offerte volontarie per i propri fini.

Articolo 19
Dati anagrafici e
tutela della riservatezza dei dati

(1) Alla Chiesa vengono trasmessi gratuitamente, a sostegno di una sua propria anagrafe nei termini delle prescrizioni di legge, i dati dell'anagrafe della popolazione, che sono necessari per l'espletamento dei suoi compiti.

(2) La trasmissione dei dati presuppone che nella Chiesa siano adottate sufficienti misure per la tutela della riservatezza dei dati. Essa emana una propria legislazione ecclesiastica sulla tutela della riservatezza dei dati, che rispetti i diritti fondamentali e sia equivalente a quella statale.

Articolo 20
Parità

Se la Città Libera e Anseatica di Amburgo concede ad altre comunità religiose prestazioni e diritti superiori al presente Accordo, le Parti contraenti esamineranno insieme se a motivo del principio di parità siano oggettivamente giustificate modifiche del presente Accordo.

Artikel 21
Freundschaftsklausel

Die Vertragsparteien werden eine in Zukunft zwischen ihnen etwa entstehende Meinungsverschiedenheit über die Auslegung oder Anwendung einer Bestimmung dieses Vertrages auf freundschaftliche Weise beseitigen.

Artikel 22
Geltung anderer Verträge

(1) Unberührt bleibt der Vertrag zwischen dem Heiligen Stuhl und der Freien und Hansestadt Hamburg, dem Land Mecklenburg-Vorpommern und dem Land Schleswig-Holstein über die Errichtung von Erzbistum und Kirchenprovinz Hamburg vom 22. September 1994.

(2) Regelungen in diesem Vertrag und in dem in Absatz 1 genannten Vertrag gehen inhaltlich abweichenden oder inhaltlich übereinstimmenden Regelungen in älteren konkordatären Verträgen vor, soweit sie denselben Gegenstand betreffen.

(3) Im Übrigen sind die in diesem Vertrag behandelten Gegenstände der Beziehungen zwischen den Vertragsparteien abschließend geregelt.

(Schlussprotokoll)

Articolo 21
Clausola

della composizione amichevole

Le Parti contraenti elimineranno in via amichevole le divergenze d'opinione, che sorgessero eventualmente fra di esse in avvenire circa l'interpretazione o l'applicazione di qualche disposizione del presente Accordo.

Articolo 22
Vigenza di altri Accordi

(1) Resta intatto l'Accordo fra la Santa Sede e la Città Libera e Anseatica di Amburgo, il Land Mecklenburgo-Pomerania Anteriore e il Land Schleswig-Holstein sull'erezione dell'arci diocesi e della provincia ecclesiastica di Amburgo del 22 settembre 1994.

(2) Le regolamentazioni, contenute nel presente Accordo e nell'Accordo menzionato nel comma 1, precedono le regolamentazioni deroganti quanto al contenuto o conformi quanto al contenuto, fissate in intese concordatarie di più antica data, in quanto riguardino il medesimo oggetto.

(3) Inoltre, le materie delle relazioni fra le Parti contraenti, trattate nel presente Accordo, sono regolate in modo definitivo.

(Protocollo Finale)

Artikel 23

Inkrafttreten

(1) Dieser Vertrag, dessen deutscher und italienischer Text gleichermaßen verbindlich ist, bedarf der Ratifikation. Die Ratifikationsurkunden sollen möglichst bald ausgetauscht werden.

(2) Der Vertrag einschließlich des Schlussprotokolls, das Bestandteil des Vertrages ist, tritt am Tage nach dem Austausch der Ratifikationsurkunden in Kraft.

Diese Übereinkunft ist in doppelter Urschrift unterzeichnet worden.

Hamburg, den 29. November 2005

Articolo 23

Entrata in vigore

(1) Il presente Accordo, i cui testi italiano e tedesco fanno ugualmente fede, necessita di ratifica; Gli strumenti di ratifica dovranno essere scambiati quanto prima.

(2) L'Accordo, incluso il Protocollo Finale che forma parte costitutiva dell'Accordo, entra in vigore il giorno successivo allo scambio degli strumenti di ratifica.

La presente convenzione è stata sottoscritta in doppio originale.

Amburgo, il 29 novembre 2005

Für den Heiligen Stuhl

^ Erwin Josef Ender

Erzbischof Dr. Erwin Josef Ender
Apostolischer Nuntius
in Deutschland

Für den Senat

Ole von Beust

Erster Bürgermeister Ole von Beust
Präsident des Senats der
Freien und Hansestadt Hamburg

Schlussprotokoll

Zu Artikel 4
Absatz 4

Die Vertragsparteien lassen sich davon leiten, dass die Ziele und Regelungen dieses Vertrages nach einer Übertragung von Aufgaben auch anderen Rechtsträgern gegenüber Wirkung entfalten sollen. Darauf achtet die Freie und Hansestadt Hamburg, soweit sie es rechtlich oder tatsächlich kann.

Zu Artikel 8
Absatz 1

Die Freie und Hansestadt Hamburg ermöglicht die individuelle und gemeinschaftliche Religionsausübung gemäß Artikel 4 Absatz 1 und 2 des Grundgesetzes für die Bundesrepublik Deutschland in Einrichtungen, in denen sich Menschen aufhalten, die aus tatsächlichen oder rechtlichen Gründen die Glaubensfreiheit nicht außerhalb dieser Einrichtungen wahrnehmen können. Der Kreis der Einrichtungen beschränkt sich auf solche, bei denen in der Freien und Hansestadt Hamburg die Gewährleistung möglich ist.

Protocollo Finale

In relazione all'Articolo 4,
comma 4

Le Parti contraenti sono guidate dal presupposto che, dopo un trasferimento di compiti, le finalità e le regolamentazioni del presente Accordo devono avere effetto anche nei confronti di altri soggetti di diritto. La Città Libera e Anseatica di Amburgo tiene conto di ciò, in quanto lo possa di diritto o di fatto.

In relazione all'Articolo 8,
comma 1

La Città Libera e Anseatica di Amburgo rende possibile la pratica individuale e comunitaria della religione in conformità dell'articolo 4, commi 1 e 2, della Legge Fondamentale per la Repubblica Federale di Germania nelle istituzioni, in cui dimorano persone che per motivi pratici o giuridici non possono avvalersi della libertà di fede al di fuori di dette istituzioni. Il numero delle istituzioni si limita a quelle, presso le quali la garanzia è possibile nella Città Libera e Anseatica di Amburgo.

Zu Artikel 22

Absatz 3

Die Freie und Hansestadt Hamburg besteht nicht auf der Einhaltung der in den Artikeln 9 und 10 des Vertrages des Freistaates Preußen mit dem Heiligen Stuhl vom 14. Juni 1929 und in Artikel 14 Absatz 2 Nr. 1 und Absatz 3 des Konkordates zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Deutschen Reich vom 20. Juli 1933 genannten Erfordernissen.

Der Heilige Stuhl besteht nicht auf Erbringung von Diözesandotationen nach Artikel 4 Absatz 1 des Vertrages des Freistaates Preußen mit dem Heiligen Stuhl vom 14. Juni 1929.

Im Übrigen besteht Übereinstimmung zwischen den Vertragsparteien, dass die Bestimmungen des Konkordates zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Deutschen Reich vom 20. Juli 1933 über die Anforderungen an geistliche Obere (Artikel 15 Absatz 2 Satz 1 und Absatz 3) und über Bekenntnisschulen (Artikel 23 und 24) sowie über die politische Betätigung von Geistlichen und Ordensleuten (Artikel 32) zwischen ihnen nicht

In relazione all'Articolo 22,

comma 3

La Città Libera e Anseatica di Amburgo non insiste sull'osservanza dei requisiti enumerati negli articoli 9 e 10 della Solenne Convenzione fra la Santa Sede e la Prussia del 14 giugno 1929 e nell'articolo 14, capoverso 2, numero 1, e capoverso 3 del Concordato fra la Santa Sede ed il Reich Germanico del 20 luglio 1933.

La Santa Sede non insiste sull'apporto di dotazioni delle diocesi, di cui all'articolo 4, comma 1, della Solenne Convenzione fra la Santa Sede e la Prussia del 14 giugno 1929.

Inoltre esiste accordo fra le Parti contraenti che le disposizioni del Concordato fra la Santa Sede ed il Reich Germanico del 20 luglio 1933 circa i requisiti per i superiori religiosi (articolo 15, capoverso 2, periodo 1, e capoverso 3) e circa le scuole confessionali (articoli 23 e 24) come pure circa l'attività politica dei sacerdoti e dei religiosi (articolo 32) non vengono applicate fra di esse, nella misura in cui que-

angewendet werden, soweit diese Gegenstände nicht in diesem Vertrag geregelt sind.

ste materie non siano regolate nel presente Accordo.

Hamburg, den 29. November 2005

Amburgo, il 29 novembre 2005

Für den Heiligen Stuhl

^ Erwin Josef Ender

Erzbischof Dr. Erwin Josef Ender
Apostolischer Nuntius
in Deutschland

Für den Senat

Ole von Beust

Erster Bürgermeister Ole von Beust
Präsident des Senats der
Freien und Hansestadt Hamburg

Instrumenta ratihabitionis Conventionis inter Apostolicam Sedem atque Liberam et Manseaticam Civitatem Hamburgi constitutae, accepta et reddita mutuo fuerunt Hamburgi in urbe die IX mensis Octobris anno MMVI. Quae quidem Conventio insequenti die ipsius mensis Octobris vigere coepit ad normam articuli tertii et vicesimi eiusdem Pactionis.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

BARCINONENSIS

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Angeli Mariae Prat Hostench et XVI Sociorum ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo (t 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum; et haec est victoria quae vicit mundum: fides nostra» (*I Io* 5, 4).

Servi Dei Angelus Maria Prat Hostench et sedecim Socii ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, licet in tribulationibus et mundi vexationibus versantes, professi sunt usque ad effusionem sanguinis se in Christum credere et ad Sanctam Ecclesiam pertinere. Sunt igitur sociati in morte Redemptoris, conscii se hoc modo fructus definitivae Christi victoriae de peccato ac de morte esse collecturos. Hac animi condicione et oblatione propriae vitae propter Domini amorem congregati, mortem obierunt diversis in temporis et loci adiunctis, dum in religionem saeviret insectatio Hispanica inter annos 1936-1939. Qui scilicet sunt:

A) Duodecim sodales domus noviciatus Tarragae ex Archidioecesi Barcinonensi. Exorta quidem persecutione, religiosam domum reliquerunt et familias acceptas adierunt refugium quaerentes. Die 28 mensis Iulii anno 1936 comprehensi sunt ac sequenti die interempti. Nolentes relinquere nec proculcare imaginem Christi crucifixi, quam secum ferebant, vitam obierunt clamantes: «Christus Rex vivat!».

1. *Angelus Maria Prat Hostench*, presbyter. Baculae in Gerunda natus est die 29 mensis Aprilis anno 1896. Anno 1916 emisit professionem sollemnem et anno 1918 sacro presbyteratus ordine est insignitus. Rector exstitit Collegii Seminarii loci Auloti, deinde moderator communitatis Tarragae. Erga omnes caritatem exercuit ac de exsequendis muneribus proprii status sollicitum se praebuit.

2. *Eliseus Maria Manens Besalduch*, presbyter. In vitam venit die 15 mensis Decembris anno 1896 in loco *San Mateo* (Castaliae). Sollemnem fecit professionem anno 1919 et sacerdotio auctus est anno 1920. Aliquot per annos in Brasilia ministerium implevit, deinde, terra in patria, anno 1934 Tarragae magister noviciorum nominatus est.

3. *Anastasius Maria Borea Commina*, presbyter. Ortum habuit die 31 mensis Decembris anno 1907 in loco *Santa Margarita de Bianya* in Gerunda. Sollemnia vota nuncupavit anno 1928 et anno 1931 presbyter est ordinatus. Licet sodalis esset communitatis Auloti, diebus martyrii Tarragae morabatur, ad conciones in novendialibus celebrationibus habendas in honorem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo.

4. *Eduardus Maria Serrano Bug*, presbyter. Primam lucem vidit in loco *Villarluengo* (ex Provincia Terulensi et Dioecesi Caesaraugustana) die 21 mensis Decembris anno 1912. Anno 1935 sollemniter vota professus est et ad presbyteratus ordinem evectus.

5. *Petrus Maria Ferrer Marín*, professor. Iluri (Barcinone) natus est die 1 mensis Iunii anno 1909. Professionem simplicem emisit anno 1935, quo tempore ecclesiastica studia peragebat, se parans ad sacerdotium.

6. *Andreas Maria Solé Rovira*, professor. Eius natalis fuit dies 23 mensis Ianuarii anno 1918 in oppido *Vendrell* (Tarracone). Vota temporaria nuncupavit anno 1935. Tempore martyrii curriculum inierat philosophicum intuitu sacerdotii.

7. *Michael Maria Soler Sala*, professor. Auloti in Gerunda natus est die 15 mensis Martii anno 1919. Temporaria vota pronuntiavit anno 1935. Exorta persecutione, philosophiae vacabat studiis sacerdotio prospiciens.

8. *Ioannes Maria Puigmitjá Rubio*, professor. Auloti in Gerunda venit in vitam die 16 mensis Aprilis anno 1919. Anno 1935 temporariam fecit professionem eodemque anno curriculum philosophicum inierat ad sacerdotium.

9. *Petrus Thomas Maria Prot Colldecarrera*, professor. Natus est die 4 mensis Augusti anno 1919 in *Vali de Bianya* in Gerunda. Temporariam emisit professionem anno 1935. Tempore martyrii philosophico dabat operam curriculo ad sacerdotium.

10. *Eliseus Maria Fontdecava Quiroga*, professor. Ortum habuit die 12 mensis Maii anno 1891 in *Port-Bou* in Gerunda. Anno 1935 per temporaria vota Deo se consecravit. Addictus culinae et stipi quaeritandae.

11. *Iosephus Maria Escoto Ruiz*, novicius. Primam vidit lucem die 10 mensis Augusti anno 1878 in *Atotonilco en Alto* (*Jalisco*, Archidioecesis Guadaiariensis). Anno 1926 uxorem duxerat, attamen, adepto Sanctae Sedis indulto, iter arripuit ad vitam consecratam, similiter ac uxor, noviciatum iniens anno 1935.

12. *Elias Maria Garre Egea*, novicius. Eliocratae in Murcia die 10 mensis Octobris anno 1909 ortus eius evenit. Religiosum habitum induit uti frater laicus; noviciatum incepit anno 1936.

B) Duo sodales communitatis urbis *Tarrasa*, in Archidioecesi Barcinonensi, comprehensi et in carcerem coniecti sunt mense Iulio anno 1936. In carcere detenti optimum se gerendi modum servaverunt. Die 13 subsequentis mensis Octobris in coemeterio urbis martyres occubuerunt.

13. *Ludovicus Maria Ayet Canós*, professus. Natus est die 25 mensis Iulii anno 1886 in oppido *Villarreal de los Infantes* (Castaliae). Post professionem sollemnem, quam emiserat anno 1917, apostolatam explicavit in Portu Divite et in Venetiola. Exorta persecutione morabatur ad tempus in urbe *Tarrasa* ad diem festum parandum in honorem Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo.

14. *Angelus Maria Presta Batlle*, professus. Auloti in Gerunda die 14 mensis Februarii anno 1915 in vitam venit. Temporaria vota professus est anno 1934. Coqui munere fungebatur.

C) Agmini huic alii tres Servi Dei adduntur qui, diebus et locis diversis, ob fidem sunt interempti. Quorum nomina haec sunt:

15. *Ferdinandus Maria Lloverá Puigsech*, presbyter. Ortum habuit in oppido *Orfans* (Dioecesis Gerundensis) die 19 mensis Martii anno 1902. Sollemnem emisit professionem anno 1923. Sacerdotio anno 1924 insignitus, in Portum Divitem missus est. In Hispaniam re versus munus accepit moderatoris communitatis Auloti. Die 22 mensis Novembris anno 1936 Barcinone necatus est. Priusquam tamen mortem obiret, persecutoribus ignovit et pro iis orare promisit.

16. *Eufrosinus Maria Raga Nadal*, subdiaconus. Lucem primam vidit die 28 mensis Decembris anno 1913 in oppido *Ulldecona* (Tarracone). Anno 1935 per sollemnem professionem Deo se devovit. Comprehensus est die 3 mensis Octobris anno 1936 ac deinde occisus.

17. *Maria a Patrocinio Sancti Ioseph Badia Flaquer*. Nata est in loco *Bigas* (provinciae *Barcinonensis*) die 28 mensis Augusti anno 1903. Ingressa est Monasterium Carmelitarum *Vicensi* in urbe mense Octobri anno 1929. Sollemnia vota pronuntiavit mense Aprili anno 1934. Capta est die 13 mensis Augusti anno 1936, et, variis vilibusque cruciatibus obnoxia, sequenti die a seditiosis militibus est interempta.

Populus Dei omnes hos quos diximus fidei martyres duxit. Fama, quae annorum decursu confirmabatur, Archiepiscopum *Barcinonensem* compulit ad inchoandam Causam beatificationis seu declarationis martyrii; qui Ordinarium celebravit Processum annis 1959-1965. Instructi quoque sunt duo Processus rogatoriales in diocesis *Cumanensi* in *Venetiola* et *Guadalaiarensi* in *Mexico*. Iuridicam horum Processuum auctoritatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum per decretum diei 21 mensis Novembris anno 1986. Exarata *Positione*, consueta disceptatio peracta est de martyrio horum Dei Servorum. Prospero cum exitu, die 26 mensis Octobris anno 2004 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Ordinaria Sessione die 2 mensis Maii huius anni 2006 congregati, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Hieronymi Grillo, Episcopi *Centumcellarum-Tarquiniensis*, edixerunt Servos Dei Angelum Mariam *Prat Hostench* nec non sedecim Socios propter fidelitatem erga Christum interemptos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex *Benedictus XVI*, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Angeli Mariae Prat Hostench et XVI Sociorum, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 88 S.

EB Eduardus Nowak
archiep. tit. *Lunensis, a Secretis*

LODZIENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Wandae Iustinae Nepomucenae Malczewska, Virginis saecularis (1822-1896)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Si quis Christum amat, amare debet omnia quae eidem cara sunt, nempe crucem et passiones vitae».

Haec verba, quae Serva Dei Wanda Iustina Nepomucena Malczewska ad eos rettulit qui petebant curnam aerumnas minime quereretur, sensum existentiae eius efficaciter exprimunt. Prompta enim ad voluntatem Domini, tribulationes suas instrumentum fecit, quo cum opere redemptionis Christi participaret, cuius sollicitudinis erga humanitatem nava fuit testis, munus evangelizationis naviter exercens et egenis misericordiose assidens.

Fidelis haec filia Ecclesiae in oppido *Prendocinek*, hodie intra fines dioecesis Radomensis in Polonia, die 15 mensis Maii anno 1822 nata est e nobili familia rurali. Nonum fere agens aetatis annum, ad Primam Communionem accedit, ardenti mota desiderio Iesum oppetendi et, licet adhuc iuvenis aetate, iam bona cognitione mysteriorum fidei ornata. Mortua matre, pater eius novum iniit matrimonium, at secunda haec uxor se dulcem non gessit erga Servam Dei, cui immo multas attulit molestias.

Anno 1846 ergo iuvenis in civitatem *Klimontów* cum matertera se traiecit et ad pauperes aegrotosque necnon ad laboratas pacificandas familias toto animo incumbere coepit. Fuit dein in civitate *Zagórze*, ubi, tempore rebellionis Poloniae contra Russos invasores, duo instauravit valetudinaria, et in sauciis curandis ac moribundis assidendo enisa est, cavens ut reconciliati cum Christo spiritum emitterent. In libertatem patriae redintegrandam sumopere valuit.

Postea in civitate *Wilkoszewice* vixit ac dein in vico *Zytno*, ubi in catechesi populo impertienda et in cura pastorali ecclesiae loci parochum adiuvit. Quo translato, hospitio excepta est apud Sorores Dominicanas conventus Sanctae Annae in civitate *Przyrów*, ubi exemplo suae conversationis totam illam communitatem religiosam aedificavit. Anno 1893 demum ad canonicam vici *Parzno* immigra vit, ubi in Domino quievit. ^

Iam inde ab ineunte aetate, semper Deum in primis habuit, quem fideliter ac devote dilexit cuiusque protinus servavit praecepta. Eo virtutibus colendo ascendit, ut exemplum vitae christianae haberetur. Veritatibus revelatis firmiter credidit, Magisterii doctrinae adhaesit et mire de propaganda fide veritatem est. Ex oratione continua, ex adoratione Sanctissimi Sacramenti, ex devotione erga Passionem Christi et Beatissimam Virginem Mariam vim sumpsit, qua aequanimiter difficultates obiret et uberem apostolatam exerceret. Materno corde pueros pauperes et infirmos sublevavit. Humanam et christianam rusticorum institutionem fovit et clero in fide praecipienda assedit.

Sapientibus consiliis cuicumque eam peteret suadebat. Omnibus iusta largita est et de beneficiis acceptis gratias egit. Licet clara natalibus, in simplicitate ac paupertate vixit, fastui omnibusque adfectionibus renuntians. Licet infirma, enisa est ut ieiunia et abstinentias quacumque servaret. Oboediens fuit, specimen castitatis. Plurima ac mira dona, quibus Dominus eam ditaverat, numquam iactavit neque humanam operis sui quaesivit aestimationem.

Saepe de caelitibus loquebatur et Iesum rogabat, ut ipsam inter servos fideles suos acciperet. Quae spes eam praesertim in extrema infirmitate sustentavit et compulit, ut seipsam fidis manibus Domini traderet, quem die 26 mensis Septembris anno 1896 adeptam est.

Ob diffusam sanctitatis famam Episcopus Lodziensis Causam beatificationis et canonizationis inivit et annis 1951-1957 Processum ordinarium Informativum celebravit, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decretis diei 22 mensis Novembris anno 1991 probatae sunt. *Positione* confecta, disceptatum est, ut ex norma, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 10 mensis Maii anno 2005, prospero cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est. Patres Cardinales porro et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Februarii anno 2006, audita relatione Causae Ponentis, Em.mi Cardinalis Edmundi Szoka, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Tempe-*

rantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Wandae Iustinae Nepomucenae Malczewska, Virginis saecularis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 8B S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TRICHURIENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Euphrasiae a S. Corde Iesu Eluvathingal (in saec.: Rosae), Sororis Professae Congregationis Sororum S. Mariae a Monte Carmelo (1877-1952)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Euphrasia a S. Corde Iesu Eluvathingal (in saec.: Rosa) locupleti genere nata est die 17 mensis Octobris anno 1877, in pago, quem appellant *Edathuruthy*, quique nunc intra fines eparchiae Irinialakudensis, in Indica videlicet Civitate, quae *Kerala* vocatur. Congregationem Sororum S. Mariae a Monte Carmelo (v. *Carmelamathavinte Sabha*), quam Beatus Cyriacus Elias Chavara condiderat, ingressa, noviciarum magistra fuit eaque antistita domus apud locum *Ollur* existentis, ubi quidem, quam ipsa votis Deo mancipaverat vitam, magna ex parte deguit. Multis aerumnis, cum animi, tum corporis, perfuncta, tandem meritis referta in Domino obdormivit die 29 mensis Augusti anno 1952,

Praeclaram hanc Dei Famulam Ioannes Paulus II, Summus Pontifex, virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit die 5 mensis Iulii anno 2002.

Eius autem beatificationi prospiciens, Postulatio Causae sanationem quandam, quae divinitus, ipsa Serva Dei deprecante, patrata ferebatur, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod quidem factum pertinet ad Thomam Tharakan, in Trichuriensi Archidioecesi sedem habentem, qui anno 1997, quinto vero supra quinquagesimum aetatis suae, ex latere sinistro ac tergore laborare coepit. Clinicis inspectionibus factis, manifestum evasis sinistrum iliacum os vulnere quodam, suspecta natura neoplastica, affici. Nam, cum cytologica exsectio probativa denuntiaret «inflammatorias cellulas rarasque malignarum cellularum globos» in ea parte inesse, signa chondrosarcomatis agnita sunt: quae sane diagnosis vicit, licet quidam opinati essent vel de «pseudotumore inflammatorio» agi posse. Nec ulla prorsus tumoribus contraria therapia adhibita est, quin immo, cum prognosis esset severa quoad vitam, medici a curatione statuerunt ut, die 5 mensis Decembris eodem anno 1997, aegrotus chirurgicae sectioni, scilicet ad massam tumoris exstirpandam, subderetur. Interea soror aegrotantis divinam opem coeperat invocare, Sorore Euphrasia a S. Corde Iesu, quam peculiari ipsa pietate prosequeretur, intercedente. Tum vero, medicis necopinantibus, ex nova inspectione, quae die 4 mensis Decembris facta est, apparuit vulnus esse admodum imminutum; quod quidem subsequenti mense Ianuario anno 1998 plane dilapsum erat.

Qua de sanatione, divinitus, uti ferebatur, patrata, apud Curiam Trichuriensem annis 1998-1999 Inquisitio dioecesana est instructa, cuius validitas iuridica confirmata est ab hoc Dicasterio per decretum die 26 mensis Novembris anno 1999, latum.

Consilium vero Medicorum, in sessione die 3 mensis Februarii anno 2005, habita, agnovit sanationem celerem, perfectam, stabilem, nullis reliquatis affectam eamque, quod ad scientiam pertinet, inexplicabilem fuisse. Subsequenti die 28 mensis Septembris habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum; die autem 6 mensis Iunii hoc anno 2006, Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D. Francisco Croci, Episcopo tit. Potentino in Piceno, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarunt. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno

die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Euphrasiae a S. Corde Iesu Eluvathingal (in saec.: Rosae), Sororis professae Congregationis Sororum S. Mariae a Monte Carmelo, videlicet de celeri, perfecta, stabili, nullis reliquatis affecta, sanatione Thomae Tharakan a « vasta lesione osteolitica dell'ala iliaca sinistra, che si espandeva al di fuori delle pareti ossee con aspetto aggressivo, e con referto citologico di cellule tumorali ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 68 S.

£8 Eduardus Nowak

archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

NOVARIENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Antonii Rosmini, Sacerdotis Professi ac Fundatoris Instituti Caritatis et Congregationis Sororum a Providentia (1797-1855)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Assecla Christi nullo umquam tempore errare potest, dum Sanctam universam Ecclesiam sibi proponit uti indicem suorum affectuum, cogitationum, optationum et operum, quoniam hanc certe novit Dei esse voluntatem» (A. **ROSMINI**, *M-assime di perfezione cristiana*, Lezione 2).

Sanctam Ecclesiam maxime ac fideliter dilexit presbyter Antonius Rosmini, qui vitae sanctimonia refulsit. Fervore onustus ad Dei gloriam, pro animarum salute strenue operatus est per ministerium pastorale, testimonium caritatis, servitium veritatis foundationem que duorum novorum Institutorum vitae consecratae.

Hic Dei Servus Roboreti, Provinciae Tridentinae, die 24 mensis Martii anno 1797 natus est, secundus filius, e parentibus Petro Modesto, viro pa-

tricio Sacri Romani Imperii, et Ioanna e Comitibus Formenti di Biacesa dei Garda. Sequenti die Roboreti in paroeciali templo Sancti Marci baptismi sacramentum recepit.

Familia eius conspicuis oeconomicis facultatibus fruebatur, quae per industriam et commercium bombycinum est confirmata; aura serenitatis et christianae pietatis domi spirabatur. Litteras elementarias intra domesticos parietes didicit, deinde publicum gymnasii et lycei ludum frequentavit. Statim subtile ostendit ingenium et amplissimum studium pro cultura. Illo ex tempore percepit Deum omnibus esse anteponendum. Reliquum vitae tempus hac cogitatione ductus transegit.

Certior factus de sua sacerdotali vocatione, anno 1821 presbyteratus ordine est insignitus. Deinde aliquot per annos Roboreti abditae vitae se dedit, recessui, meditationi studioque apud domum paternam, spem nutriens cognoscendi claram voluntatis Dei cognitionem de sua vita gerenda. Exspectavit ut Deus «vocaret» eum, nolens de seipso aliquid decernere: hoc «principium passivitatis», veluti fulcrum eius vitae spiritualis, significabat eum «iugiter ac omnimode promptum esse ad Dei consilia exsequenda».

Anno 1828 condidit Institutum Caritatis ad promovendam salutem et perfectionem animarum suorum sodalium, nec non professionem caritatis sub variis formis spirituali, intellectuali, corporali. Anno 1829 Summus Pontifex Pius VIII, dum approbabat propositum Instituti, Servo Dei aperte dixit voluntatem Domini in eo esse «ut libros scriberet... ut per rationem homines prehenderet, ac per eandem ad religionem duceret». Antonius Rosmini, Pontificis verbis nisus, certior factus est operam uti disputatoris et scriptoris ab Ipso Deo optari.

Reliquum eius vitae tempus sub hac duplici explicabitur via: regimine nempe Instituti religiosi ab ipso conditi, cui aliquot post annos addita est Congregatio Sororum a Providentia; et opere disputatoris et scriptoris ad philosophiam et theologiam christianam novandam.

Institutum diffusum est prius in Italia, provehens praesertim educationem iuventutis in scholis et collegiis, ac deinde «conciones habens ad populum» in Anglia et in Hibernia. Servus Dei sollicitum se praebuit de singulis Domibus Instituti. Imprimis suos religiosos in disciplinis theologis et asceticis instituendos curavit, persuasus religiosos sodales, tantum si recte formantur, alios ad formationem iuvare posse. Strenuum se ostendit hoc in opere sive per litteras sive per immediatum colloquium. Spirituale animarum moderamen principem tenuit locum, ut amplissimum ipsius Epistularium

testatur. Brevi tempore Roboreti archipresbyteri parochi Sancti Marci munere functus est.

Summus Pontifex Gregorius XVI approbavit eius Institutum Caritatis anno 1839. Per Litteras Apostolicas approbationis ipse Pontifex propria manu sequens addidit ad Conditorem elogium: « Vir sublimi eminentique ingenio praeditus, egregiis animi dotibus ornatus, perillustris scientiis divinarum humanarumque rerum, praeclarus eximia pietate, religione, virtute, probitate, prudentia et integritate; atque praestans mira dilectione ac fidelitate erga catholicam religionem et Apostolicam Sedem ».

Operi disputatoris et scriptoris, quod in dies diffundebatur per divulgationem scriptionum indolis philosophicae, theologicae, asceticae, paedagogicae, iuridicae et politicae, quodam temporis puncto graviter adversatus est parvus adversariorum coetus, qui « criminabantur » doctrinas eius, philosophicas et theologicas, tamquam de orthodoxiae via deflectentes. Exorti sunt vicissim ferventissimi defensores; attamen ad finem controversiis ponendum, intercessit Gregorius XVI per decretum « silentii » utrique parti iniunctum, cui solus Servus Dei diligenter obtemperavit.

Accusationes inflictas in eius doctrinas postea, annis scilicet 1848-1849, iteratae sunt, dum Servus Dei Romae et Caietae morabatur apud Summum Pontificem Pium IX, qui cupiebat eum Cardinalem et Secretarium Status nominare. Peculiarem in modum extra Italiam optabatur ut Summus Pontifex fidei Servi Dei minime se committeret: unde orta est fama obrectationum adversus eum. Anno 1849 in « Indicem » relatae sunt duae parvae scriptiones, quibus tituli: « *Delle cinque piaghe della Santa Chiesa* » et « *La costituzione secondo la giustizia sociale* »; interea super omnes doctrinas eius gravissimae densabantur umbrae.

Ille tamen, immo inter graves eventus sibimet adversos, omnia tamquam diligens Providentiae consilium interpretabatur. Ad quendam amicum presbyterum scribens, dicebat: « Ego, Providentiam dum meditor, eam miror; dum miror, eam diligo; dum diligo, eam celebro; dum celebro, ei grates refero; dum ei grates refero, superabundo gaudio. Et quomodo aliter agere possem, quandoquidem per rationem vel per fidem bene scio et imo spiritu persentio quod omnia quae fiunt, sive favente sive permittente Deo, ab Ente aeterno, ab infinito et essentiali Amore creata sunt? ».

Sic stantibus rebus, se contulit in oppidum *Stresa*, ubi sedes erat No vicinatus Instituti; ibi studia peragere perrexit et scribere opera philosophica, theologica et iuridica, affectu et aestimatione circumdatus omnium qui adi-

bant eum consilium et spirituale auxilium petitori. Interdum Romae, ab anno 1851 apud Congregationem Indicis inchoatum est omnium operum eius examen, quod conclusum est per Decretum «dimissionis», id est «absolutio- nis» de accusationibus adversus eius doctrinas.

Spiritus Servi Dei ad multo maiora contendebat, cum anno 1854 advenit Decretum «Dimittantur». De quo grates Domino rettulit; tunc tamen vitam gerebat a rebus terrenis omnino disiunctam. Morbus iecoris in deterius ruens, quo totam per vitam affectus est, paulatim ad extremum transitum duxit eum. Animam enim exhalavit die 1 mensis Iulii anno 1855. In lecto mortis iacens, amico Alexandro Manzoni spirituale reliquit testamentum, scilicet: «Adorare, Tacere, Gaudere».

Heroicas Servi Dei virtutes testimonia Inquisitionis dioecesanæ testan- tur, quae plane congruunt cum trecentis circiter declarationibus scriptis, quarum inter auctores memorare iuvat Sanctam Magdalenam a Canossa, Sanctum Ioannem Bosco, Beatum Ludovicum a Casoria, Beatum Pium IX, Sanctum Vincentium Pallotti, Sanctum Gasparem Bertoni, Sanctum Leonardum Murialdo, Sanctum Aloisium Orione, Beatum Contardum Ferri- ni, Sanctum Ioannem Calabria. Omnes unanimiter asserunt Servum Dei con- stanter et eminenti gradu evangélicas exsecutum esse virtutes. Ambulavit enim per strictam sanctitatis viam et ob soliditatem fidei, gaudium spei et fervorem caritatis proximo exstitit exemplar.

Fides collustravit et duxit totam Servi Dei existentiam, ab infantia usque ad lectum mortis, ipso instanti quo splendida voce, simul cum fratribus et fidelibus viatico intervenientibus, recitavit symbolum «Credo», uti cotidie mane, vix e somno exspergefactus, facere consueverat. Deus fastigium occu- pavit cogitationum eius; ideo nullo umquam tempore destitit eius praesen- tiam colere, eius mysteria meditari eiusque voluntatem adimplere. Talenta sua administravit in servitium fidei, quam exemplo vitae et verbi scriptio- numque sapientia diffudit. Communionem cum Domino suumque sacerdotale ministerium nutrivit meditatione Verbi Dei, oratione, liturgia, cotidiana Mis- sae celebratione, ferventi devotione erga Christum crucifixum, Eucharistiam, Beatam Virginem Mariam, nec non communionem cum Ecclesia et dilectione erga Romanum Pontificem. Deus fundamentum exstitit super quod constru- xit aedificium vitae spiritualis, doctrinae et ecclesialis ministerii. Propriis viribus minime nisus est, sed humilitate et gaudio Divinae Providentiae se commisit.

Spem in Deo ostendit per laetum et serenum animum, quo exspectabat et oppetebat omnes eventus in quibus intuebatur providam Domini voluntatem. Testes admirati sunt vultum eius suaviter ac constanter subridentem, immo in funestiore tribulationis tempore. Cum furens ira inimici Dei concitata est adversus eum, ille, quin de hoc miraretur, a suscepto bonitatis itinere non destitit.

Caritatem in Deum et in proximum summo gradu exercuit. Omnia exsequebatur tamquam omnium servus et ad maiorem gloriam pro viribus Deo reddendam. Secundum singularia caritatis genera temporalem excolebat caritatem, sub veniens necessitatibus materialibus cuiuscumque ipsum adeuntis; intellectualem exercebat caritatem, consulens infirmitati mentis et eruditioni personarum, ignorantiam tollendo et veritatem docendo; et sublimiore gradu spiritualem exsequebatur caritatem, homines admonendo finem eorum in eo esse ut iusti et sancti fierent, quia hic solus est modus beatitudinem assequendi. Assiduum eius studium erat quoque caritas, cuius unicum propositum tota erat et integra veritas, naturalis et supernaturalis, quae tantummodo in caritate exprimitur. Tempore quo innumera vulgavit opera philosophica, curam adhibuit de Societate Caritatis, ad quam condendam a Deo ducebatur; porrigebat suam contributionem illuminati amoris civili societati in bonum Ecclesiae. Instituit Collegia-Convictus et Collegium pro magistris elementariis. Exaravit ordinationes pro scholis theologicis, philosophicis, classicis. Missionarios misit in Angliam, ubi plura educationis et curae animarum instituta propagavit. Condidit et rexit actuosum et amplum Institutum Sororum a Providentia. Praedicavit exercitia spiritualia ad clerum complurium dioecesium in regionibus Pedemontana, Langobardica et Veneta. Caliginoso illo tempore, supremis rogantibus auctoritatibus, nisus est ad novum suggerendum ordinem in bonum Italiae et Ecclesiae. Constanter et studiose excoluit etiam prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, oboedientiam, castitatem, paupertatem et humilitatem.

Servus Dei diffusa fama sanctitatis gavisus est sive in vita sive post mortem. In plurium votis erat ut Causa beatificationis et canonizationis tempestivo inchoaretur tempore, attamen exspectare oportuit usque ad annum 1994, quo tempore Congregatio pro Doctrina Fidei declaravit «non obstare» ad Causam ineundam. Apud Curiam Novariensem annis 1997-1998 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius validitas iuridica approbata est per decretum editum die 15 mensis Ianuarii anno 1999. Die 1

mensis Iulii anno 2001 Congregatio pro Doctrina Fidei declarabat «In praesens tamquam superatae haberi possunt rationes sollicitudinis et difficultatum doctrinalium et prudenti alium, ob quas iussa est promulgatio Decreti *Post obitum* damnationis *Quadraginta Propositionum*, quae ex operibus Antonii Rosmini erant depromptae. Et hoc quidem evenit, quoniam propositionum sensus, ita perceptus et condemnatus ab eodem Decreto, ad genuinam positionem Rosmini revera non attinet, sed ad conclusiones quae ex lectione operum illius erui poterant».

Die 3 mensis Iulii eiusdem anni 2001 haec Congregatio de Causis Sanctorum declaravit nihil obstare ut Causa ad ulteriora procedi posset. Apparata tandem *Positione*, disceptatum est, ut fieri solet, de virtutibus heroicis a Dei Servo exercitis. Die 8 mensis Februarii anno 2005 habitus est, et positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Ordinaria Sessione die 6 mensis Iunii anno 2006 congregati, Ponente Causae Exc.mo D.no Salvatore Fisichella, Episcopo titulo Vicohabentino, edixerunt Servum Dei Antonium Rosmini heroico in gradu virtutes théologales, cardinales eisque adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit; *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Antonii Rosmini, Sacerdotis professi ac Fundatoris Instituti Caritatis et Congregationis Sororum a Providentia, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. a s.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

REGIENSIS IN AEMILIA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Rosae Pellesi (in saec.: Brunae) Sororis Professae Congregationis Sororum Franciscanarum Missionariarum Christi (1917-1972)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Rosa Pellesi (in saec.: Bruna), in oppido *Priniano*, in dioecesi Regiensi in Aemilia, nata est die 1 mensis Novembris anno 1917. In Congregationem Sororum Franciscanarum Missionariarum Christi ingressa est, in qua professionem religiosam anno 1942 emisit. Munere pueros docendi in schola primariae institutionis functa est, sed ab anno 1945 ad mortem usque in nosocomio recepta est quia tuberculosi pulmonaria laborabat. Infirmiorem suam veram palaestram sanctitatis et medium apostolatus fecit. Die 1 mensis Decembris anno 1972 pie in Domino quievit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 1 mensis Iulii anno 2000, Servam Dei virtutes theologiales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis Ven. Servae Dei respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem Florentiae Manzan (in saec.: Annae Mariae), Sororis eiusdem Congregationis ad quam Serva Dei pertinuit. Haec Soror, enim, die 15 mensis Octobris anno 1988 scalas ascendit, ut ramum quendam partim abscissum ex arbore decerperet, qui, si in terram caderet, pueris in curte scholae lusitantibus, ubi ipsa munere adiutricis fungebatur, nocere potuisset. Absciso vero ramo, Soror Florentia retrorsum ceci dit violenter solum incutiens, quod grave induxit trauma cranii et thoracis.

In valetudinarium Arimini extemplo advecta est, ubi statum lethargi comatis medici agnoverunt, necnon fluxum sanguinis ex aure laeva et paralysem septimi paris nervorum cranii cum locutionis amissione. In loculamentum igitur redanimationi infirmorum constitutum translata est et mechanica perflatione suppeditata. Diligentiores investigationes fracturas costarum et claviculae laevae, necnon regionis parietalis-temporalis laevae partis cervicis, et pneumoencephalum cum oedemate trunci encephalici et hemispheriorum cranii protulerunt. Liquoris examen die 22 mensis Octobris peractum prae-

sentiam pseudomonatis aeruginosae ostendit, quae causa erat meningitidis acutae cum puris effluvio.

Prognosis igitur admodum anceps quoad vitam sicut et quoad valetudinem dicta est.

Nihilominus, iam inde a die, quo Soror Florentia in tanto occurrerat accidente, Sorores eius Congregationis, alumni scholae eorundemque familiae ad divinum auxilium fidenter confugere inceperant per intercessionem Servae Dei Mariae Rosae Pellesi. Superiorissa Generalis Congregationis Sororum Franciscanarum Missionariarum Christi disposuit insuper, ut omnes Instituti communitates novendiales intercessionis supplicationes ad Servam Dei verterent. Die 30 mensis Octobris repente febris, fluxus sanguinis ac signa meningitidis disparuerunt et, insequentibus diebus, ipsae condiciones generales valetudinis Sororis Florentiae rapide usque ad completam sanationem proficere coeperunt.

De hac mira sanatione anno 2002 apud Curiam Ariminensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 30 mensis Ianuarii anno 2004 probatae sunt. Dicasterii Medicorum Consilium in sessione diei 14 mensis Aprilis anno 2005 sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem quoad modum solutionem meningitidis et encephalitidis secundum scientiam fuisse affirmavit, stantibus gravitate tabellae clinicae et absentia effectuum neuropsychicorum. Die 16 insequentis mensis Septembris Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 4 mensis Aprilis huius anni 2006 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo Domino Francisco Croci, Episcopo tit. Potentino in Piceno. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Rosae Pellesi (in saec.: Brunae), Sororis professae Congregationis Sororum Franciscanarum Missionariarum Christi, videlicet de rapida completa ac duratura sanatione Sororis Florentiae Manzan a « meningoencefalite da Pseudomonas Aeruginosa con assenza di esiti neuropsichici in soggetto che ha subito grave trauma cranio-encefalico con frattura dell'osso temporale sinistro,*

pneumoencefalo, coma, fratture costali multiple e della clavicola sinistra, con insufficienza respiratoria ».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 88 S.

88 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

EPOREDIENSE

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Aloisiae Margaritae Claret de la Touche (in saec.: Mariae Aloisiae), Fundatricis Instituti Sororum a Bethania S. Cordis Iesu (1868-1915)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Dei amor nobis quaestio est de vita principalis atque interrogationes fert decretorias quid sit Deus quidque simus nos» (**BENEDICTUS XVI**, Litt. encycl. *Deus caritas est*, 2).

Serva Dei Aloisia Margarita Claret de la Touche (in saec.: Maria Aloisia appellata), quae Christum, summam Patris revelationem, pro viribus dilexit et operata est in caritate pro Ecclesiae utilitate, huic interrogationi respondit. Etenim ita scribebat: «Id persentio, nempe quod Infinitus Amor me protegit, me sustentat, vita est vitae meae ac ratio existentiae meae; qui sua divina fecunditate non tantum me genuit, verum etiam, ut ita dicam, iterum ac constanter me régénérât, in vita me sustinendo ».

Fidelis haec assecla Redemptoris die 15 mensis Martii anno 1868 nata est in loco vulgo *St. Germain en Laye*. Anno 1877 una cum parentibus se transtulit in urbem Valentiam. Post primum accessum ad eucharisticum convivium virginitatis votum emisit. Mundi huius blanditias repudiabat, et, non

obstantibus uxoriis condicionibus, firmiter se gessit in proposito consecratam vitam amplectendi.

Quocirca anno 1890 ingressa est monasterium Visitationis dictum *de Romans*, ubi die 17 mensis Octobris anno 1892 vota nuncupavit, nomen assumens Aloisiae Margaritae. Annis 1895-1907 noviciarum formationem curavit. Ob leges anticlericales gubernii Gallici anno 1906 monasterium confiscatum est et religiosae sorores, expulsae cum essent, in Italiam confugerunt, in oppidum vulgo *Revigliasco Torinese*. Annis 1907-1913 moderatrix exstitit suae communitatis. Alacriter nisa est ad firmandam vitam regularem et clausuram nec non ad exsequenda decreta pontificia de vita religiosa, quamvis quaedam non defuerit interna dissidentia. Sollicitam se praebuit de bono sive spirituali sive temporali suae communitatis. Cotidianam eucharisticam communionem promovit.

Anno 1909 cum suis consorioribus se contulit in locum *Mazze* et anno 1912 in locum *Parella*, semper intra limites dioecesis Eporediensis. Episcopus loci, Matthaeus Filipello, eius fuit moderator spiritualis. Nova moderatrix communitatis, anno 1913 electa, quodammodo hostiliter se gessit erga Servam Dei, quae, Episcopo et superioribus ecclesiasticis consentientibus, Romam petiit ut conderet Opus pro sacerdotibus, quod a pluribus annis in mente volutabat. Ut hoc propositum ad effectum perduceret, licentia legitimae auctoritatis adeptam, mense Martio anno 1914 novum aperuit monasterium Visitationis in loco *Vische Canavese*, in dioecesi Eporediensi. Post illius obitum, ex hoc nucleo ortum est Institutum Sororum a Bethania Sacri Cordis Iesu, quod uti conditricem profitetur eandem Servam Dei, quae a suis spiritualibus filiabus ob vitae sanctimoniam veneratione colitur. Etenim, exemplar exstitit in officiis proprii status adimplendis, et in Instituti Regula servanda. Verbo et opere ad vitam gerendam secundum propriam vocationem consorores induxit, eas etiam aedificans per exercitium omnium virtutum, quas studio, constantia et spirituali delectatione excoluit.

Inde a iuventute Dominum ferventer dilexit et in Ipsum nec non in revelatas veritates firmiter credidit. Quinimmo, cum in difficillimis adversis versaretur, in manus eius fidenter se dedit eiusque voluntati obsequenter adhaesit, asserens: «Propria voluntas abnegetur oportet ut Domini voluntas adimpleatur». Vitavit quoque peccata venialia et vires impendit ad illius Regnum diffundendum. Permanens exstitit in oratione, legebat et meditabatur Sacram Scripturam; ferventem devotionem nutritivit erga Eucharistiam,

Sacratissimum Cor Iesu, Virginem Mariam, Sanctum Franciscum Salesium, cuius spirituali doctrinae iugiter sese referebat. Affabilem, sollicitam et patientem se ostendit erga consorores, ex quibus eas ignovit quae illi adversabantur. Peculiari caritate operata est ut sacerdotibus faveret, sese pro iis immolans ut «seminatores amoris» evaderent. *

In moderanda communitate iustitiam, fortitudinem et prudentiam excoluit seque exhibuit in consiliis ferendis circumspectam. Plurium difficultatum crucem sereno baiulavit animo atque paenitentias et castigationes libenter est amplexa. Licet ex opulenta familia, molestias et incommoda vitae communis haud invita sustinuit. Exemplar existit paupertatis; castitatem servavit et ita oboedientiam exercuit, ut apud suos moderatores spirituales admirationem moveret. Altiolem in dies gradum humilitatis attingere intendit, curans suam operam potius tegendam, ut sit Deus qui faciat et operetur.

A mense Novembri anni 1914 valetudo eius ingravescere coepit. Dolores liberaliter obtulit pro peccatorum conversione et pro sacerdotum sanctificatione. Die 14 mensis Maii anno 1915 in caelestis Patris domum transivit, quam supernaturali spe in suae terrenae existentiae decursu affectaverat. Obiit crucifixi imaginem osculans nomenque Iesu invocans.

Ob diffusam sanctitatis famam, Episcopus Eporediensis Causam inchoavit beatificationis et canonizationis, Ordinarium Processum instruens annis 1934-1953. Peracti quoque sunt duo Processus Rogatoriales in Sedibus nempe Gratianopolitana et Lukanensi. Iuridicam horum Processuum validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum, decretum vulgans die 22 mensis Novembris anno 1991. Exarata *Positione*, ut de more disceptatio facta est de virtutibus heroico in gradu a Dei Serva exercitis. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum actus est die 27 mensis Maii anno 2005 positivum ferens suffragium. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati die 21 mensis Martii anno 2006, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi Petri Georgii Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopi emeriti Camerinensis-Sancti Severini in Piceno, edixerunt Servam Dei henricum attigisse fastigium in theologalibus, cardinalibus eisque adnexis virtutibus excolendis.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in*

Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Aloisiae Margaritae Claret de la Touche (in saec.: Mariae Aloisiae), Fundatricis Instituti Sororum a Bethania S. Cordis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

SPIRENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Pauli Iosephi Nardini, Sacerdotis dioecesanii, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium a Sacra Familia (1821-1862)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Paulus Iosephus Nardini die 25 mensis Iulii anno 1821 in loco *Germersheim*, parvo vico Germaniae, ortus est. Cum a patruis adoptivus esset, cognomen Lichtenberg mutatum est in Nardini. Anno 1846 sacerdos est ordinatus in Dioecesi Spirensi. Frugifero cum studio ministerio pastoralis se dedit. Parochus fuit in loco *Pirmasens*, ubi Congregationem condidit Sororum Franciscalium a Sacra Familia, cuius est infantes educare atque pauperibus et aegrotis adsistere. Sanctitatis fama circumdatus, die 27 mensis Ianuarii anno 1862 pie in Domino obdormivit.

Summus Pontifex Benedictus XVI, die 19 mensis Decembris anno 2005, declaravit Servum Dei heroicum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse.

Postulatio Causae, Servi Dei prospiciens beatificationi, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram subiecit sanationem

Sororis M. Stephaniae Beyer ex Congregatione Sororum Franciscanum a Sacra Familia, quae, anno 1953, in valetudinarium *Rodaiben* excepta est ob stomachi ulcerationem. Medicae inspectiones praesentiam cancri in stomacho ostenderunt. Soror, die 16 mensis Novembris anno 1953, chirurgicam subiit sectionem, ex qua ingens gastricus tumor repertus est et diffusus lymphonodis omentoque damnum afferens. Parietes quoque cholecystis densatae erant et adhaerentes, cum multis calculis internis. Medicus chirurgus gastrectomiam integram exsequi non potuit, uti necesse erat, sed tantummodo partialem exsecutus est stomachi resectionem, cum ob provectum tumoris statum ablatio lymphonodorum fieri non poterat nec structurae circumstantes ad neoplasiam adhaerentes removeri. Ne cholecystis quidem ablata est. Carcinoma attigit gradum T3-T4. Prognosis infausta erat quoad vitam.

Interea, inde ab initio morbi, Sorores et infantes Domus loci *Pirmasens*, cuius Soror M. Stephania moderatrix erat, invocare coeperunt divinum auxilium, intercedente eorum Patre Fundatore, sepulto eiusdem Domus in sacello. Infirma quoque, quae in valetudinarium reliquiam Servi Dei secum tulerat, saepe ad eum fiducialiter recurrebat.

Praeter medicorum praevisiones, primis diebus mensis Decembris anno 1953, Soror M. Stephania convalescere coepit atque die 16 eiusdem mensis, plene sanata, valetudinarium relinquere potuit.

De hoc casu celebrata est anno 2000 apud Curiam Spirensis Inquisitio dioecesis, cuius iuridica validitas ab ista Congregatione per decretum diei 24 mensis Novembris anno 2000 est approbata. Consilium Medicorum in sessione die 18 mensis Maii anno 2005 habita declaravit sanationem celerrimam, perfectam, constantem, omnibus residuis omnino demptis, et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 21 mensis Februarii huius anni 2006 Congressus habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 16 sequentis mensis Maii Ordinaria Sessio habita est Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Exc.mo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno

die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Pauli Iosephi Nardini, Sacerdotis dioecesiani, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium a Sacra Familia, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Sororis M. Stephaniae Beyer a « carcinoma gastrico esteso, di 10 cm. di diametro, con infiltrazione profonda della parete gastrica, con metastasi linfonodali e aderenze alle strutture viciniori, classificabile allo stadio T3-T4 ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 88 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BARCINONENSIS

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Simonis Reynés Solivellas et V Sociorum e Congr. Miss, a SS. Cordibus Iesu et Mariae necnon e Congr. Sor. Francise. Fil. Misericordiae et Prudentiae Canyelles i Ginesta Laicae (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Fides facit ut gaudium et lumen visionis beatificae quasi in antecessu gustemus, quae finis est nostrae peregrinationis hic in terris. Tunc videbimus Deum "facie ad faciem" [1 Cor 13, 12], "sicuti est" (1 Io 3, 2). Fides igitur iam est vitae aeternae initium» (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 163, a. 1992).

Fides in Christum Iesum, quae aeternum beatificae visionis gaudium quodammodo praecurrit, vitam illustravit et mortem Servi Dei Simonis Reynés Solivellas eiusque Sociorum, qui terrestrem expleverunt peregrinationem, summo flagrantibus desiderio beatitudinem Domini resuscitati «facie ad faciem» participandi. Spes eorum tanta erat in Deo, ut minime metuerent

sanguinem effundere ad testificandum erga Ipsum amorem et fidelitatem. Hi quidem anno 1936 interempti sunt, saeviente insectatione adversus Ecclesiam Dei in Hispania, ubi innumeri episcopi, sacerdotes, religiosi, sorores et laici martyrii palmam sunt adepti. Huic glorioso testium Christi agmini adduntur septem Servi Dei, de quibus nunc agimus.

Hos inter Dei Servos, quattuor sodales erant ex Congregatione Missionariorum a SS. Cordibus Iesu et Mariae, et constituebant communitatem religiosam apud Barcinonense Sanctuarium Dominae Nostrae vulgo «*Dei Coli*». Hi quidem sunt:

1. Pater *Simon Reynés Solivellas*, qui natus est die 23 mensis Ianuarii anno 1901. Anno 1925 perpetuam emisit professionem et anno 1926 presbyter est ordinatus. In turri, ubi cum suis confratribus sese absconderat, die 23 mensis Iulii a carnificibus est necatus.

2. Pater *Michael Fons Ramis*, qui ortum habuit die 8 mensis Iulii anno 1907. Perpetuam fecit professionem anno 1928 et anno 1931 presbyteratus ordine est insignitus. Interfectus est die 23 mensis Iulii simul cum Servo Dei quem supra memoravimus.

3. Frater *Franciscus Mayol Oliver*, qui in mundum venit die 31 mensis Maii anno 1871. Uti frater coadiutor anno 1896 perpetua vota nuncupavit. Die 23 mensis Iulii occisus est simul cum duobus confratribus quos iam diximus.

4. Frater *Pan Noguera Trias*, qui natus est die 24 mensis Novembris anno 1916. Professionem temporariam emisit anno 1934 tamquam frater coadiutor. Die 23 mensis Iulii in loco vulgo *Arrabassada* interemptus est simul cum duabus religiosis ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, quae sunt:

5. Soror *Catharina Caldés Socias*, quae nata est die 9 mensis Iulii anno 1899. Anno 1921 Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae est ingressa, vota perpetua nuncupans anno 1925. Pertinebat ad communitatem Barcinonensem sitam apud Sanctuarium Dominae Nostrae «*Dei Coli*», unde vi deducta est ut ad mortem duceretur, quam ope carnificum subiit die 24 mensis Iulii.

6. Soror *Michaela Rullàn Ribot*, quae orta est die 24 mensis Novembris anno 1903. Anno 1928 noviciatum iniit apud Sorores praedictae Congregationis, ubi perpetuis votis Domino se consecra vit anno 1935. Sodalis erat

eiusdem communitatis ac Servae Dei Catharinae Caldés Socias, et cum ipsa supremum caritatis testimonium reddidit.

7. Domina Prudentia Canyelles i Ginesta, quae nata est die 5 mensis Augusti anno 1884. Anno 1927 viro nupsit Ezechieli Aguadé Soler. Refugium praebuit Servis Dei Simoni Reynés Solivellas, Michaeli Pons Ramis et Francisco Mayol Oliver ut in tutum sese reciperent; curam insuper adhibuit de Francisco Mayol, ab interfecto vulnerato. Die 23 mensis Iulii manuballista necata est una cum Fratre Pau, Sorore Catharina et Sorore Michaela.

Hi septem Servi Dei statim martyres fidei sunt habiti, quapropter Archiepiscopus Barcinonensis annis 1952-1968 de asserto eorum martyrio instruxit Processum Ordinarium Informativum, cuius iuridicam auctoritatem approbavit hoc Dicasterium decretum edens die 20 mensis Novembris anno 1992. Exarata *Positione*, die 15 mensis Maii anno 2004, peculiaris actus est Congressus Consultorum Theologorum, positivo quidem cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 21 mensis Februarii hoc anno 2006, Ponente Causae Exc.mo D.no Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, edixerunt horum Servorum Dei mortem verum exstitisse martyrium.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Simonis Reynés Solivellas et V Sociorum e Congregatione Missionariorum a SS. Cordibus Iesu et Mariae necnon e Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae et Prudentiae Canyelles i Ginesta, laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. SB S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

GIENNENSIS ET CONCHENSIS

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Mariani a S. Ioseph Altolaguirre y Altolaguirre (in saec.: Iacobi) et IX Sociorum ex Ordine SS. Trinitatis (f 1936-1937)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Non est hic, sed resurrexit » (*Lc* 24, 6).

Laetus nuntius de Iesu Christi resurrectione omnia creata, hominum res, Eius praesertim discipulos illuminat, qui quidem, in vera vite manentes (cf. *Io* 5, 1-6), mortem et resurrectionem cum Redemptore et Magistro communicant. Quod enim Ecclesia inde a primordiis resurrectionem vere esse crederet ac testaretur, id praesertim martyres rexit atque sustentavit in hora qua ipsi supremum vitae sacrificium obierunt. Christum, qui resurrexit, suspexerunt etiam Servi Dei Marianus a S. Ioseph eiusque IX Socii, qui vitam pro Christo immolaverunt in persecutione quae Ecclesiam in Hispania superiore saeculo pressit.

Hi testes Christi alieni erant a studiis de re politica quae tunc temporis in populo Hispanico agitabantur; suam autem consecrationem religiosam tranquillam vivebant, cum Regulam Ordinis SS. Trinitatis, cuius ipsi partes erant, observantes, tum Deo et Ecclesiae famulantes. Ipsi vero, tempestate exardescente — invisi enim erant utpote Deo consecrati — in vocatione perseverarunt suumque spiritum paraverunt ad supremum fidei testimonium perhibendum. Quamvis alii aliis temporibus interfecti essent, omnes autem coronam martyrii per effusionem sanguinis adepti sunt.

De hisce quidem Servis Dei agitur, quorum haec nomina et vitae:

1. Pater *Marianus a Sancto Ioseph* (in saec.: Iacobus Altolaguirre y Altolaguirre). Natus est die 30 mensis Decembris anno 1857 in pago v. d. *Yurre*. Vota sollemnia anno 1875 nuncupavit; anno 1880 sacro presbyteratus ordine insignitus est. Nonnullorum conventuum superior fuit suique Ordinis definitur generalis. Ipse tempore quo martyrium perpessus est in sacras orationes habendas et sacramentum paenitentiae administrandum praecipue incumberebat. Sodalis erat communitatis religiosae Sacrae Nostrae Dominae *de la Fuensanta* apud *Villanueva del Arzobispo*, intra fines dioecesis Giennensis. Neci occubuit die 26 mensis Iulii anno 1936.

2. Pater *Iosephus a Iesu et Maria* (in saec.: Iosephus Vincentius de Ormaechea y Apoitia). Natus est die 1 mensis Septembris anno 1880 in loco *Navárniz*. Sollemni professione anno 1899 emissa, anno 1903 presbyteralem ordinationem accepit. Ipse, tempore quo enecatus est, die videlicet 4 mensis Augusti anno 1936, superior erat conventus et Sacrii Nostrae Dominae *de la Fuensanta*.

3. Pater *Prudentius a Cruce* (in saec.: Prudentius de Guéréquiz y Guezuraga). Natus est die 29 mensis Aprilis anno 1883 in pago *Rigoitia*. Post vota anno 1903 sollemniter nuncupata, ipse anno 1903 sacerdotium suscepit. In ministerio erat Sacrii B. M. Virginis v. d. *de la Cabeza* in loco *Andújar*. Una cum Servo Dei Secundo a Sancta Teresia martyrii coronam meruit die 31 mensis Iulii anno 1936.

4. Pater *Secundus a Sancta Teresia* (in saec.: Secundus García y Cabezas). Natus est die 24 mensis Martii anno 1891 in pago *Barrios de Nistoso*. Postquam anno 1910 sollemnibus Deo votis se adstrinxerat, ipse anno 1914 sacerdotium inivit. Eximius praeceptor et concionator fuit. Ad martyrii palmam pervenit die 31 mensis Iulii anno 1936.

5. Pater *Ioannes a Iesu et Maria* (in saec.: Ioannes Otazua y Madariaga). Natus est die 8 mensis Februarii anno 1895 in pago *Rigoitia*. Sollemnibus votis anno 1918 nuncupatis, anno 1921 sacerdotio auctus est. Ipse, tempore quo interemptus est, nocturnis videlicet horis inter dies 2 et 3 mensis Aprilis anno 1937, in ministerio erat Sacrii B. M. Virginis *de la Cabeza*.

6. Soror *Francisca ab Incarnatione* (in saec.: Maria Francisca Espejo y Martos). Nata est die 2 mensis Februarii anno 1873 in oppido v. d. *Martos*. Monasterium sanctimonialium SS. Trinitatis ingressa, sacra vota anno 1894 nuncupavit. Eadem infirmorum ministra, aedituma, ostiaria fuit. Sanguinem suum profudit die 13 mensis Ianuarii anno 1937.

Quattuor sequentes religiosi viri, in conventu Bellimontano in dioecesi Conchensi degentes, simul interfecti sunt die 24 mensis Septembris anno 1936, scilicet postquam nonnullos dies in vinculis fuerunt:

7. Pater *Aloisius a Sancto Michaele De Sanctis* (in saec.: Aloisius de Erdoiza y Zamalloa). Natus est die 25 mensis Augusti anno 1891 in loco *Amorebieta*. Postquam anno 1910 sollemnibus votis se Deo consecravit, anno 1916 ipse munus sacerdotale suscepit. Idem fuit professor, superior conventus Bellimontani ac defmitor provincialis.

8. Pater *Melchior a Spirito Sancto* (in saec.: Melchior Rodríguez Villastri-go). Natus est die 28 mensis Ianuarii anno 1899 in pago v. d. *Laguna de Negrillos*. Sollemnem professionem anno 1921 emisit; anno autem 1924 ordinationem sacerdotalem accepit. Idem docendo, sacris concionibus habendis confessionumque ministerio se tradidit. Ipse tempore martyrii nuper erat superior conventus Bellimontani.

9. Pater *Iacobus a Iesu* (in saec.: Iacobus Arriaga y Arrién). Natus est die 22 mensis Novembris anno 1903 in pago *Libano de Arrieta*. Sollemnibus votis se Deo consecravit anno 1924; sacerdotium autem ipse inivit anno 1927. Praeceptor noviciorumque magister fuit.

10. Frater *Ioannes a Virgine de Castellar* (in saec.: Ioannes Joya y Corralero). Natus est die 16 mensis Maii anno 1898 in loco *Villarubia de Santiago*. Anno 1923 sollemnem ipse professionem pro fratre laico emisit. Munera coqui et ianitoris exsecutus est idemque pueros religione imbuendos curavit.

Fama martyrii permanente, duarum Causarum beatificationis seu declarationis martyrii initium factum est. Nam de quinque prioribus Servis Dei Processus Ordinarius Informativus Giennensis annis 1959-1961 instructus est; de quattuor aliis autem Conchensis annis 1958-1959 conditus est. Sororis Franciscæ ab Incarnatione Inquisitio dioecesana anno 1988 instructa est. Quorum et singulorum Processuum validitas iuridica rata habita est per decreta quae 16 mensis Novembris anno 1991 et die 17 mensis Ianuarii anno 1992 lata sunt. Cum autem anno 1990 per decretum ab hac Congregatione latum hoc Causae in unam coactae essent, una tantum *Positio* confecta est, quam Consultores Theologi, in Congressu Ordinario die 2 mensis Aprilis anno 2004 habito, positivo cum exitu perpenderunt. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 7 mensis Februarii anni 2006 congregata, Exc.mo D.no Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, Causae Ponente, professi sunt obitum Patris Mariani a S. Iosepho eiusque Sociorum verum martyrium fuisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Mariani a S. Ioseph Altolaquirre y Alto-laquirre (in saec. : Iacobi) et IX Sociorum ex Ordine SS. Trinitatis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. S **ARAI VA MARTINS**

Praefectus

L. m S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 12 Octobris 2006. — Cathedrali Ecclesiae Tullanensi R.D. Ioannem Petrum Juárez Meléndez, e clero dioecesis Tlaxcalensis, hactenus ibidem Vicarium Generalem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Thevestinae, R.D. Ioannem A. Dooher, e clero archidioecesis Bostoniensis, ibique curionem paroeciae Sanctae Mariae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Tigiensi, R.D. Robertum F. Hennessey, e clero archidioecesis Bostoniensis, ibique curionem paroeciae Sanctissimi Redemptoris, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Davenportensi, Exc.mum P.D. Martinum Ioannem Amos, hactenus Episcopum titularem Metensem et Auxiliarem dioecesis Clevelandensis.

die 14 Octobris. — Ordinariatui Militari Italiae Reipublicae, Exc.mum P.D. Vincentium Pelvi, hactenus Episcopum titularem Thinsensem in Numidia et Auxiliarem Neapolitanae archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Eystettensi R.D. Gregorium Mariam Hanke, O.S.B., hactenus Abbatem Monasterii vulgo Plankstetten.

die 16 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Albasitensi, Exc.mum P.D. Cyriacum Benavente Mateos, hactenus Episcopum Cauriensem-Castrorum Caeciliorum.

die 17 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Tagbilaranae R.D. Leonardum Y. Medroso, hactenus Episcopum Boronganensem.

— Cathedrali Ecclesiae Birminghamiensi, Exc.mum P.D. Vilelmum Kenney, Episcopum titularem Midicensem, hactenus Auxiliarem dioecesis Holmiensis, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Birminghamiensis.

die 19 Octobris. — Coadiutorem archidioecesis Rhedonensis, Exc.mum P.D. Petrum d'Ornellas, hactenus Episcopum titularem Naraggaritanum et Auxiliarem archidioecesis Parisiensis.

die 21 Octobris. — Titulari Ecclesiae Decorianensi R.D. Ioannem Niemiec, Seminarii maioris dioecesis Camenecensis Latinorum Rectorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Metropolitanae Ecclesiae Bialostocensi Exc.mum P.D. Eduardum Ozorowski, hactenus Episcopum titularem Bitectensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 23 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Iquiquensi, R.D. Marcum Antonium Ordenes Fernández, hactenus eiusdem dioecesis Administratorem dioecesanum.

die 28 Octobris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Cozylensi, R.D. Daniele Ernestum Flores, e clero dioecesis Corporis Christi, hactenus Rectorem ecclesiae Cathedralis eiusdem dioecesis et Vices Rectoris Seminarii Maioris « Saint Mary » gerenti in oppido vulgo dicto Houston, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P.D. Adami Iosephi Maida, Archiepiscopi Detroitensis.

die 31 Octobris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Naraggaritanae, R.D. Faustum Gaibor García, dioecesis Guarandensis cancellarium et parochum, quem constituit Auxiliarem dioecesis Rivibambensis.

die 1 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Bacabalensi R.D. Armandum Martín Gutiérrez, Congregationis Filiorum Amoris Misericordis sodalem, hactenus huius Congregationis Magister in archidioecesi Firmana.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

SUMBENSIS

De nominis dioecesis Neo-Redondensis mutatione

DECRETUM

Exc.mus ac Rev.mus Dominus Benedictus Roberto, C.S.Sp., Episcopus Neo-Redondensis in Angola, postulavit ab Apostolica Sede ut denominatio de Curia eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae in «Sumbensis» mutaretur, vernacula dictione «Sumbe» vertenda.

Haec Congregatio, praehabito favorabili voto Episcoporum Conferentiae Angolanae, correctis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, idem Dicasterium Missionale, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Benedicto, Divina Providentia Pp. **XVI** tributarum, praesenti Decreto, statuit ut deinceps dioecesis Neo-Redondensis, novo nomine «Sumbensis» designetur.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione, die **XXII** mensis Octobris, anno Domini **MMVI**

IOANNES card. **DIAS**
Praefectus

Maximus Cenci, P.I.M.E.
Subsecretarius

L. a s.

In Congr. pro Gentium Evangelizatione tab., n. 4282/06

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 26 ottobre, S.E. il Signor **FRANK DE CONINCK**, Ambasciatore del Belgio presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 12 ottobre, S.E. il Signor **JAROSLAW KACZYNSKI**, Presidente del Consiglio dei Ministri della Repubblica di Polonia;

Venerdì, 13 ottobre, S.E. il Signor **ROMANO PRODI**, Presidente del Consiglio dei Ministri della Repubblica Italiana;

Venerdì, 27 ottobre, S.E. il Signor **JOSÉ RAMOS-HORTA**, Primo Ministro di Timor Orientale.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

10 ottobre 2006 L'Ecc.mo Mons. Leopoldo Girelli, Arcivescovo tit. di Capri, Nunzio Apostolico in Indonesia, *Nunzio Apostolico in Timor Orientale*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

10 ottobre 2006 LTil.mo Prof. Pierfrancesco Grossi, *Promotore di Giustizia Aggiunto presso il Tribunale dello Stato della Città del Vaticano « in alium annum ».*

» » » Il Dott. Arch. Giuseppe Facchini, finora Capo Ufficio nella Direzione dei Servizi Tecnici del Governatorato del-

lo Stato della Città del Vaticano, *Vice Direttore nella medesima Direzione dei Servizi Tecnici «ad quinquennium»*.

- 14 » » S.E. il Sig. Card. Tarcisio Bertone, S.D.B., Segretario di Stato, *Membro della Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto per le Opere di Religione (LO.R.) «ad quinquennium»*.
- 18 » » L'Em.mo Signor Cardinale Ivan Dias, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, *Membro del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani «ad quinquennium»*.
- 30 » » Gli Em.mi Signori Cardinali, Ricardo J. Vidal, Arcivescovo di Cebu; Michele Giordano, Arcivescovo em. di Napoli; Jaime Lucas Ortega Y Alamino, Arcivescovo di San Cristóbal de La Habana; José Saraiva Martins, Prefetto della Congregazione delle Cause dei Santi, *Membri del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari «fino all'Assemblea Plenaria del Dicastero»*.
- » » » Gli Ecc.mi Monsignor: Wladysław Ziólek, Arcivescovo di Łódź; José Dimas Cedeño Delgado, Arcivescovo di Panama; Jorge Enrique Jiménez Carvajal, Arcivescovo di Cartagena; Serafini De Sousa Ferreira e Silva, Vescovo emerito di Leiria-Fátima; Thumma Baia, Vescovo di Warangal; Peter Joseph Connors, Vescovo di Ballarat; Joseph Leo Charron, Vescovo di Des Moines; Jacques Perder, Vescovo di Tarbes e Lourdes; Jacinto Guerrero Torres, Vescovo di Tlaxcala; Elio Sgreccia, Vescovo tit. di Zama minore, Presidente della Pontificia Accademia per la Vita; James Mathew Wingle, Vescovo di Saint Catharines; i Reverendi: P. Angelo Brusco, M.I.; Suor Juana Elizondo Leiza, F.d.C; P. Pascual Ries Ferrando, O.H.; P. Anthony Frank Monks, Superiore Generale dei Chierici Regolari Mnistri degli Infermi; Suor Maria del Camino Agós Munárriz, Superiora Generale delle Suore Ospedaliere del S. Cuore di Gesù; Suor Serafina Dalla Porta, Vicaria Generale delle Figlie di San Camillo; gli Ill.mi: Prof. Alain F. G. Lejeune, Presidente della Federazione Internazionale dei Farmacisti Cattolici; Prof. Juan de Dios Vial Correa; Barone Albrecht Von Boeselager, Grand'Ospedaliere del Sovrano Militare Ordine di Malta; Dott. Marcello Sacchetti, *Membri del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari «fino all'Assemblea Plenaria del Dicastero»*.

- 31 » » L'Em.mo Signor Card. Claudio Hümmes, O.F.M., finora Arcivescovo di São Paulo, *Prefetto della Congregazione per il Clero « ad quinquennium ».*
- » » » L'Ecc.mo Mons. Angelo Comastri, Arcivescovo Prelato em. di Loreto, finora Coadiutore della Basilica di San Pietro, Vicario Generale per lo Stato della Città del Vaticano e Presidente della Fabbrica di San Pietro, *Arciprete della Basilica di San Pietro « ad quinquennium ».*
- 1 novembre » L'Em.mo Signor Cardinale Francesco Marchisano, Presidente dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica, *Membro del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'unità dei Cristiani « ad quinquennium ».*

Il 25 ottobre 2006, il Rev.do P. Bruno Caglioti, O.P. è stato confermato, per un anno, nell'Ufficio di Giudice Istruttore del Tribunale di Prima Istanza per le cause di nullità di matrimonio della Regione Lazio.

Il 3 novembre 2006, il Rev.do P. Mons. Domenico Lugli è stato nominato « in alii quinquennium » Vicario Giudiziale Aggiunto del Tribunale di Prima Istanza per le cause di nullità di matrimonio della Regione Lazio.

NECROLOGIO

- 8 ottobre 2006 Mons. Pavel Hnilica S.I., Vescovo tit. Rusado (*Italia*).
- 11 » » Mons. German García Isaza, Vescovo di Apartado (*Colombia*).
- 12 » » Mons. Auguste Nobou, Arcivescovo em. di Korhogo (*Costa d'Avorio*).
- 13 » » Card. Dino Monduzzi, Diacono di S. Sebastiano al Palatino.
- 17 » » Mons. Teodoro Cardenal Fernández, Arcivescovo em. di Burgos (*Spagna*).
- 18 » » Card. Mario Francesco Pompedda, Diacono dell' Annunziata della B.V.M., a Via Ardeatina.
- 23 » » Mons. Henri que Rüth, C.S.Sp, Vescovo em. di Cruzeiro, do Sul (*Brasile*).
- 27 » » Mons. Cecil de Sa, Arcivescovo em. di Agra (*India*).
- 31 » » Mons. José Elias Chaves Júnior, CM., Vescovo Prelato em. della Prelatura di Cameté (*Brasile*).

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SYDNEYENSIS

Eparchia Chaldaea Oceaniae Sancti Thomae Apostoli in urbe Sydneyensi conditur pro Christifidelibus ritus Chaldaei in Oceania commorantibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter gravissimas multiplesque summi Apostolici ministerii Nostri curas haud parvi momenti et ponderis habendas esse putamus eas, quae ad Ecclesias Orientales pertinent; cum sint Nobis ipsae sane carissimae tum antiquitate tum copia praeclararum traditionum et exemplorum sanctitatis. Respicientibus nunc Nobis ad spirituale bonum atque regimen Christifidelium Ecclesiae ritus Chaldaei in Oceania commorantium, opportunum est visum pro iisdem Eparchiam condere. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, suprema Apostolica auctoritate constituimus Eparchiam Chaldaeam Oceaniae *Sancti Thomae Apostoli in urbe Sydneyensi* pro Christifidelibus catholicis ritus Chaldaei in Oceania commorantibus propriis cum iuribus atque obligationibus, cuius sedem ponimus in urbe Sydneyensi. Eius autem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fiet. Quae

vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mitantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die uno et vicesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri secundo.

TARSICIUS card. **BERTONE**

Secretarius Status

IGNATIUS card. **MOUSSA DAUD**

Congr. pro Ecclesiis Orient.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 47.102

II

BUIUMBURAËNSIS

In Burundia constituitur nova Provincia Ecclesiastica Buiumburaënsis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aptius consulendum Evangelizationis operi in Burundia opportunum visum esset eadem in Natione — ubi nunc una exstat Provincia Ecclesiastica Kitegaënsis — novam Provinciam Ecclesiasticam condere, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitisque faventibus votis eorum quorum interest, censuit nuper ut ad eiusmodi institutionem procederetur. Nos vero solliciti de totius Dominici gregis bono, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A metropolitana Sede Kitegaënsi seiungimus dioeceses Buumburaënsis, Bubantinam et Bururiensem; ex iisque constituimus novam Pro-

vinciam Ecclesiasticam *Buiumburaensem* atque dioecesim eiusdem nominis ad Archidioecesis Metropolitanae gradum evehimus cuique assignamus uti suffraganeas ceteras dioeceses Bubantinam et Bururiensem. Insuper Venerabilem Fratrem Evaristum Ngoyagoye, hactenus Episcopum Buiumburaensem, renuntiamus Archiepiscopum Metropolitam Buiumburaensem. Quae praescriptissimus committimus perficienda Venerabili Fratri Paulo Richardo Gallagher, Archiepiscopo titulo Hodelmensi et in Burundia Apostolico Nuntio, onere imposito sincerum exemplar actus effectae executionis mittendi memoratae Congregationi. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quinto mensis Novembris, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri secundo.

TARSICIUS card. **BERTONE**

Secretarius Status

IVAN card. **DIAS**

Congr. pro Gentium Evang. Praef

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 47.396

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Aloisio Monza caelitem Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Deus caritas est» (*1 Io* 4, 16). Apostoli dilecti (cfr *Io* 13, 23; 19, 26) haec verba Aloisii Monza sacerdotis definire summam possunt effigiem.

In oppido *Cislago Mediolanensis* archidioecesis anno **MDCCCXCVIII**, **XXII** die mensis Iunii, ortus est. Inde a pueritia vitae fatigatione est detentus, sed dolorem pedetemptim de eo detraxit amor. Comprobata fuit eius ad presbyteratum vocatio. Scripsit ille: «vocatio est Dei privilegium amoris quod non

omnibus concedit Ille». Vocationis iter laboriosum fuit, quod sacerdotalis ordinatio, quae die xix mensis Septembris anno **MCMXXV** contigit, perfecit.

Vix apud paroeciale templum Sancti Mauricii oppidi *Vedano Olona* pastorale ministerium inceperat, cum repente est temptatus. Etenim iniuria insimulatus est nonnullos paroeciae iuvenes ad quandam petitionem faciendam se concitasse, ideoque in vincula est coniectus. Hac occasione laetitiam est expertus, quae ex probatione oritur, quae, tamquam ignis, efficit ut fidei aurum purificetur (cfr *2 P e* 1, 68).

Beatae Virginis Mariae Miraculorum ad sanctuarium, in oppido *Saronno* situm, translatus, animadvertit se quadam teneri missione amorem scilicet deferendi: «Nostrae aetatis mundo, qui eversus moraliter reperitur, nostram per vitam dicere possumus: "videte quam pulchrum sit in amore vivere" ». Nonnullas personas collegit: «Qui Deum amat animose pro animarum salute operatur, quae Iesu Christi sanguine penduntur». Ex iis germen constituit alicuius instituti, cui propositum primum commisit pristinorum scilicet christianorum amorem in mundo portandi, atque postea nomen imposuit: eas videlicet parvas apostólas caritatis vocavit. Sic novam communitatem defini- vit: «Parvae Apostolae Caritatis animae sunt operosae, quae, cum hodiernum mundum a Deo seiungi et ad paganum cultum inclinari videant, student in hodiernam societatem sese inserere, animo illo imbutae Apostolorum atque caritate practica pristinorum christianorum, ut Evangelii veluti saporem afferant ac laetitiam in Christo fraterne vivendi ».

Parvarum Apostolarum propositum est definitum cum ei demandavit Providentia amoris donum inhabiles parvulos iterum educandi. Instituto tunc «Nostram Familiam» inditum est nomen.

Cum ab Archiepiscopo Mediolanensi, beato Alfredo Hildefonso Schuster, die xxx mensis Novembris anno **MCMXXXVI** nominatus esset parochus S. Ioannis in pago v.d. *Castagna di Lecco*, curator evasit insignis. Effigies fuit Boni Pastoris, qui deperditam ovem quaerit (cfr *Mt* 18, 12). Magister fuit et testis. Caritatem docuit, quam homines conveniens est testatus. Omnium rerum Eucharistia fuit fons. Per Missae celebrationem et eucharisticam adorationem in Iesum Christum ipse mergebatur. Iterare solebat: «Christum percipere debemus viventem eiusdemque possumus animadvertere amicitiam: "vos autem dixi amicos" (*Io* 15, 14), amicos veraces, deditos ac fortes: "Quis ergo nos separabit a caritate Christi?" » (*Rm* 8, 35).

Ex Christi mysteriis illud maxime tenuit quod ad granum frumenti attinet, quod mortuum multum affert fructum (cfr *Io* 12, 20-26). Fidei, spei

caritatisque exercuit virtutes. Precationem veluti spiritum egit, ad Divinam Providentiam sese addixit. Eius caritas tamquam exsultans fuit laetitia, quae eum usque ad occursum cum Domino comitavit, qui die xxix mensis Septembris anno **MCMIV** venit.

Servi Dei propter continuatam sanctitatis famam beatificationis et canonizationis Causa per Processum Mediolanensem (annis ~~MCMCLXXXVII-MCMXCI~~) incohata est. Omnibus iure statutis peractis rebus, coram Venerato Decessore Nostro Ioanne Paulo II Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die xx mensis Decembris anno **MMIII** prodiit. Proinde die xix mensis Decembris anno **MMV** miraculum intercessioni Venerabilis Dei Servi adscriptum comprobavimus. Statuimus porro ut beatificationis ritus Mediolani die xxx mensis Aprilis anno **MMI** celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Sarai va Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Aloisium Monza adscribimus.

Nos, vota Fratris Nostri Dionysii S.R.E. Cardinalis Tettamanzi, Archiepiscopi Mediolanensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Aloisius Biraghi, presbyter, conditor Instituti Sororum a Sancta Marcellina, qui operam dedit institutioni candidatorum ad sacerdotium, et Aloisius Monza, presbyter, qui operibus pastoralibus gerendis vitam suam devovit, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Aloisii Biraghi die duodetricesima Maii et Aloisii Monza die duodetricesima Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Aprilis, anno **MMVI**, Pontificatus Nostri secundo.

De mandato Summi Pontificis

Æ8 ANGELUS card. **SODANO**

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret. Status tab., n. 46.554

II

Venerabili Servae Dei Ritae Amatae a Iesu (in saec.: Ritae Lopes de Almeida) Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Per omne tempus Ecclesiae officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi. [...] Oportet itaque ut mundus in quo vivimus necnon eius exspectationes, appetitiones et indoles saepe dramática cognoscantur et intelligantur» (CONC. OECUM. VAT. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 4).

14. Frater *Cyprianus Alguacill Torredenaída*. Anno 1884 natus, pro communitatibus, quarum ipse pars fuit, leviora munia obivit. Vitam suam pro Christo posuit die 15 mensis Octobris.

15. Frater *Eduardus González Santo Domingo*. Natus est anno 1884. Fratrum laicorum muneribus functus est. Enecatus est die 5 mensis Augusti.

16. Pater *Emmanuel Moreno Martínez*, presbyter. Anno 1862 natus, apud Sinenses evangelium propagavit et quibusdam Hispanicis communitatibus praefuit. Corona martyrii donatus est die 5 mensis Augusti.

17. Frater *Hyginus Roldan Iriberry*. Natus est anno 1895. Ea bona, quae Ordo in agro *Nambroca* apud Toletum possidebat, administravit. Martyr occubuit die 25 mensis Iulii.

18. Pater *Innocentius Garcia Diez*, presbyter. Anno 1875 natus, evangelii praeco in Philippinis, praefectus conventui in Hispania fuit. Ipse supremum fidei et caritatis testimonium perhibuit die 13 mensis Augusti.

19. Frater *Ioannes Crespo Calleja*. Natus est anno 1895. Communitatibus, quarum ipse pars fuit, famulatus est; temporalibus etiam bonis Ordinis administrandis incubuit. Sanguinem pro Christo effudit die 25 mensis Iulii.

20. Frater *Ioannes Herrero Arroyo*. Anno 1859 natus, muneribus fratrum laicorum functus est. Interemptus est die 28 mensis Novembris.

21. Pater *Iosephus Palacio Muñiz*, presbyter. Anno 1870 natus, divini verbi sator in Peruvia fuit, mox in Hispania sacro ministerio se tradidit. Stolum suam in sanguine Agni lavit die 25 mensis Iulii.

22. Pater *Iosephus Santonja Pinsach*, presbyter. Anno 1879 natus, praceptor erat. Neci occubuit die 15 mensis Augusti.

23. Pater *Leontius Arce Urrutia*, presbyter. Natus est anno 1899. Ipse docendo, muneri pastoris bonisque temporalibus administrandis se tradidit. Occisus est die 10 mensis Septembris.

24. Pater *Maximinus Fernández Marinas*, presbyter. Natus est anno 1867. Ministerium in Philippinis, Italia, Hispania exercuit. Die 15 mensis Augusti ex vulneribus, quae paucis ante diebus acceperat, obiit.

25. Frater *Theophilus Montes Calvo*. Anno 1912 natus, studia sacerdotalia, quippe qui valetudine uteretur infirma, intermisit; attamen pro fratre laico vota nuncupavit. Immolatus est die 13 mensis Septembris.

26. Pater *Victor García Ceballos*, presbyter. Anno 1880 natus, docendo incubuit. Tenui valetudine fuit. Caesus est die 5 mensis Augusti.

27. Pater *Iesus Villaverde Andrés*, presbyter. Anno 1877 natus, apud Manilenses professor, mox in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis evangelii praeco et cuiusdam ephebei praefectus fuit. Enecatus est die 16 mensis Octobris.

28. Pater *Isabellinus Carmona Fernández*, presbyter. Natus est anno 1908. Muneri pastoris necnon adulescentibus Actionis Catholicae se tradidit. Martyrium subiit die 7 mensis Novembris.

29. Frater *Hyacinthus García Riesco*. Anno 1894 natus, in Peruvia divini verbi sator, mox in conventu *Atocha* aeditumus fuit. Propter fidelitatem erga Iesum Christum passus est die 20 mensis Iulii.

30. Pater *Ludovicus Furones Arenas*, presbyter. Natus est anno 1892. In Media America evangelium nuntiavit. Ipse tempore quo mortem in testimonium fidei amplexus est, scilicet die 20 mensis Iulii, prior communitatis religiosae apud *Atocha* existentis erat.

31. Pater *Emmanuel Alvarez Alvarez*, presbyter. Anno 1871 natus, ministerium in Venetiola, mox in Hispania exercuit. Fidem usque ad sanguinem confessus est die 13 mensis Septembris.

32. Pater *Iosephus López Carrillo*, presbyter. Anno 1892 natus, evangelium Sinensibus nuntiavit. Coronatus est corona martyrii die 27 mensis Augusti.

33. Frater *Nicasius Romo Rubio*. Natus est anno 1891. In ministerio communitatum Ordinis Praedicatorum in multis urbibus Hispanicis fuit. Pro testamento Deo suum corpus tradidit die 30 mensis Augusti.

34. Pater *Petrus Ibáñez Alonso*, presbyter. Anno 1892 natus, apud Sinenses et Philippinos divini verbi sator fuit. Suprema fidei congressione pugnavit die 27 mensis Augusti.

35. Frater *Emmanuel Santiago Santiago*, clericus professus, qui natus est anno 1916. Interemptus est die 3 mensis Decembris.

36. Frater *Iosephus Delgado Pérez*, novicius, qui natus est anno 1917. Hic quoque occisus est die 7 mensis Novembris.

37. Frater *Franciscus Fernández Escosura*, clericus professus, qui natus est anno 1917. Internecatus est die 3 mensis Decembris.

38. Frater *Iosephus Prieto Fuentes*, clericus professus, qui natus est anno 1913. Trucidatus est die 28 mensis Novembris.

b) Ex Societate Mariae:

1. Pater *Michael Léibar Caray*, presbyter. Anno 1885 natus, ephebea Societatis Mariae rexit. Ipse tempore quo martyr occubuit, die videlicet 28 mensis Iulii, in confratres Matritenses superioris munera exsequebatur.

2. Frater *Ioachim Ochoa Solazar*. Natus est anno 1910. Ipse tempore quo vitam suam pro Christo immolavit, scilicet die 13 mensis Septembris, praeceptor erat.

3. Frater *Sabinus Ayastuy Errasti*, clericus professus, qui, anno 1911 natus, dum se ad sacerdotium parabat, ad palmam victoriae pervenit die 13 mensis Septembris.

4. Frater *Florentius Arnáiz Cejudo*, qui natus est anno 1909. Ipse tempore quo martyrium subiit, die videlicet 13 mensis Septembris, praeceptor erat.

Fama, qua hi Servi Dei statim pro martyribus fidei sunt habiti, labentibus annis increbrescente eaque demum solidata, Antistes Matritensis-Complutensis Causae beatificationis seu declarationis martyrii initium fecit per Processum Ordinarium Informativum qui annis 1961-1966, quibusdam Processibus Rogatorialibus comitantibus, celebratus est. Quorum et singulorum Processuum validitas iuridica rata habita est ab hac Congregatione per decretum die 13 mensis Novembris anno 1992 latum. Dein, *Positione* confecta, disceptatum

est, secundum normas, utrum praefatorum Servorum Dei obitus verum martyrium fuisset. Die itaque 25 mensis Maii anno 2004 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 17 mensis Ianuarii anno 2006 congregata, Exc.mo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo tit. Cilibiensi, Causae Ponente, agnoverunt Servos Dei Bonaventuram García Paredes, Michaellem Léibar Garay eorumque XL Socios neci occubuisse ut de sua caritate et fidelitate in Iesum Christum testimonium perhiberent.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Bonaventurae García Paredes, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michaelis Léibar Garay, Sacerdotis professi Societatis Mariae, et XL Sociorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. S8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

OVETENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Caestini Iosephi Alonso Villar et IX Sociorum ex Ordine Fratrum Praedicatorum (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum et crucifigi et tertia die resurgere » (*Lc 24,7*).

Quandoquidem « non est discipulus super magistrum nec servus super dominum suum » (*Mt 10, 24*), christifideles haud pauci gratia sanguinis effundendi, ut suam in Deum et Ecclesiam fidelitatem testarentur, caelitus sunt ditati. Qui fidei testes heroici, dum neci occumbunt, pro certo habebant semetipsos divum Magistrum aeternae dono beatitudinis affecturum.

Quod quidem censebant vel Servi Dei Caelestinus Iosephus Alonso Villar eiusque IX Socii, a quibus supremum caritatis testimonium perhibitum est in vexatione illa quae, superiore vertente saeculo, adversus Ecclesiam Dei in Hispania saeviit. In suis ipsi conventibus, ut omnes erant in Ordine Fratrum Praedicatorum, vitam consecratam agebant plebique Dei pacifice serviebant. At id ipsum, quod hi religiosi Ordinis partes erant, fidei christianae et Ecclesiae adversarii scelus capite dignum rati sunt.

Servi Dei in tribus distinctis communitatibus, in Asturica situs ditione, debebant. Quam ob rem alii aliis locis et diebus interfecti sunt.

a) E Domo-Schola SS.mi Sacramenti, apud locum *Navelgas* exsistenti, erant:

1. Pater *Caelestinus Iosephus Alonso Villar*, illius Domi praefectus. Natus est die 15 mensis Iunii anno 1862. Anno 1882 vota temporaria nuncupavit; anno autem 1886 ordinem presbyteratus accepit. Regulam ad amussim servavit ipseque magna existimatione floruit apud confratres et superiores, qui pluries ei munus prioris detulerunt. Noviciorum quoque magister fuit, qui sanctus audiebat.

2. Pater *Iacobus Franco Mayo*, in schola eiusdem Domi praeceptor. Natus est die 28 mensis Martii anno 1905. Anno 1921 vota temporaria nuncupavit; anno autem 1930 sacerdotale munus inivit.

3. Pater *Gregorius Diez Pérez*, in schola eiusdem Domi praeceptor. Natus est die 9 mensis Maii anno 1910. Anno 1927 vota temporaria nuncupavit; anno autem 1934 sacro presbyteratus ordine insignitus est.

4. Frater *Abilius Sáiz López*, fabrilium minister. Natus est die 2 mensis Februarii anno 1894. Professionem temporariam pro fratre cooperatore emisit anno 1931.

Quattuor hi Servi Dei una cum aliis captivis interfecti sunt die 17 mensis Augusti anno 1936. Qui, antequam glandibus metallicis perfoderentur, Patre Caelestino Iosepho adhortante, « Christo Regi feliciter » conclamarant.

b) E conventu autem S. Ioannis Baptistae, apud locum *Corias* exsistenti, erant:

1. Pater *Michael Menéndez García*, qui in Schola Apostolica, eidem conventui adiuncta, docebat. Natus est die 29 mensis Iunii anno 1885. Post vota temporaria anno 1902 nuncupata, anno 1909 sacra presbyteri munia suscepit.

2. Pater *Iosephus Maria Palacio Montes*, praeceptor et auctor, qui, cum esset sodalis conventus S. Stephani Salmanticensis, tunc temporis in conventu apud *Corias* exsistenti intervalli gratia versabatur. Natus est die 9 mensis Novembris anno 1901. Vota temporaria anno 1917 emisit, anno 1925 sacro presbyteratus ordine auctus est.

3. Pater *Isidrus Ordóñez Diez*, Scholae Apostolicae praeceptor. Natus est die 15 mensis Maii anno 1909. Temporarily nuncupavit vota anno 1926; anno autem 1932 ordinationem sacerdotalem accepit.

4. Frater *Christophorus Iturriaga-Echevarria Dazoia*, fabrilium aliquot pro conventu praefectus. Natus est die 11 mensis Iulii anno 1915; anno autem 1934 professionem temporariam pro fratre cooperatore emisit.

5. Frater *Petrus Vega Ponce*, et ipse aliquot fabrilibus pro conventu praestandis praefectus. Natus est die 25 mensis Iulii anno 1902. Cum religiosum habitum anno 1935 sumpsisset, ad temporaria vota nuncupanda spatium non habuit.

Quinque hi Servi Dei deinceps a militibus comprehensi sunt mense Augusto anni 1936. Paulo post mediam noctem diei 31 mensis Augusti manubalista necati sunt Pater Michael Menéndez García, Pater Iosephus Maria Palacio Montes, Pater Isidrus Ordóñez Diez. Duo autem laici fratres palmam martyrii adepti sunt subsequenti die 20 mensis Septembris.

c) E Domo-Schola Iesu Christi Salvatoris, apud locum, quem appellant *La Felguera*, existenti, erat Frater *Iosephus Maria Laguia Puerto*, idem tum ludo, cum ianitoris cellae atque sacrario praefectus. Natus est die 12 mensis Martii anno 1888; anno autem 1909 votis temporariis pro fratre cooperatore se Deo mancipavit. Die 30 mensis Iulii anno 1937 comprehensus est, carcerem carcere deinceps mutaturus, qui denique, animo relictus, vivus obrutus est in coemeterio.

Qui Servi Dei cum omnes extemplo pro martyribus fidei haberentur, Archiepiscopus Ovetensis Causae beatificationis seu declarationis martyrii initium fecit per Processum Ordinarium Informativum, qui confectus est annis 1958-1961. Cuius vis Processus confirmata est ab hoc Dicasterio per decretum die 16 mensis Aprilis anno 1993 latum. Dein, *Positione* instructa, disceptatum est, de more, utrum praefatorum Servorum Dei obitus verum martyrium fuerit. Die autem 26 mensis Octobris anno 2004 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 21 mensis Martii huius anni congregata, Exc.mo D.no Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinateni-Verulano-Ferentino, Causae Ponente, agnoverunt Patrem Caelestinum Iosephum Alonso Villar eiusque IX Socios vitam profudisse ut suam in Deum fidelitatem testarentur.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de mar-*

tyrio eiusque causa Servorum Dei Gaelestini Iosephi Alonso Villar et IX Sociorum, ex Ordine Fratrum Praedicatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 8 S.

8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TREVIRENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Hieronymi Jaegen Christifidelis Laici (1841-1919)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Nolite conformari huic saeculo, sed transformamini renovatione mentis, ut probetis quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum » [*Rom 12, 2*].

Servus Dei Hieronymus Jaegen, fide ductus, continuo in testificandum Evangelium insistit, operose religiosam, socialem politicamque illius temporis vitam participans. Huius saeculi menti conformari noluit, sed in Christum respexit, assidue ad maiorem eius gloriam operans atque spiritu christiano rerum temporalium ordinem animans et perficiens (cf. **CONC. OECUM. VAT. II**, Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 4).

Hic fidelis Ecclesiae filius Augustae Trevirorum die 23 mensis Augusti anno 1841 ortus est. Sua in natali urbe usque ad maturitatis diploma apud Institutum superius technicum mansit; deinde vero Berolini lauream in doctrina machinali est adeptus. Anno 1864 in exercitum, veluti voluntarius, ingressus est, ubi usque ad annum 1873 adstitit, magnum demonstrans muneris sensum. Difficili in tempore « Kulturkampf » audaciter propriam testificatus est fidem. Anno 1867 iuvenum condidit coetum, scilicet « Societatem religiosam scientialem-socialem » nuncupatam, atque veluti orator congressiones participavit Unionis Catholicorum Maguntiae. Suam ob catholicam militiam, de corpore officialium exemptus est atque definitive dimissus.

Munia deinde inchoavit doctoris machinarii et mercatoris, diligentia emnens in propriis officiis adimplendis. Suam ob honestatem et peritiam, ab anno 1880 ad annum 1898 Argentariam moderatus est Popularem Trevirensis, quae orta est ut parvos catholicos operum susceptores, a mundo magnae pecuniae segregatos, adiuvaret. Suam per operam argentaria numerum fecit crescere clientium atque thesaurum socialem. Aestimatus insuper est uti vir politicus et, Berolini tamquam in oratorum popularium coetu Prussiae legatus, operam dedit ut iura catholicorum tueretur et socialem promoveret iustitiam. Congregationis fuit particeps Marianaev iuvenilis, Sodalitii Mariani civium Trevirensium, Societatis Sancti Vincentii; tandem Tertium ingressus est Ordinem Franciscalem. Plurima scripsit volumina de re mystica, aestimata et varias in linguas translata. In hoc explendo multiformi opere, se duci voluit unice voluntate participandi, omnibus viribus, aedificationem Regni Dei in societate illius temporis. Vir exemplaris atque sanctae vitae, constanter et iucunde, omnes exercuit virtutes usque ad maximum attingendum gradum evangelicae perfectionis.

Ob amorem Domini et proximi sereno animo dolores sustinuit atque iniustitias, munia magni ponderis accepit, operas missionales liberaliter iuivit. Praecepta divina studiose servavit atque doctrinam Ecclesiae, cuius iura a praevaricationibus anticlericalibus defendit. Operosus se gessit in fide propaganda, partes habens apud diversas catholicas societates. Propriam diligenter curavit vitam spiritualem, apostolicam et professionalem coniungens industriam cum precibus et divinarum veritatum contemplatione. Eucharistiam coluit, Sanctissimam Trinitatem, Verbum Incarnatum et Virginem Mariam, quam saepe invocabat Rosarium recitans. Humanus et affabilis erga omnes, singularem caritatem pauperibus demonstravit.

Gravissima munia sibi concredita prudenter adimplevit atque sapiens existit consiliarius. In quibuslibet circumstantiis honesto, sincero et aequo animo se gessit. Suae condicionis officia accurate exercuit. Etiam si vitae commodae et copiosae indulgere potuerit, semper temperantem, probum, a terrestribus bonis seiunctum se praebuit. Suo spiritali moderatori confestim oboedivit nec non praeceptis Hierarchiae ecclesiasticae. Condicionem elegit vitae caelibatariae atque castitatem servavit. Numquam in publicum prodire voluit atque, priusquam decisiones caperet, humiliter personas prudentes adibat consilia petiturus.

Prostatae tumore affectus, pluries in valetudinarium est exceptus. Serene hanc infirmitatem sustinuit atque, quantum potuit, pro Dei gloria proximique bono operari perrexit. Die 26 mensis Ianuarii anno 1919 in domum Patris pervenit.

Diffusam ob sanctitatis famam, Episcopus Trevirensis Causam beatificationis et canonizationis inchoavit celebrans Processum Informativum (1939[^]

1940); Berolini instructus est etiam Processus rogatorialis; quorum Processuum iuridica validitas per decretum diei 9 mensis Martii anno 1984 ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est recognita. Parata *Positione*, disceptatum est, ut fieri solet, an Servus Dei virtutes heroico modo exercuerit. Deinde, die 20 mensis Maii anno 2005, positivo cum exitu, Congressus habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 2 mensis Maii anni 2006, relatione audita Ponentis Causam, Exc.mi D. Laurentii Chiarinelli, Episcopi Viterbiensis, edixerunt Servum Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroicum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Hieronymi Jaegen, Christifidelis laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MALACITANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae de Monte Carmelo a Puero Iesu González Ramos García Prieto (in saec.: Mariae Carmelae) Fundatricis Congregationis Tertiariarum Franciscalium a Sacris Cordibus (1834-1899)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Serva Maria de Monte Carmelo a Puero Iesu González Ramos García Prieto (in saec.: Maria Carmela) die 30 mensis Iunii anno 1834 nata est Anticaricae, dioecesis Malacitanae in Hispania. Eius vita matrimonialis amaras exstitit calix, quem illa fortitudine ac serenitate accepit.

Anno 1881 viduata, exercitationibus pietatis et operibus misericordiae erga indigentes se dedit. Congregationem Tertiariarum Franciscalium a Sacris Cordibus condidit, cuius gubernium uti suprema moderatrix tenuit usque ad annum 1897. Placide in Domino requievit die 9 mensis novembris anno 1899.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 7 mensis Aprilis anno 1984 declaravit Servam Dei virtutes théologales, cardinales eisque adnexas heroico in gradu excoluisse.

Eius beatificationi prospiciens, Postulatio Causae iudicio porrexit huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam miram sanationem sororis Mariae Ioseph Rodríguez yanes, sodalis eiusdem Instituti a Dei Serva conditi. Huiusmodi soror die 3 mensis Aprilis anno 1991 Anticaricae in valetudinarium est excepta, febrim patiens, dolores hypochondrii dexteri, anorexiam et icterum. Ex clinicis explorationibus detectae sunt sive praesentia tumefactionis hepaticae in lacinia sinistra sive cystica formatio in ovario sinistro. Translata in centrum oncologicum urbis Hispalis, soror die 21 mensis Maii eiusdem anni sinistram subiit ovariectomiam. Examen histologicum revelavit in casu agi de cystoadenofibromate seroso. Fieri tamen non potuit ut tumefactio hepática corripereetur, quippe quae cum stomacho unum iam constitueret et extenderetur in retroperitoneum; nihilominus de tumore maligno non agebatur, sed de processu inflammatorio chronico incerto. Soror dimissa est die 21 sequentis mensis Iunii. Tunc peractae non sunt therapiae antitumorales, nec antibioticae vel cortisonicae. Interea pridem soror infirma, eius consorores, alumni, amici Sororum pluresque aliae personae divinum auxilium per intercessionem praefatae Servae Dei invocare coeperant. Contra medicorum opinionem, examina clinica die 10 mensis Iulii eiusdem anni peracta detexerunt absentiam neoformationis hepaticae, ne repertae quidem sunt laesiones quoad condicionem gastricam et retroperitonealem. Cetera organa absque mutationibus sunt inventa.

De sanatione, quae mira est habita, apud Curiam Hispalensem anno 2003 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem agnovit haec Congregatio, decretum vulgans die 24 mensis Octobris eiusdem anni. Medicorum consilium, in sessione diei 10 mensis Martii anno 2005, edixit sanationem celerem fuisse quatenus ad extensionem neoformationis hepaticae, ad naturam laesionis adque alios casus in annalibus medicis regestos; et insuper perfectam, constantem, nec non, organis laesis in integrum restitutis, ex naturae legibus inexplicabilem. Die 16 sequentis mensis Septembris actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, et die 7 mensis Februarii huius anni 2006 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt in Sessione Ordinaria, Ponente Causae Exc.mo D.no Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi. Et in utroque

coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae de Monte Carmelo a Puero Iesu González Ramos García Prieto (in saec.: Mariae Carmelae), Fundatricis Congregationis Tertiariarum Franciscanarum a Sacris Cordibus, videlicet de celeri, perfecta et constanti sanatione Sororis Mariae Ioseph Rodríguez Yones a «pseudotumore inflammatorio aspecifico del fegato o tumore inflamatorio miofibroblastico, interesante lo estomago e i tessuti retroperitoneali con estensione di 15 cm. »*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 8B S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, a *Secretis*

VIGLEVANENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Francisci Pianzola Sacerdotis dioecesanii Fundatoris Congregationis Sororum Missionarum Immaculae Reginae Pacis (1881-1943)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ipsa autem sanctitas Presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert: [...] per illos ordinaria lege praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui, dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, cum Apostolo dicere valeant: "Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus" » (**CONC. OECUM. VAT. II**, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum Ordinis*, 12).

Proprium sane ministerium Franciscus Pianzola sacerdos confirmavit et corroboravit sanctae documento vitae, quam ipse Deo proximoque deserviens plane impendit. Hic enim omnibus viribus nixus est ut animas sibi concreditas ad salutem adduceret, qui, multiformi pastoris munere fungens, mirabilia a Deo in historia salutis patrata hominibus patefecit.

Sedulius hic testis Dei natus est die 5 mensis Octobris anno 1881 in pago, quem vocant *Sartirana Lomellina*, intra fines dioecesis Viglevanensis. Christianis praeceptis domi apte eruditas, puer solebat collusores congregare, quibus sacrae traderet elementa doctrinae. Cum vero ad sacerdotium divino quodam instinctu se vocatum agnosceret, Seminarium dioecesanum introivit, studiorumque curriculo ad exitum perducto, die 16 mensis Martii anno 1907 sacro presbyteratus ordine auctus est. Paucis post diebus Viglevanensis Sacrae Immaculatae operumque huic adnexorum Rectoris munus ei delatum est.

Mense autem Decembri anno 1908 una cum aliis sacerdotibus fundavit ipse Oblatos Mariae SS. mae Immaculatae, sodalitatem videlicet sacerdotum dioecesanorum, quorum praesertim esset conciones ad populum in sacris missionibus habere iuvenesque Christiana doctrina educare. Qui quidem una cum confratribus sibi sategit ut suburbani evangelica luce illustraretur; insuper iuvenum coetus, operariorum sodalicia, societates denique orationibus addictas instituenda curavit.

Idem porro quorundam iuvenum coetum suscepit, quorum factus est moderator in spiritualibus ac praeceptor: quibus quidem opitulantis, sacras ipse missiones apparavit in villis, simplex « oratorium » exstruere curans pro festivo cultu praesertim a vilicis eorumque familiis praestando, quibus haud commodum ad curiale templum iter esset.

Ex hoc autem primo iuvenum coetu nova orta est religiosa sodalitas, Congregatio scilicet Sororum Missionariorum Immaculatae Reginae Pacis, quam Famulus Dei fundavit ac rexit. Quod quidem Institutum, Mortariae, in dioecesi Viglevanensi, die 8 mensis Maii anno 1919 publice conditum, hoc sibi praecipue proponebat, ut in populo Christiana religione excolendo sacerdotes adiuvaret, iis potissimum attendens mulieribus efformandis, qui opus rusticum faciebant, iisque praesertim, quae certis annis temporibus oryzae serendae percipiendae causa ab agrorum possessoribus conducebantur.

Mox autem, multiplicibus difficultatibus exortis, quae ipsi haud paucos dolores attulerunt, Servus Dei Oblatorum sodalitatem reliquit; quae interea, iussu D. Angeli Hyacinthi Scapardini, Episcopi Viglevanensis, mutata conditione, iuridice constituta erat tamquam Sodalitium presbyterorum «in

communi viventium sine votis». Tum vero Servus Dei alacrius vacavit suis filiis in spiritualibus moderandis, Exercitationibus praedicandis cleroque formando; in hoc ipse praecipue attendit hebdomadas pro sacerdotibus, qui Actionis Catholicae sodalibus consulebant, studii causa indictas.

Insuper Famulus Dei plurima scripta de historia, de hagiographia, de pietate curavit edenda. Ipse quidem scriptis, sacris concionibus habendis, Christianis denique praeceptis tradendis, una cum egregiis moribus, quibus utebatur, ingentem agmen animarum ad Christum attraxit. Qui, utpote constanter in sanctitatem nitens, omnibus recti exempli evasit Christianis virtutibus delectabiliter exercendis, iis suffultus, quibus eius pietas plurimum pollebat, scilicet «Tribus Amoribus» seu Iesu-Eucharistia, Immaculata Deipara, Romano Pontifice.

Suam ipse vitam interiorem aluit ex sincerissimo fonte hauriens religionum antiquitus traditarum: nam idem divina officia assidue ferventerque celebrare, Sacras Scripturas legere, meditari, Eucharistiam persaepe diuque adorare, praeclaram denique SS. Cordi Iesu, Mariae Virgini, Sancto Ioseph Angelisque Custodibus pietatem adhibere. Sacrum ipsum ministerium perennis fons vitae et spiritualis formationis evaserat Famulo Dei iisque omnibus qui ad eum accederent. Afflictis, pauperibus spem addere ipse callebat, quos nempe hortabatur ut redemptionis per passionem Dominicam effectae semet ipsi participes haberent, aeternae beatitudinis ceu metam demonstrans, in quam ipse per integrum vitae curriculum inhiavit. Homines cuiuslibet condicionis sincera ac benigna caritate prosecutus, ob egregios mores, quibus utebatur, vel apud Ecclesiae adversarios existimatione ac reverentia floruit.

Praeterea ob prudentiam, qua ipse pollebat, multi eum pro confessario atque in spiritualibus moderatore sectabantur magnique faciebant. Omnibus enim temporibus ipse ex aequo et bono egit, ut puta cum, doctrina sociali Ecclesiae monente, in regione Laumellensi, quippe quae tum inaequata eaque vehementissima ordinum consortione vexaretur, operariorum iura vindicavit. Patiens in adversis, sobrius victuque austeras exstitit nec umquam ad hominum laudem de rebus a se gestis nixus est.

Paupertatem egregie exercuit, qui, mundanis rebus et honoribus contemptis, ad quaerendum Regnum purificata et confirmata libertate perrexit. Temporibus perfunctus, quibus saepe excruciabatur semet ipse suamque voluntatem dirimendo, ad altiore[m] sincerio[re]mque evangelicam oboedientiam pervenit. In casto caelibatu suum ipse valuit erga Christum et Ecclesiam sponsalem amorem, infinita parienda spirituali fecunditate, declarare.

Die autem 1 mensis Iulii anno 1932 ipse ab Episcopo iussus est, Domo Matrice Congregationis Sororum relicta, in pagum, quem vocant *Sant'Angelo*

Lomellina, demigrare, ubi a curione benigne exceptus est. Qui hoc quoque consilium, quo magis magisque Christo «percusso atque humiliato» se conformaret, aequo animo accepit.

Interea ipse, ut iamdudum tenui erat valetudine, gravius graviusque aegrotabat; attamen mense Octobri anno 1942 Pium XII ad ostendendum Institutum convenit. Hunc autem Famulum suum die 4 mensis Iunii subsequentis anni Dominus ad se vocavit.

Pervagatae famae sanctitatis intuitu, D. Marius Rossi, Episcopus Viglevanensis, Causam beatificationis et canonizationis inchoavit per Inquisitionem dioecesanam, annis 1983-1990 peractam; cuius validitas iuridica rata est habita a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 31 mensis Ianuarii anno 1992 latum. Dehinc, *Positione* confecta eaque huic Dicasterio tradita, disceptatum est de more an Famulus Dei virtutes in gradu heroico exercuerit. Die 30 mensis Novembris anno 2004 habitus est, favorabili quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres autem Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 8 mensis Februarii anno 2005 congregati, audita relatione Exc.mi D. Salvatoris Boccaccio, Episcopi Frusinatensis-Verulani-Ferentini, Causae Ponentis, nonnullas explanationes quaesiere; deinde vero, cum denuo in Sessionem Ordinariam, die scilicet 16 mensis Maii huius anni, convenissent, iidem agnoverunt Servum Dei Franciscum Pianzola virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Pianzola, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum Missionariorum Immaculatae Reginae Pacis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. S **ARAI VA MARTINS**

Praefectus

L. £8 S.

ES Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

IMOLENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Marci Morelli Sacerdotis dioecesanii Fundatoris Congregationis Ancillarum S. Cordis a Iesu Agonizante (1834-1912)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Dei voluntatem magno silentio adoremus. Nam, quod Dei voluntatem aliquis exsequitur, id profecto amare est, amor autem idem lumen et ignis: lumen quidem in viam virtutis illuminans ac dirigens; ignis vero in sacrificium refovens et confirmans, quia amor aequae ac mors fortis est».

Divinae voluntati perficiendae per integrum vitae suae curriculum assidue inhiavit Marcus Morelli sacerdos, imitator Iesu, qui dixit: «Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, et ut perficiam opus eius» (*Io* 4, 34).

Hic Servus Dei natus est die 3 mensis Martii anno 1834 in vico *Ascensione*, quod est suburbium Luci apud Ravennani, intra fines dioecesis Imolensis, e Sancte Morelli et Catharina Geminiani, simplici sinceraque religione colonis. Pueritiam in ipsa familia egit, ubi ad vitam christianam solide institutus est. Die 24 mensis Iunii anno 1841, septimum nempe annum agens, sacro chrismate obsignatus est a Ioanne Maria Mastai Ferretti, Episcopo Imolensi, qui postmodum, ad Summi Pontificatus munus elatus.

Inter annum 1843 et 1846 Marcus una cum suis in proximum pagum, quem vocant *Fusignano*, in dioecesi videlicet Faventina, demigra vit. Eo tempore ipse, sacerdotii capessendi consilio intra animum volutato, in litteras ac philosophiam studium privatim incubuit. Deinde ab anno 1856, utpote valetudine minus prospera utens, alumnus externus fuit Seminarii Faventini, ubi quidem ipse docilem, sollertem sensibilemque indolem ostendit. Pietatem et pulchra diligebat isque «ingenio ac virtute praestantissimus», cum a praeceptoribus, tum a sodalibus habebatur. Postquam die 3 mensis Aprilis anno 1858 sacro presbyteratus ordine est auctus, in dioecesim Imolensem, unde ipse oriundus erat, semel rediit ibique usque ad extremum diem deguit.

Primo sacerdotalis muneris diluculo Servus Dei ecclesiastica studia perfecit in Schola Emaldiana, quam Patres ex Ordine Praedicatorum Luci regebant, itaque factum est ut anno 1861 ipse, qua probata esset prudentia, in praeceptorem necnon «rerum curatorem» in domo comitum Emaldi deligeretur.

Litteris et historiis optime imbutus, Servus Dei plurima carmina, inscriptiones, fabulas denique, non modo pro sacris, sed etiam pro variis temporibus ac rebus, conscripsit.

Proprio Episcopo usque oboediens ac fidelis, impensam gregi docendo et pascendo navitatem exercuit, nempe pro Summo Pontifice et Ecclesia, ea praesertim incepta movens ac divulgans, quae Concilio Vaticano I, annis 1869-1870 celebrato, faverent. Cuius rei gratia ipse Piam Associationem Orationibus Beneque Factis Promovendis instituit; libellum quoque edidit, qui inscribitur *Catechismo popolare sul Concilio Ecumenico*, quique, late divulgatus, ipsa ephemeride, cui titulus *La Civiltà Cattolica*, probatus est; scriptis postremo de re catholica, praecipue nonnullis commentationibus edendis, favit.

Ceterum Servus Dei multiplici ministerio occupari: nam idem sacras conationes, culturales acroases habere, confessiones audire, nonnullis denique Sororum Institutis et compluribus laicorum sodaliciis pietatis magister existere.

Anno 1872 ei delatum est munus moderatoris in spiritualibus pro Sororibus Adoratricibus Perpetuis S. Cordis Luci.

Anno autem 1884 idem electus est professor theologiae apud Scholam Emaldianam Luci. Quamvis in dioecesi vel etiam Romae maximi haberetur, splendida ipse munia, quae ei oblata erant, magna cum humilitate abnuebat. Talis vir ipsi Pio IX Summo Pontifici cordi fuit, qui eum prosecutus est benevolentia.

Anno 1887 Servus Dei proprio Antistiti Aloisio Tesoreri aperte locutus est de consilio, quod ipse inde ab anno 1873 in animum volverat, cuiusdam Instituti Sororum condendi, «ad maiorem Dei gloriam, ob flagrans studium Cordi Iesu pro innumeris iniuriis acceptis satisfaciendi, ad zelandum quoque bonum salutemque animarum, in primis pro puellabus de plebe», scilicet pro puellabus pauperibus, orbatis vel derelictis.

Itaque die 17 mensis Octobris anno 1888 ortum est Institutum Ancillarum S. Cordis a Iesu Agonizante, Serva Dei Constantia Ricci Curbastro (1856-1923) confundat rice, quae, Religionem ingressa, nomen Margaritam assumpsit.

Servus Dei exinde suo Instituto in spiritualibus moderando potissimum se tradidit, quod quidem munus sollicitudines, itinera, impensas secum ferebat.

Anno 1903 priorem conditum altero incepto benefico cumulavit, cui nomen Parvum Opus Filiarum a Providentia, cuiusque esset puellas pauperes et orbatas accipere easque institutione et opere, scilicet cum vestes conficiendi tum acu pingendi arte, educare. Ipse vero ad colligendam pecuniam, quae puellis sustentandis opus erat, spectacula, benéficos mercatus, sortitiones promovit.

Eodem anno 1903 vicarius foraneus Luci factus est, idemque inter Antistites Urbanos Pii X adlectus.

Gratia et fortitudine cumulatus, caritate in omnes abundans, ipseque cum corporis laboribus tum animi perfunctus aerumnis, Servus Dei, dum praesen-

ti vita fruitur, pro certo firmissime habuit, si quis Dei voluntati omnino fidenterque se traderet, hunc nimirum ad sanctitatem perventurum. Hinc ipse vitam egit asceticam, severam sibi que constantem, quam Eucharistia et SS.mum Cor subicerent. Quin immo semet ipse in Eucharistiam offerebat, ita ut, ad terrestria relinquenda propensus, caelica magis magisque videretur appetere. Ipse enim, cum inhiaret perfectioni, de qua «in Calvariam seu Montem Sanctum ascensus» intellegi debet, Deique voluntati semet fidenter traderet, tandem propositum assequi valuit, quod est semetipsos Christi exemplo conformare Patrique reddere gloriam.

Hinc est quod ipse tamquam pater sollicitus fuit de sui temporis miseris, cum rerum tum animi, potissimum «pauperibus puellis de plebe», pro quibus novam familiam religiosam instituit.

Inter omnes Servus Dei eluxit oratione, unione Deo, fide, caritate, humilitate, paupertate, studio denique sese coercendi, christiana postremo deprecatione in angustiis. In dilectionem Christi, qui in omne homine famulatur, omnino plectus, vitam Eius causa integram impendit.

Quod singulas ipse virtutes in gradu heroico exercuerit, id quidem luculentius apparet ex eius vitae usu, sive publica negotia praestaverit, sive Ancillas intentas fecerit ad viam humiliationis diem ex die conficiendam, qua mysterium mortis ac resurrectionis Domini revocaretur Eiusque regnum amoris dilataretur in mundo.

Anno 1910 valetudo, qua Servus Dei ob multiplices infirmitates et assiduas semper incommoda utebatur, gravior facta est. Postquam alternis ipse vicibus in morbum recidit et convaluit, ad exitum pervenit; infirmorumque sacramentis una cum speciali benedictione Pii X Summi Pontificis petitis et acceptis, die 27 mensis Iunii anno 1912 piissime requievit.

Hinc iusta ei magnifice fiunt, ipseque omnium, cum ordinis, tum populi voce sanctus multifarie salutatur. «Sanctus obivit!»: haec omnium iudicio audiebantur, quippe cum omnes profiterentur quae Servus Dei sibi omnibusque illis, quibus ipse moderamen adhibuerat, dicitare solebat: «Beatus ille, qui semetipsum totum Deo tradere scit. Hic omnia ab Eo accipiet quibus indiget ut fiat sanctus».

Anno autem 1939 Servi Dei corpus, una cum spoliis Servae Dei Margaritae Ricci Curbastro, a coemeterio ad templum Instituti Ancillarum frequentia et multitudine ordinis populique translata sunt; quod quidem factum grati animi erga virum summae caritatis, quam ipse de Corde Iesu transfixo hauserat, testimonium publicum attulit.

Causam vero beatificationis et canonizationis Episcopus Imolensis inchoavit per Inquisitionem dioecesanam annis 1988-1994 peractam, cuius validitas iuridica rata est habita ab hoc Dicasterio per decretum die 3 mensis Martii anno 1995 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Servus Dei virtutes in gradu heroico exercuerit. Die 27 mensis Aprilis anno 2005 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 17 mensis Ianuarii anno 2006 congregata, Exc.mo D.no Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, Causae Ponente, agnoverunt Servum Dei Marcum Morelli virtutes théologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Marci Morelli, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Congregationis Ancillarum S. Cordis a Iesu Agonizante, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 88 S. ''

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MATRITENSIS et ALIARUM

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Henrici Saiz Aparicio et LXII Sociorum e Societate Sancti Francisci Salesii (f 1936-1937)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Voglio riproporre a tutti, perché non sia mai dimenticato, quel grande segno di speranza costituito dai tanti *testimoni della fede cristiana*, vissuti nell'ultimo secolo... Essi hanno saputo far proprio il Vangelo in situazioni di ostilità

e persecuzione, spesso fino alla prova suprema del sangue » (**IOANNES PAULUS PP. II**, Adh. Apost. Post-Syn. *Ecclesia in Europa*, n. 13: AAS 95 [2003], 658-659).

In testium fidei numerum, qui, vicesimo christiano vertente saeculo, praecipis Evangelicis usque ad ultimum sanguinis inhaesere discrimen, profecto adscribendi sunt Servi Dei Henricus Saiz Aparicio eiusque LXII Socii e Salesiana Societate a Sancto Ioanne Bosco condita. Hi enim, dum annis 1936-1939 Christiana religio in Hispania hostiliter lacessitur, suae quisque condicionis officia praestare non desierunt, vinculum unionis atque oboedientiae cum Sancta Ecclesia servantes, quippe qui mortem pati mallent quam catholicam fidem repudiare. Qui, quamvis alii aliis temporum adiunctis interfecti essent, cuncti tamen vitam propter Christum magnanimi prodegerunt; quorum alii in Matritensi, alii vero in Hispalensi Salesiana Praefectura martyrio affecti sunt.

a) *Servi Dei, qui in Matritensi Salesiana Praefectura martyres occubere, recensentur.*

1. Henricus Saiz Aparicio, professus, sacerdos. Natus est die **1** mensis Decembris anno **1889**. Postquam religiosus votis se Deo mancipavit anno **1909**, presbyteralem ordinationem accepit anno **1918**. Nonnullarum domorum praefectus fuit, postremo vero sedis scholarum superiorum theologiae apud locum *Carabanchel Alto* existentis, ubi persecutione ipse oppressus est. Egregiis virtutibus sacerdos ad martyrium una cum suis paravit, quibus usque ad finem opitulatus est: sibi enim cordi fuit sociorum fortuna, pro quibus, dummodo ex custodia dimitterentur, vitam suam militianis obtulerat. Manuballista necatus est die **2** mensis Octobris anno **1936**.

2. Felix González Tejedor, professus, sacerdos, occisus est nocturno tempore die **24** mensis Augusti anno **1936**.

3. Germanus Martín Martín, professus, sacerdos, stolam suam in sanguine Agni lavit die **30** mensis Augusti anno **1936**.

4. Iosephus Villanova Tormo, professus, sacerdos, plumbea glande perfosus est die **29** mensis Septembris anno **1936**.

5. Pius Conde Conde, professus, sacerdos, a seditiosis enecatus est die **15** mensis Martii anno **1937**.

6. Michael Lasaga Carozo, professus, sacerdos, vitam suam immolavit die **6** mensis Decembris anno **1936**.

7. Andreas Jiménez Galera, professus, sacerdos, caesus est die **27** mensis Iulii anno **1936**.

8. Aloisius Martínez Alvarellós, professus, sacerdotii candidatus, martyr occubuit die **6** mensis Decembris anno **1936**.

9. *Ioannes Larragueta Garay*, professor, sacerdotii candidatus, ignivoma manuballista prostratus est die 6 mensis Decembris anno 1936.

10. *Paschalis de Castro Herrera*, professor, sacerdotii candidatus, interneatus est die 6 mensis Decembris anno 1936.

11. *Vergilius Edreira Mosquera*, professor, sacerdotii candidatus, una cum Francisco fratre martyrium passus est die 29 mensis Septembris anno 1936.

12. *Franciscus Edreira Mosquera*, professor, sacerdotii candidatus, una cum Vergilio fratre occisus est die 29 mensis Septembris anno 1936.

13. *Petrus Artolozaga Mellique*, professor, sacerdotii candidatus, interfecus est die 1 mensis Octobris anno 1936.

14. *Emmanuel Borrajo Miguez*, professor, sacerdotii candidatus, captus ignivomaque manuballista transfossus est die 1 mensis Octobris anno 1936.

15. *Iustus Juanes Santos*, professor, sacerdotii candidatus, supremum fidei et caritatis testimonium perhibuit die 28 mensis Novembris anno 1936.

16. *Heliodoros Ramos García*, professor, coadiutor, plumbea glande traiectus occubuit die 6 mensis Decembris anno 1936.

17. *Stephanus Vázquez Alonso*, professor, coadiutor, caesus est die 6 mensis Decembris anno 1936.

18. *Paulus Gracia Sánchez*, professor, coadiutor, enecatus est sub medio mense Decembri anno 1936.

19. *Valentinus Gil Arribas*, professor, coadiutor, martyrium passus est die 27 mensis Novembris anno 1936.

20. *Anastasius Garzón González*, professor, coadiutor, in vincula coniectus est die 6 mensis Septembris anno 1936, indeque ad interneccionem per ignivomam manuballistam ductus.

21. *Franciscus Iosephus Martin López de Arroyave*, professor, coadiutor, metallica glande perfossus est die 9 mensis Novembris anno 1936.

22. *Raimundus Eirín Mayo*, professor, coadiutor, interfectus est die 15 mensis Decembris anno 1936.

23. *Ioannes de Mata Diez*, laicus, famulus, suprema fidei congressione pugnavit nocturno tempore, die vero 1 mensis Octobris anno 1936.

24. *Salvator Fernández Pérez*, professor, sacerdos, manuballista prostratus est die 18 mensis Septembris anno 1936.

25. *Sabinus Hernández Laso*, professor, sacerdos, occisus est die 28 mensis Iulii anno 1936.

26. *Andreas Gómez Sáez*, professor, sacerdos, a seditiosis captus est die 1 mensis Ianuarii anno 1937 indeque trucidatus.

27. *Carmelus Ioannes Pérez Rodríguez*, professor, subdiaconus, interemptus est die 1 mensis Octobris anno 1936.

28. *Stephanus Cobo Sanz*, professor, sacerdotii candidatus, pro Christo passus est die 22 mensis Septembris anno 1936.

29. *Emmanuel Martín Pérez*, professor, sacerdotii candidatus, neci occubuit inter diem 6 et 8 mensis Novembris anno 1936.

30. *Theodulus González Fernández*, professor, sacerdotii candidatus, interfectus est die 8 mensis Septembris anno 1936.

31. *Victorianus Fernández Reinoso*, professor, sacerdotii candidatus, pro testamento Dei suum corpus tradidit anno 1936.

32. *Florentius Rodríguez Gilemes*, professor, sacerdotii candidatus, trucidatus est die 6 mensis Decembris anno 1936.

33. *Dionysius Ullívarri Barajuán*, professor, coadiutor, immolatus est die 30 mensis Augusti anno 1936.

34. *Matthaeus Garolera Masferrer*, professor, coadiutor, fidem usque ad sanguinem confessus est die 1 mensis Octobris anno 1936.

35. *Iosephus Maria Celaya Badiola*, professor, coadiutor, in Matritensi carcere male mulcatus obivit die 9 mensis Augusti anno 1936.

36. *Nicolaus de la Torre Merino*, professor, coadiutor, plumbea glande traiectus occubuit primo mense Augusto anno 1936.

37. *Aemilius Arce Diez*, professor, coadiutor, necatus est die 23 mensis Iulii anno 1936.

38. *Antonius Cid Rodríguez*, professor, coadiutor, interemptus est die 25 mensis Septembris anno 1936.

39. *Ioannes Codera Marqués*, professor, coadiutor, apud aegrotum quendam, ad quem ipse salutandi gratia venerat, a seditiosis captus, ad necem per ignivomam manuballistam ductus est die 25 mensis Septembris anno 1936.

40. *Thomas Gii de la Cal*, postulans, martyr occubuit die 25 mensis Septembris anno 1936.

41. *Hyginus de Mata Diez*, postulans, occisus est die 1 mensis Octobris anno 1936.

42. *Fridericus Cobo Sanz*, candidatus salesianus, plumbea glande perfossus est die 22 mensis Septembris anno 1936.

b) *Servi Dei, qui in Hispalensi Salesiana Praefectura martyres occubuerunt, recensentur.*

43. *Antonius Torrero Duque*, professor, sacerdos, propter amorem Dei interfectus est die 24 mensis Iulii anno 1936.

44. *Antonius Fernández Camacho*, professor, sacerdos, ad palmam martyrii pervenit die 20 mensis Iulii anno 1936.

45. *Emmanuel Fernández Ferro*, professor, sacerdos, vitam suam prodegit die 24 mensis Augusti anno 1936.

46. *Ioannes Aloisius Hernández Medina*, professus, sacerdotii candidatus, ignivoma manuballista transfossus est die 28 mensis Iulii anno 1936.

47. *Antonius Rodríguez Blanco*, sacerdos, cooperator salesianus, martyrio affectus est die 16 mensis Augusti anno 1936.

48. *Bartholomaeus Blanco Márquez*, cooperator salesianus, enecatus est die 29 mensis Septembris anno 1936.

49. *Iosephus Limón y Limón*, professus, sacerdos, occisus est die 21 mensis Iulii anno 1936.

50. *Henricus Canut Isús*, professus, sacerdos, gloriosum sanguinem pro Domino fudit die 24 mensis Iulii anno 1936.

51. *Michael Molina de la Torre*, professus, sacerdos, plumbea glande traiectus est die 28 mensis Iulii anno 1936.

52. *Paulus Caballero López*, professus, sacerdos, interfectus est die 28 mensis Iulii anno 1936.

53. *Antonius Mohedano Larriva*, professus, sacerdos, sanguine constantissime profuso, aeterna praemia adeptus est die 2 mensis Augusti anno 1936.

54. *Franciscus Míguez Fernández*, professus, sacerdos, necatus est die 15 mensis Augusti anno 1936.

55. *Felix Paco Escartín*, professus, sacerdos, vitam suam immolavit die 31 mensis Augusti anno 1936.

56. *Emmanuel Gómez Contioso*, professus, sacerdos, martyrium passus est die 24 mensis Septembris anno 1936.

57. *Antonius Pancorbo López*, professus, sacerdos, trucidatus est die 24 mensis Septembris anno 1936.

58. *Honorius Hernández Martín*, professus, subdiaconus, fulgida martyrii laurea ditatus est die 28 mensis Iulii anno 1936.

59. *Thomas Alonso Sanjuán*, professus, coadiutor, sanguinem profudit die 31 mensis Augusti anno 1936.

60. *Stephanus García García*, professus, coadiutor, interfectus est die 24 mensis Septembris anno 1936.

61. *Raphael Rodríguez Mesa*, professus, coadiutor, corona iustitiae coronatus est die 24 mensis Septembris anno 1936.

62. *Iosephus Blanco Salgado*, professus, coadiutor, ad praemia regni pervenit die 21 mensis Iulii anno 1936.

63. *Teresia Cejudo Redondo*, cooperatrix salesiana, uxor Ioannis Baptistae Caballero, cui filiam pepererat. Interempta est die 16 mensis Septembris anno 1936.

Qui omnes cum martyres esse fidei a populo Dei audirentur, cumque eiusmodi opinio, labentibus annis, percrebresceret, Archiepiscopus Hispalensis Causae

beatificationis seu declarationis martyrii initium facere constituit per Processum Ordinarium, qui anno 1956 confectus est. Anno autem 1957 alter Processus inchoatus est in Archidioecesi Matritensi, ad eos nimirum Dei Servos spectans, qui in ea ditione obierant. Congregatio de Causis Sanctorum, post facultatem anno 1985 datam ut duae Causae in unam conflarentur, utriusque Processus vim iuridicam per singula decreta confirmavit, scilicet Matritensis die 21 mensis Februarii anno 1992, Hispalensis autem subsequenti die 14 mensis Martii. Dein, *Positione* confecta, disceptatum est de more super adserto praefatorum Servorum Dei martyrio. Die autem 23 mensis Novembris anno 2004, habitus est, felici quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres vero Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 6 mensis Maii anno 2006 congregati, audita relatione Exc.mi D. Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titulo Cilibiensis, Causae Ponentis, agnoverunt Henricum Saiz Aparicio eiusque LXII Socios ob suam erga Christum fidelitatem interfectos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Henrici Saiz Aparicio et LXII Sociorum e Societate Sancti Francisci Salesii, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A.D. 2006.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS

Praefectus

L. £8 S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

SURRENTINA-CASTRI MARIS

Beatificationis e canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae a Passione Starace (in saec.: Constantiae) Fundatricis Congregationis Sororum Compassionistarum Servarum Mariae (1845-1921)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Magdalena a Passione Starace (in saec.: Constantia) Stabiae seu vulgo *Castellammare di Stabia*, haud longe ad urbe Neapoli, nata est die 5 mensis Septembris anno 1845. In Tertium Ordinem Servorum

Mariae, cum vicesimum aetatis annum agebat, ascita, puellas easque parentibus orbatas ad Christiana praecepta educare incubuit, iisque Congregationem Sororura Compassionistarum Servarum Mariae condidit, cuius ipsa antistita fuit. Animi laboribus, infirmitatibus omnimodisque difficultatibus diu perfuncta, tandem pie requievit die 13 mensis Decembris anno 1921.

Praeclaram hanc Dei Famulam Ioannes Paulus II, Summus Pontifex, virtutes théologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit die 7 mensis Iulii anno 2003.

Eius autem beatificationi prospiciens, Postulatio Causae sanationem quandam, quae divinitus, ipsa Serva Dei deprecante, patrata ferebatur, huic Congregationi permisit iudicandam. Quod quidem factum pertinet ad Sororem Faram a Iesu Crucifixo Ciaramella e Congregatione Sororum Compassionistarum Servarum Mariae, quae sub medio mense Iulio anno 1927 temptata est gravi syndrome haemorrhagica, toxico contagiosoque statu comitante, quo os, gingivae, nares, fauces, cutis afficiebantur; huc adice gravem anhaemiam, vomitum haematicum sanguinisque eruptiones, tam vesicales quam gastroëntericas. Clinico statu sensim ingravescente, medici a curatione prognosim infaustam edidere: nam aegrota in statu iam praeagonico versabatur, nec ulla therapia adhiberi potuit. Divinam autem opem, Serva Dei deprecante, Soror ipsa imploravit, quae, generali moderatrice cohortante, manutergium, quod Matris Mariae Magdalenae a Passione Starace fuerat, eius magnopere intercessione confisa, corpori imposuit; sanguinisque ilico eruptio constitit, celeri perfectaue sanatione consequente.

Quo de casu, pro miro habito, testimonia nonnulla collecta sunt in Processu Ordinario Informativo, qui Stabiae annis 1939-1942 confectus est; annis autem 1997-2001, apud eandem Curiam, altera Inquisitio dioecesana ad hoc ipsum instructa est. Huiusce Inquisitionis iuridica vis confirmata est ab hoc Dicasterio per decretum die 13 mensis Iunii anno 2003 latum. Consilium vero Medicorum, in sessione die 21 mensis Octobris anno 2004 habito, sibi propositam sanationem repentnam, perfectam, stabilem eamque, quod ad scientiam pertinet, inexplicabilem fuisse declaravit. Qui casus perpensus est etiam a Consultoribus Theologis, in duobus Peculiaribus Congressibus, quorum alter die 11 mensis Ianuarii anno 2005 alter vero subsequenti die 28 mensis Iunii habitus est, itemque a Patribus Cardinalibus et Episcopis, in Sessione Ordinaria die 21 mensis Februarii anno 2006 congregatis, Exc.mo D. Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo emerito Calaritano, Causae Ponente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae a Passione Starace (in saec.: Constantiae), Fundatricis Congregationis Sororum Compassionistarum Servorum Mariae, videlicet de repentina, perfecta ac stabili sanatione Sororis Farae a Iesu Crucifixo Ciaramella, a « syndrome emorragica acuta da probabile CID (coagulazione intravasale disseminata), su base infettiva verosimilmente salmonellosica ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS

Praefectus

L. 83 S.

✠ Eduardus Nowak

archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

SANCTI SEBASTIANI

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Elisabethae Lete Landa (in saec.: Reginae) Religiosae Professae Sororum Mercediarum a Caritate (1913-1941)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt» (*Rom 8, 28*).

Serva Dei Elisabetha Lete Landa (in saec: Regina) intime persuasa omnia in bonum illorum qui Deum amant cooperari, ex eiusmodi persuasione vim traxit ut difficiliora suae brevis vitae momenta obiret. Etiam si innumeras angustias et infirmitatem, quae eam iuveni in aetate correperit, sustinere debuit, ex his omnibus instrumentum fecit ut in vita spirituali cresceret et in coniunctione cum divino Redemptore, principio et fonte omnium suorum propositorum omniumque suorum conatuum.

Haec fidelis Domini testis die 7 mensis Septembris anno 1913, in Hispania, in loco *Osintxu-Bergara* (provinciae *Guipúzcoa*) e familia Christiana est orta. Adhuc infans patrem amisit et, ob matris morbum, ab avis est educata. Beni-

gnitate eminebat, laetitia atque spiritu orationis, quam illa praesertim per adorationem Sanctissimi Sacramenti exprimebat. Vocatione ad vitam consecratam maturata, novitiatum Sororum Mercediarum a Caritate in *Zumdrraga* (*Guipúzcoa*) est ingressa, nomen accipiens in religione Sororem Elisabetham.

Die 2 mensis Ianuarii anno 1931 primam fecit professionem. In valetudinarium tuberculosi afflictis curandis in *Tablada*, prope Matritum, est destinata; se ostendit spiritu servitii plenam et constanti laetitia quae eam pacis speique nuntiatricem reddebant, in illa quoque doloris sede. Magnam dedit testimonium fidelitatis erga suam consecrationem, firmiter respuens omnes qui eam a via accepta amovere conabantur. Anno 1936, civili bello exorto, communitas Sororum Mercediarum est dispersa. Serva Dei, Matriti manens, aliquid temporis veluti parvulorum custos apud quandam familiam hospitio est excepta. Tempore illo quo Ecclesia vexabatur, multum passa est ob privationem celebrationis eucharisticae et continuo spiritualiter invasebat Sanctissimum Sacramentum.

In conventum reversa urbis *Zumdrraga*, die 2 mensis Ianuarii anno 1939 perpetuam emisit professionem. Exemplaris fuit in servanda Regula, quam vexationis quoque tempore diligenter servandam curavit, atque consorores aedificavit et infirmos quibus per constantem iucundamque virtutum christianarum religiosarumque exercitationem assidebat.

Tota eius vita fide est insignita. Inde a iuventute Deo gratias agebat quod eam oriri fecit in Ecclesia catholica, cuius praecepta studiose sequebatur. Suam cum Christo coniunctionem meditatione eius Passionis aluit, vehementi et alta orationis vita. Erga Eucharistiam, Virginem, Sanctum Ioseph et Sanctam Teresiam a Iesu Infante pietatem coluit. Missionaria fieri cupiebat ut evangelii lumen omnibus gentibus adferret. Preces et paenitentias pro peccatorum conversione offerebat. Materna cum indulgentia curam adhibuit de aegrotantibus sibi commissis et cum consororibus amabilem se praebebat. Non sinebat se murmuribus indulgere neque personarum faciebat acceptationem, cum omnes egentes amanter susciperet.

Difficilioribus in adiunctis ad prudentes personas confugiebat auxilium petitura. Forti animo infirmitates obiit ac incomprehensiones quas in suo apostolatu exercendo occurrebat. Repetere solebat se tristem esse non posse cum Patre sic bono et amabili veluti Deo. Aequo semper fuit animo praedita et conscia exstitit munerum, parca in cibum, temperata et aequabilis in singulis agendi modis. Ad Divini Magistri exemplum, eximiam se exhibuit in paupertate et contentam paucis rebus quae ei fuerunt. Suae moderatrici prompte oboedivit, cuius in praeceptis voluntatem Domini interpretabatur.

Castitatem servavit eamque a periculis defendit, quemlibet respuens qui eam molestiis afficeret.

Mense Augusto anno 1939 causa morbi eius, nempe tuberculosis est inventa. Infirmi- tatis tempore divitias suae sanctae vitae spiritalis manifestavit. Etiam si se peccatricem existimabat, numquam de aeterna salute dubitavit, quoniam spem in divinam habuit misericordiam. Revera postremis vitae mensibus frequenter repetebat se promptam esse ad Iesum occurrendum et se discessum e vita non timere. Die 13 mensis Octobris anno 1941 in sanatorio valetudinario urbis *Eibar (Guipúzcoa)* animam Domino reddidit.

Diffusam ob sanctitatis famam, Episcopus Sancti Sebastiani Causam beatificationis et canonizationis inchoavit celebratione Inquisitionis dioecesanae (1986-1989). Duae etiam sunt instructae Inquisitiones rogatoriae, Matriri nempe et Conchensi in urbe. Iuridica validitas Processuum per decretum diei 14 mensis Martii anno 1992 a Congregatione de Causis Sanctorum est recognita. Parata *Positione*, disceptatum est, ut fieri solet, an Serva Dei virtutes heroico modo exercuerit. Positivo cum exitu, die 3 mensis Maii anno 2005, Congressus habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 7 mensis Februarii huius anni 2006, relatione audita Ponentis Causam, Exc.mi Francisci Croci, Episcopi titulo Potentini in Piceno, edixerunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroicorum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Elisabethae Leta Landa (in saec.: Reginae), Religiosae professae Sororum Mercedariarum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS

Praefectus

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, a Secretis

PANORMITANA seu MAHAGIENSIS-NIOKAËNSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Francisci Spoto Sacerdotis Professi Congregationis Missionariorum Servorum Pauperum (1924-1964)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Domine, vitam meam sume, parce autem sodalibus ».

Verba, quibus Pater Franciscus Spoto quasi in limine mortis obtulit semetipsum, vitam, quam ipse in sequela Christi usque ad crucem impendit, nobilissima clausula cumularunt. Qui cum inde ab adolescentulo testimonio caritatis in Deum et pauperes, quod Beatus Iacobus Cusmano (1834-1888) perhibuerat, quasi fulmine, percussus existeret, ad amorem Christi responsurus idem ipse statuit experiri. Quod quidem genus amoris, tamquam granum frumenti moriturum (*Io* 12, 24), eum ad ignem fraternae caritatis adduxit, quo ipse est in ara martyrii concrematus.

Servus Dei natus est die 8 mensis Iulii anno 1924 in pago, quem vocant *Raffadali*, apud Agrigentum. Congregationem Missionariorum Servorum Pauperum anno 1936 ingressus, statim, dum proficit moribusque utitur gravibus et honestissimis, eminuit. Die 22 mensis Iulii anno 1951 sacro presbyteratus ordine insignitus, brevi hactenus existimatione floruit ut a sodalibus, licet quintum vix supra tricesimum annum agens, in Summum Moderatorem eligeretur. Ideo, ab anno 1959 ad annum 1964, pro sua ipse Congregatione actuosam operam navavit imprimis in vocationibus fovendis, necnon formatione et operibus apostolicis, iuxta studium Instituto proprium.

Die autem 4 mensis Augusti anno 1964 profectus est in Congum, quo primam suae Congregationis missionem canonice visitaret; quem tamen haud fefellit se maximis periculis, nempe ob saevientem conflictum, obviam ire, dum sodalibus adesset.

Illic Famulus Dei a primo mense Septembri incommodis, pavoribus, enervari coeptus est, ipseque angoribus, curis, periculis, fame, inopia, distringi; postremo sub hora vicesima diei 11 mensis Decembris mortifere corpore multatus est. Haec igitur causa mortis, quae quidem paucis post diebus, nempe die 27 mensis Decembris anno 1964 supervenit in loco quem appellant *Rungu* (*Erira*), in tugurio quo ille una cum tribus aliis Missionariis a benigno quodam christifideli Congensi, Agathone nomine, exceptus erat.

Sane martyr necem minime vult consecrari; cui quidem si, nulla per fugii occasione data, quippe persecutore provocante, occumbere necesse est, tum vero suscipit ipse, supremum sui sacrificium offerens, eamque propter Deum

fert patienter, scilicet ad suam fidelitatem erga Christum testandam. Quae omnia exitus Patris Francisci Spoto, qui septimus a Beato Iacobo Cusmano in eius locum successit, confirmat. Hic enim mortem non captavit, quin immo, in tremendo conspectu eius constitutus, acceptavit, qui propter Christum aequo animo, eoque gravibus piisque sensibus imbuto, vitam suam pro tribus quoque sodalibus obtulit, quemadmodum ipse, velut divino actus instinctu, paucis ante diebus communicaverat: «Dominus satis habebit calices tres amaritudine, unum tantummodo sanguine plenos».

Martyrium igitur fuit, quod athei seditiosi Congenses, qui eum aliosque religiosos sodales Missionis apud locum *Biringi* existentis clanculum assidueque insectabantur, in odium fidei inflixerunt. Ipse enim, atrocibus neglectis doloribus, reliquum tempus usque ad supremum diem christianis sensibus subiit, qui pluries, etsi flebiliter (utpote qui iam loqui propemodum nequiret), carnificibus prorsus ignovit.

Nec vana suprema Servi Dei oblatio, quatenus, innocenti cruore eius aspersae, glebae illius Africae partis uberes fructus e gremio edidere. Nam, a die quo ipse corona donatus est, Congregatio Missionariorum Servorum Pauperum religiosos sodales ad quinquaginta in Congo, in quinque fraternitates distributos, numerat. Vere sanguis martyrum semen novorum christianorum!

Absumptus itaque est Servus Dei ceu lignum siccum in camino, ut iis, qui nondum a Christo illuminati erant, lumen ipse praeferret. In hac vita, quadagesimo aetatis anno consummata, lenitatem is cum fortitudine, patientiam cum comitate, constantiam cum indulgentia, doctrinam cum simplicitate temperavit. Ipse enim, dum certae paratur occumbere morti, Dei voluntati, impenetrabili adorabilique mysterio, se tradidit, Christi imitatus exemplum, qui Filius oboediens factus est usque ad mortem crucis (cfr *Phil* 2, 8).

Eapropter cum Famulus Dei, labentibus annis, non sanctitatis dumtaxat, sed martyrii quoque opinione floreret, Em.mus Salvator Card. Pappalardo, Archiepiscopus Panormitanus, post obtentam ex parte huius Congregationis competentiam iuridicam, die 16 mensis Decembris anno 1992 Inquisitionis dioecesanae super fama sanctitatis et super virtutibus initium fecit. Testimonia de visu ac de auditu complura, quae in Inquisitione Rogatoriali Mahagiensi-Niokaënsi collecta sunt, consignatio denique de obitu aliaque documenta, postremo duae exuviarum recognitiones effecerunt ut Causa, mutato titulo, *super martyrio* inscriberetur, cum interea omnibus persuasum fuisset de vero martyrio agi: quae quidem omnia et singula die 18 mensis Martii anno 1996 ex forma redacta sunt. Postmodum Inquisitio-

num canonicarum, tam Panormitanae quam Mahagiensis-Niokaënsis, validitas iuridica rata habita est ab hoc Dicasterio per decretum die 20 mensis Decembris anno 1996 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Servi Dei obitus pro vero martyrio haberi posset. Die autem 4 mensis Octobris anno 2005 habitus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres vero Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 4 mensis Aprilis anno 2006 congregati, Exc.mo Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum Tarquiniensi, Causae Ponente, agnoverunt « Servum Pauperum heroicum » neci occubuisse ut suae erga Christum fidelitatis testimonium perhiberet.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Francisci Spoto, Sacerdotis professi Congregationis Missionariorum Servorum Pauperum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Iunii A. D. 2006.

IOSEPHUS card. **SARAIVA MARTINS**

Praefectus

L. 68 S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESiarUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 4 Novembris 2006. — Cathedrali Ecclesiae Pistoriensi Exc.mum P.D. Mansuetum Bianchi, hactenus Episcopum Volaterranum.

die 13 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Laoagensi, Exc.mum P.D. Sergium L. Utleg, hactenus Episcopum Ilaganensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Zamboangensi, Exc.mum P.D. Romulum G. Valles, hactenus Episcopum Kidapavanensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Castellotatro-portensi R.D. Iosephum Alexandrum Castaño Arbeláez, O.A.R., hactenus Parochum in archidioecesi Manizalensi, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Caliensis.

die 14 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Catamarcensi Coadiutorem R.D. Aloisium Urbane, hactenus Seminarii Maioris Tucumanensis Rectorem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Castraseverianensi, R.D. Petrum Mariam Laxague, archidioecesis Sinus Albi Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 15 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Ossoriensi, R.D. Iacobum Petrum Kohl, Congregationis Pauperum Servorum Divinae Providentiae sodalem, hactenus eiusdem Congregationis Magistrum Novitiorum in Farroupilha.

— Titulari episcopali Ecclesiae Novapetrensi, Exc.mum D. Antonium Stankiewicz, Tribunalis Romanae Rotae Decanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Opiterginae, R. D. Raphaellem Farina, S.D.B., Apostolicae Vaticanae Bibliothecae Praefectum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Metensi, Exc.mum D. Ioannem Franciscum Girotti, O.F.M. Conv., Apostolicae Paenitentiariae Regentem.

die 18 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Messanensi-Liparensi-Sanctae Luciae, Exc.mum P.D. Calogerum La Piana, S.D.B., hactenus Episcopum Mazariensem.

die 21 Novembris. — Archiepiscopali Ecclesiae Crotonensi-Sanctae Severinae, Exc.mum P.D. Dominicum Graziani, hactenus Episcopum Cassanensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Rufmianensi, R.D. Antonium Leichtfried, e clero Sancti Hippolyti, ibique hactenus Seminarii Maioris moderatorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 22 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Caroli in Brasilia, Exc.mum P.D. Paulum Sergium Machado, hactenus Episcopum Ituiutabensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Maceiensi, Exc.mum P.D. Antonium Muniz Fernandes, O. Carni., hactenus Episcopum Guarabirensensem.

die 28 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Rupellensi, Exc.mum P.D. Bernardum Housset, hactenus Episcopum Montis Albani.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 13 novembre, S.E. il Signor **KAGEFUMI UENO**, Ambasciatore del Giappone presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Lunedì, 6 novembre, S.E. il Signor **LÁSZLÓ SÓLYOM**, Presidente della Repubblica di Ungheria;

Venerdì, 10 novembre, S.E. il Signor **TASSOS PAPADOPOULOS**, Presidente della Repubblica di Cipro;

Venerdì, 17 novembre, S.E. il Signor **ANTONIO GUTERRES**, Alto Commissario delle Nazioni Unite per i Rifugiati;

Venerdì, 24 novembre, S.E. il Signor **JOSÉ MANUEL ZELAYA ROSALES**, Presidente di Honduras.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

7 ottobre 2006 Gli Em.mi Signori Cardinali: Antonio Maria Rouco Várela, Arcivescovo di Madrid (Spagna); Ivan Dias, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli; e gli Eccellentissimi Monsignori. Simon-Victor Tonyé Bakot, Arcivescovo di Yaounde (Camerun); George Hugh Niederauer, Arcivescovo di San Francisco (Stati Uniti d'America), *Membri del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « ad quinquennium ».*

- 7 ottobre 2006 Gli Em.mi Signori Cardinali: Audrys Juozas Backis, Arcivescovo di Vilnius; Oscar Andrés Rodríguez Maradiaga, Arcivescovo di Tegucigalpa, *Membri del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali «in aliud quinquennium»*.
- » » » I Rev.di: Mons. Owen F. Campion, della Diocesi di Nashville, Direttore del «Our Sunday Visitor», Huntington (Stati Uniti d'America); Mons. Claudio Giuliodori, Direttore dell'Ufficio Nazionale per le comunicazioni sociali della Conferenza Episcopale Italiana (Italia); Mons. Stanislas Laianne, Segretario Generale della Conferenza Episcopale Francese; José Maria Gii Tamayo, Direttore del Segretariato della Commissione Episcopale per i Mezzi di Comunicazione Sociale della Conferenza Episcopale Spagnola; David Gutiérrez Gutiérrez, dell'Arcidiocesi di Coro (Venezuela), Direttore dell'Ufficio Stampa del Consiglio Episcopale Latinoamericano (C.E.L.A.M.), Bogotá (Colombia); Can. Antonio Pereira Rego, Coordinatore dei programmi religiosi della Televisione Portoghese, Lisboa (Portogallo); P. Federico Lombardi, S.I., Direttore della Sala Stampa della Santa Sede, Direttore Generale della Radio Vaticana e del Centro Televisivo Vaticano; P. Silvio Sassi, S.S.P., Superiore Generale della Società S. Paolo; P. Jacob Srampickal, S.I., Direttore del Centro Interdisciplinare di Comunicazioni Sociali della Pontificia Università Gregoriana, Roma; Suor Maria Antonietta Bruscato, F.S.P., Superiora Generale della Pia Società Figlie di S. Paolo; e gli Ill.mi Sig.ri: Prof. Cari Albert Anderson, Cavaliere Supremo dei Cavalieri di Colombo (Stati Uniti d'America); Benedict Assorow, Direttore del CEPACS, Simposio delle Conferenze Episcopali dell'Africa e del Madagascar (S.E.C.A.M.), Accra (Ghana); Dott. Ettore Bernabei, Roma; Dott. Jesús Colina (Spagna), Direttore dell'Agenzia Zenit, Roma; Ignatius Handoko, Presidente di Indosiar, Jakarta (Indonesia); Dott. Giancarlo Leone, Roma; Dott. Albert Scharf, già Direttore del «Bayerischer Rundfunk» (Germania); Anthony Spence, Direttore di «Catholic News Service», Washington (Stati Uniti d'America); Dott. Dirk H. Voss, Direttore del «St. Ulrich Verlag», Augsburg (Germania), *Consultori del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali «ad quinquennium»*.

- 7 ottobre 2006 I Rev.di: P. Franz Josef Eilers, S.V.D.; P. Robert Astorino, M.M.; Franco Lever, S.D.B.; e gli Ill.mi Sig.ri: Dott., Gian Maria Fara; Raphael Chainarong Monthienvichienchai; Prof. Norberto Gonzalez Gaitano; Russell Shaw; Dott.ssa Daniela Frank, *Consultori del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali «in aliud quinquennium ».*
- 11 » » Gli Ill.mi Sig.ri; Dott. Carlo Guardi (Italia) e Dott.. Peter D. Sutherland (Irlanda), *Consultori della Sezione Straordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « ad quinquennium ».*
- » » » Gli Ill.mi Sig.ri: Antoine Edouard Marie Chappuis (Francia) e Dott. Leandro Ferrari (Svizzera), *Consultori della Sezione Straordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « in aliud quinquennium ».*
- 13 » » L'Ecc.mo Mons. Daniel Nlandu Mayi, Vescovo Ausiliare e Vicario Generale dell'Arcidiocesi di Kinshasa (Repubblica Democratica del Congo); gli Ill.mi Sig.ri Prof, John Haas (U.S.A.) e Prof. Alejandro César Serani Merlo (Cile), *Membri Ordinari della Pontificia Accademia per la Vita « ad quinquennium ».*
- 1 novembre 2006 LTll.mo Dott. Robert J. McCann (Stati Uniti d'America), *Consulatore della Sezione Straordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « ad quinquennium ».*
- 14 » » LTll.ma Sig.ra Prof.ssa Monica López Barahona (Spagna), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia per la Vita « ad quinquennium ».*
- 15 » » L'Em.mo Signor Cardinale Ivan Dias, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, *Consigliere della Pontificia Commissione per l'America Latina « ad quinquennium ».*
- 20 » » L'Ecc.mo Mons. Bruno Bertagna, Vescovo tit. di Drivasto, *Uditore Generale della Camera Apostolica «ad quinquennium ».*

NECROLOGIO

- 4 novembre 2006 Mons. William Thomas Larkin, Vescovo em. di Saint Petersburg (*Stati Uniti d'America*).
- » » » Mons. Gerhard Ludwig Goebel, M.S.F., Prelato di Tromsø (*Norvegia*).
- 10 » » Mons. Nivaldo Monte, Arcivescovo em. di Natal (*Brasile*).
- 16 » » Mons. Augusto José Zini Filho, Vescovo di Limeira (*Brasile*).
- 17 » » Mons. Joseph D'Silva, Vescovo di Bellary (*India*).
- » » » Mons. Jean Mansour, Vescovo tit. di Apamea di Siria dei Greco-Melkiti (*Libano*).
- » » » Mons. Manuel D. Moreno, Vescovo em. di Tucson (*Stati Uniti d'America*).
- 20 » » Mons. Paul Vincent Dudley, Vescovo em. di Sioux Falls (*Stati Uniti d'America*).
- 22 » » Mons. Michel Hakim B.S., Arcivescovo-Vescovo em. di Saint-Sauveur de Montréal dei Greco-Melkiti (*Canada*).
- 25 » » Mons. Santiago Martínez Acebes, Arcivescovo em. di Burgos (*Spagna*).

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(AN. ET VOL. XCVIII)

I - ACTA S. PONTIFICIS

LITTERAE ENCYCLICAE: 217.

LITTERAE DECRETALES: 297, 300, 425, 497, 641.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE: 5, 6, 7, 105, 107, 108, 303, 304, 305, 307, 308, 369, 370, 372, 428, 429, 431, 689, 785, 881, 882.

LITTERAE APOSTOLICAE: 9, 11, 291, 309, 311, 314, 317, 373, 406, 432, 434, 500, 606, 609, 611, 614, 617, 619, 622, 625, 644, 646, 648, 652, 654, 657, 660, 662, 786, 789, 883, 886.

EPISTULAE: 253, 320, 458.

DECLARATIONES COMMUNES: 919, 921.

HOMILIAE: 14, 19, 24, 27, 29, 32, 110, 113, 117, 322, 325, 329, 333, 376, 380, 385, 388, 437, 441, 503, 510, 512, 515, 585, 665, 690, 792, 796, 801.

ALLOCUTIONES: 36, 38, 40, 121, 128, 130, 133, 135, 254, 257, 259, 261, 263, 266, 280, 335, 338, 340, 341, 343, 345, 348, 392, 446, 448, 450, 453, 455, 520, 521, 523, 590, 594, 668, 693, 696, 699, 701, 704, 804, 815, 817, 819, 889, 892, 894, 897, 899.

NUNTII: 53, 54, 56, 139, 282, 358, 395, 397, 401, 462, 597, 599, 749, 821, 822.

ITINERA APOSTOLICA: *in Poloniam*: 465, 469, 473, 475, 480; *per Alemaniam*: 707, 712, 715, 719, 723, 728, 739, 743; *in Turciam*: 902, 905, 909, 913, 917.

SECRETARIA STATUS:

Rescripta ex Audientia: 65, 755.

Ordo Synodi Episcoporum: 755.

Conventiones: 142, 825.

Homilia Secretarii Status: 149.

II - ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS:

Provisiones Ecclesiarum: 207.

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM:

Decreta: 153, 155, 157, 160, 161, 163, 165, 167, 169, 171, 173, 177, 181, 184, 187, 190, 193, 198, 200, 203, 525, 526, 528, 530, 532, 533, 535, 537, 540, 543, 546, 548, 550, 553, 555, 558, 560, 563, 566, 568, 571, 574, 848, 852, 854, 856, 862, 864, 867, 869, 872, 925, 929, 932, 934, 936, 940, 943, 948, 950, 953.

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS:

Decreta: 485, 601, 603.

Provisiones Ecclesiarum: 67, 207, 287, 362, 404, 486, 577, 604, 684, 780, 875, 955.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE:

Decretum: 877.

Provisiones Ecclesiarum: **209, 289, 489, 579, 685..**

Nominationes: **211, 290, 491, 686..**

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA:
Lettera congiunta, con il Pont. Consiglio
«de Spirituali Migrantium atque Itinerantium Cura»: **70.**

III - ACTA CONSILIORUM

PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM..

Nota: **364**

PONTIFICIUM CONSILIUM DE SPIRITUALI MIGRANTIUM ATQUE ITINERANTIUM CURA:

Lettera congiunta, con la Congregazione
«de Institutione Catholica»: **70.**

IV - ACTA TRIBUNALIUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA:

Decreta: **212, 580.**

V - DIARIUM ROMANAE CURIAE

AUDIENTIAE SOLLEMNIORES: 72, 214, 294,
366, 409, 492, 582, 639, 687, 781, 878, 957.

Nominatio: **781.**

SECRETARIA STATUS:

Nominationes: **72, 214, 294, 366, 409, 493, 583, 639, 687, 782, 878, 957.**

Necrologia: **104, 216, 296, 367, 424, 496, 584, 640, 688, 783, 880, 960.**

* Ad inquiringium commodum, haec ponitur distincta recensio:

In Secretaria Status: 215, 781 Secretarius Status; 782 Secretarius «*per i Rapporti con gli Stati*».

In Congregatione pro Doctrina Fidei: 215, 295, 409.

In Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus: 295; Secretarius, 411; 783.

In Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum: Secretarius, 72; 410, 411.

In Congregatione de Causis Sanctorum: 410, 639, 640, 687.

In Congregatione pro Episcopis: 215, 410, 782, 783.

In Congregatione pro Gentium Evangelizatione: 73, 410, 494, 783; Praefectus, 495.

In Congregatione pro Clericis: 410; Praefectus, 880

In Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae: 410, 493, 494; Secretarius, 639.

In Congregatione de Institutione Catholica: 410.

In Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae: 583.

In Tribunali Rotae Romanae: 215.

In Synodo Episcoporum: 215; 295, 783.

In Pont. Consilio ad Unitatem Christianorum fovendam: 410, 879, 880.

In Pont. Consilio pro Familia: 410.

In Pont. Consilio de Iustitia et Pace: Secretarius, 295; 410.

In Pont. Consilio de Spirituali Migrantium atque Itinerantium Cura: Praeses, 367; 494, 782, 783.

In Pont. Consilio pro Valetudinibus Administris: Secretarius, 409; Praeses, 687; 782, 879.

In Pont. Consilio de Legum Textibus: 410

In Pont. Consilio pro Dialogo inter Religiones: Praeses, 367; 410.

In Pont. Consilio de Cultura: 410, 495.

In Pont., Consilio de Communicationibus Socialibus: 410, 411, 957, 958, 959.

In Camera Apostolica: Auditor generalis, 959

In Administratione Patrimonii Sedis Ap.: Secretarius, 215; 411, 583, 959.

In Coetu Cardinalium ad vigilandum Institutum pro Operibus Religionis: 879.

In Praefectura rerum oeconomicarum S. Sedis: 215, 495.

- In Officio de Liturgicis Celebrationibus Summi Pontificis, 295.
 In «Sàia Stampa della Santa Sede»: 639.
 In Pont. Commissione pro America Latina: 411, 495, 959,
 In Pont. Commissione «Ecclesia Dei»: 367.
 In Nuntiaturis et Delegationibus Ap.: 72, 214, 294, 366, 367, 409, 639, 687, 782, 878.
 In Basilica Vaticana: Archipresbyter, 880.
 In Civitate Vaticana: 215, 295, 583, 583, 687, 782, 783, 878, 879.
 In Pont. Commissione pro Statu Civitatis Vaticanae: 295; Praeses, 782,
 In Academia (Pont.) pro Vita: 215, 959.
 In Academia (Pont.) Scientiarum: 495.
 In Academia (Pont.) Scientiarum Socialium: 72.
 In Academia (Pont.) Immaculatae: 411.
 In Academia (Pont.) di Belle Arti e Lettere dei Virtuosi al Pantheon: Praeses, 73.
 In Bibliotheca Apostolica Vaticana: 73.
 In «Radio Vaticana»: 495.
 In Vicariatu Urbis: 583, 880, 495,
 In Pont.. Universitate Lateranense: Rector magnificus, 215; Praeses Instituti «Giovanni Paolo II», 215
 In Delegatione Pont.. pro Basilicis Sancti Francisci et Sanctae Mariae Angelorum Assisien-
 sibus: 295
 In Conferentia Episcoporum Italiae: Praeses, 295; Secretarius, 367.
 In «Specola Vaticana»: 687.
Protonotarii Ap supra numerum: 73, 411,
Praelati honoris causa: 74, 411,
Cappellani Suae Sanctitatis: 77, 413.
Ex Ordine Piano: Gran Croce: 88, 418; Commenda con Placca: 89; Croce di Dama di Gran Croce: 89.
Ex Ordine S. Gregorii Magni: Gran Croce: 89, 418; Commenda con Placca: 89, 418; Commenda: 90, 419; Cavalierato: 92, 419; Croce di Dama di Gran Croce: 96; Croce di Dama di Commenda con Placca: 96; Croce di Dama di Commenda: 96, 421; Croce di Dama: 96, 421.
Ex Ordine S. Silvestri Papae: Gran Croce: 97; Commenda con Placca: 98, 421; Commenda: 98, 422; Cavalierato: 99, 422; Croce di Dama di Commenda con Placca: 103; Croce di Dama di Commenda: 103; Croce di Dama: 103, 424,

II

INDEX DOCUMENTORUM

CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I — ACTA SUMMI PONTIFICIS

ACTA BENEDICTI XVI

I - LITTERAE ENCYCLICAE

2005	Dec.	25	<i>Deus Caritas est.</i> - Episcopis, presbyteris et diaconis, viris et mulieribus consecratis omnibusque christifidelibus laicis: De christiano amore.	217
------	------	----	---	-----

II - LITTERAE DECRETALES

2005	Oct.	23	<i>«Iustus Dominus».</i> - Beato Caietano Catanoso Sanctorum honores decernuntur.	297
	»	»	<i>«Qui manet».</i> - Beato Alberto Hurtado Cruchaga Sanctorum honores decernuntur.	300
	»	»	<i>Verba haec.</i> - Beato Felici a Nicosia Sanctorum honores decernuntur.	425
	»	»	<i>«Omnibus omnia».</i> - Beato Sigismundo Gorazdowski Sanctorum honores decernuntur.	497
	»	»	<i>«Est autem fides».</i> - Beato Iosepho Bilczewski Sanctorum honores decernuntur.	641

III - CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

2005	Dec.	7	<i>Cum nuper.</i> - In India nova conditur dioecesis Itanagariensis	303
	»	»	<i>Pastorale munus.</i> - In India nova conditur dioecesis Miaoensis appellanda	304
	»	12	<i>Totius Ecclesiae.</i> - Nova in India erigitur dioecesis Buxarensis appellanda	105
	»	14	<i>Verbum glorificantes.</i> - In Indonesia nova conditur dioecesis Maumerensis appellanda	6

»	»	»	<i>Cunctae catholicae.</i> - Nova dioecesis constituitur in Nigeria Uromiensis appellanda	7
»	»	»	<i>Ad totius.</i> - Archiepiscopatus Maior Fagarasiensis et Albae Iuliensis Romenorum constituitur	107
»	»	15	<i>Ubi venit.</i> - In Myanmar nova conditur dioecesis Pekhonensis	5
2006	Ian.	17	<i>Munus Nostrum.</i> - Nova dioecesis conditur in Columbia, Bacoënsis appellanda	108
»	»	28	<i>Cum ad aeternam.</i> - In India nova conditur dioecesis Nongstoinensis	305
»	»	»	<i>Vigili cum cura.</i> - Nova in India conditur dioecesis Iovaiensis appellanda	307
»	Mart.	18	<i>In Kyrgyzstania.</i> - Missio sui iuris in Republica Kyrgyzstaniae ad gradum Administrationis Apostolicae evehitur	308
»	»	23	<i>Ad efficacious.</i> - In India nova conditur dioecesis Iashpuriensis	369
»	Apr.	7	<i>Sacrorum Antistites.</i> - In Slovenia constituitur nova Provincia Ecclesiastica Mariborensis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis	370
»	»	»	<i>Varia inter numera.</i> - Nova conditur dioecesis in Republica Slovena Celeiensis appellanda	372
»	»	»	<i>Slovenorum fidelium.</i> - In Slovenia nova conditur dioecesis Sombotiensis appellanda	428
»	»	»	<i>Commodioribus condicionibus.</i> - In Slovenia nova conditur dioecesis Novae Urbis	429
»	Maii	13	<i>Cum esset petatum.</i> - In Madagascaria nova conditur dioecesis Moram angana	431
»	Aug.	28	<i>Venerabiles Fratres.</i> - In Myanmar nova conditur dioecesis Banmavensis	689
»	Oct.	14	<i>Vigili cum cura.</i> - Nova in Litore Eburneo conditur dioecesis Agbovillensis appellanda	785
»	»	21	<i>Inter gravissimas.</i> - Eparchia Chaldea Oceaniae Sancti Thomae Apostoli in urbe Sydneyensi conditur pro Christianifidelibus ritus Chai dei in Oceania commorantibus	881
»	Nov.	25	<i>Cum ad aptius.</i> - In Burundia constituitur nova Provincia Ecclesiastica Buiumbarensis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis	882

IV - LITTERAE APOSTOLICAE

2005	Maii	14	« <i>Caeci vident</i> ». - Venerabili Dei Servae Mariae Annae Cope caelitum beatorum tribuitur dignitas	11
»	»	»	« <i>Omnis lingua</i> ». - Venerabili Dei Servae Ascensioni Nicol Goni Beatorum honores decernuntur	309
»	Iun.	19	« <i>Beati, qui persecutionem</i> ». - Ladislao Findysz Beatorum honores decernuntur	9
»	»	»	« <i>Ignem veni</i> ». - Venerabili Dei Servo Ignatio Klopowski Beatorum honores decernuntur	311

»	»	»	« <i>Diliges Dominum</i> ». - Venerabili Servo Dei Bronislao Markiewicz Beatorum honores decernuntur.	314
»	Oct.	9	« <i>Veritatis splendor</i> ». - Venerabili Dei Servo Clementi Augusto Von Galen Beatorum honores decernuntur	317
»	»	29	« <i>Ut in nomine</i> ». - Venerabilibus Dei Servis Iosepho Tapiés Sirvant et VI Sociis Beatorum honores decernuntur .	644
»	»	»	« <i>Omnes tamen</i> », - Venerabili Dei Servae Mariae ab Angelis Ginard Martí caelitum Beatorum tribuitur dignitas .	652
»	Nov..	6	« <i>Mulier se ipsa</i> ». - Venerabili Dei Servae Eurosiae Fabris Barban Beatorum honores decernuntur.	432
»	»	13	« <i>Hoc est corpus</i> ». - Venerabili Dei Servo Carolo de Foucauld caelitum Beatorum tribuitur dignitas	654
»	»	»	« <i>Dulce est prorsus</i> ». - Venerabili Dei Servae Mariae Cru ei - fixae Curcio caelitum Beatorum tribuitur dignitas . .	373
»	»	»	« <i>Faciem tuam, Domine</i> ». - Venerabili Dei Servae Mariae Piae Mastena caelitum Beatorum tribuitur dignitas .	434
»	»	15	« <i>Nihil mihi</i> ». - Venerabili Servo Dei Anacleto González Flores et octo Sociis Beatorum honores decernuntur .	648
»	»	20	« <i>In Ecclesia omnes</i> ». - Venerabili Servo Dei Iosepho a Trinitate Rangel Montano, Andreae sola Molist et Leonardo Pérez Larios Beatorum honores decernuntur .	500
»	»	»	« <i>Christiani... lumen</i> ». - Venerabili Dei Servo Dario Acosta Zurita caelitum Beatorum tribuitur dignitas	646
2006	Mart.	18	« <i>Infirma mundi</i> ». - Beatorum Caelitum honor dignitasque Venerabili Dei Servae Eliae a Sancto Clemente Carmeliti di Barensi tribuuntur.....	662
»	Apr.	30	« <i>Imitatores mei</i> ». - Venerabili Dei Servo Aloisio Biraghi caelitum Beatorum tribuitur dignitas.	657
»	»	»	« <i>Iesus "cum dilexisset"</i> ». - Venerabili Dei Servo Augustino Thevarparampil caelitum Beatorum tribuitur dignitas	660
»	»	»	« <i>Deus caritas est</i> ». - Venerabili Dei Servo Aloisio Monza caelitum Beatorum tribuitur dignitas.	883
»	Maii	13	« <i>Deus laudandus</i> ». - Venerabili Servae Dei Mariae Teresiae a Sancto Ioseph caelitum Beatorum tribuitur dignitas	786
»	»	28	« <i>Per omne tempus</i> ». - Venerabili Servae Dei Ritae Amatae a Iesu Beatorum honores decernuntur.	886
»	Iun.	15	« <i>Videns autem turbas</i> ». - Venerabili Dei Servo Eustachio van Lieshout Beatorum honores decernuntur....	789

V - EPISTULAE

2006	Febr.	2	Ad Reverendum presbyterum Iulianum Carrón.	253
»	»	22	Ad Lubomirum S.R.E. Cardinalem Husar, Archiepiscopum Maiorem Kioviensem-Halicensem	320
»	Maii	15	L recurrente anniversario a vulgatis Litteris Encyclicis <i>Haurietis aquas</i> 458 „	458

VI - DECLARATIONES COMMUNES

2006	Nov.,	23	Inter Summum Pontificem Benedictum XVI et Archiepiscopum Cantuariensem, Rowan Williams	919
»	»	30	Inter Beatissimum Patrem Benedictum XVI et Patriarcham Bartholomaeum I	921

VII - HOMILIAE

2005	Dec.	8	Quadragesimo recurrente anniversario die ab expleto Concilio Oecumenico Vaticano II	14
»	»	18	In pastorali visitatione Romanae Paroeciae titulo Sanctae Mariae Consolatricis	19
»	»	24	In Nativitate Domini	24
»	»	25	Benedictio Urbi et Orbi die Nativitatis Domini	27
2006	Ian.	1	In Sollemnitatem Matris Dei	29
»	»	6	In Sollemnitatem Epiphaniae Domini	32
»	»	8	In Sacramenti Baptismi administratione	110
»	»	25	In Vesperarum celebratione apud Basilicam Sancti Pauli de Urbe	113
»	Febr.	2	In Die Internationali Vitae consecratae dicato	117
»	Mart.	19	In Eucaristica concelebratione pro operariis	322
»	»	24	In Consistorio Ordinario Publico ad quindecim novos creandos Cardinales	325
»	»	25	Sacrum Pontificale cum novis Cardinalibus	329
»	Apr.	3	Sacrum Pontificale in suffragium Summi Pontificis Ioannis Pauli II, beatæ memoriae	333
»	»	9	Dominica in Palmis, in XXI Die Internationali Iuventuti dicato	376
»	»	13	In Missa Chrismatis	380
»	»	»	Occasione Eucharisticae Celebrationis in Cena Domini	385
»	»	15	In Vigilia paschali	388
»	Maii	6	Quinto recurrente Centenario a condita Pontificia Cohorte Helvetica	437
»	»	7	In presbyteralibus ordinationibus	441
»	Iun.	3	Ad motus ecclesiales atque novas communitates	503
»	»	4	In sollemnitatem Pentecostes	510
»	»	15	In sollemnitatem Ss.mi Corporis et Sanguinis Domini	512
»	»	29	In sollemnitatem Ss.mi Petri et Pauli Apostolorum	515
»	Iul.	9	In Eucaristica celebratione recurrente V Internationali Familiarum Conventu	585
»	Aug.	15	In sollemnitatem Assumptionis Beatae Mariae Virginis	665
»	Oct.	6	Ad sodales Commissionis Theologicae Internationalis	690
»	»	15	In canonizatione beatorum Raphaelis Guízar y Valencia, Philippi Smaldone, Rosae Venerini et Theodoraë Guérin	792
»	»	19	In eucharistica celebratione Veronae habita occasione IV Conventus Nationalis Ecclesiae in Italia	796
»	Nov.	1	In sollemnitatem Omnium Sanctorum	801

VIII - ALLOCUTIONES

2005	Dec.	10	Ad personas consecratas ex Romana Dioecesi	36
»	»	15	Ad Consilium Mixtum disponens Dialogum Catholico-Orthodoxum	38
»	»	22	Ad Romanam Curiam ob omina natalicia	40
2006	Ian.	9	Ad Corpus Legatorum apud Apostolicam Sedem	121
»	Ian.	12	Ad communitates Itineris Neocatechumenalis	128
»	»	23	Ad participes congressus Pontificii Consilii «Cor Unum»	130
»	»	26	Ad Commissionem apparantem III Coetum Oecumenicum Europaeum».	133
»	»	28	Ad Tribunal Rotae Romanae	135
»	Febr.	10	Ad plenariam Sessionem Congregationis pro Doctrina Fidei	254
»	»	22	Nuntius de Consistorii celebratione ad novos creandos Cardinales.	257
»	»	26	Ad Pontificium Seminarium Romanum Maius.	259
»	»	27	Ad Collegium theologicum «Apostoliki Diakonia» Orthodoxae Ecclesiae Graeciae.	261
»	»	»	Ad Generalem Coetus Pontificiae Academiae pro vita tuenda	263
»	Mart.	3	Ad Clerum Romanae Dioecesis	266
»	»	3	Dum Stationem Radiophoniam Vaticanam invisit	280
»	»	11	Quadragesimo recurrente anno ab edito Decreto Conciliari «Ad Gentes».	335
»	»	17	Ad Plenariam Sessionem Pontificii Consilii de Communicationibus Socialibus.	338
»	»	18	Ad Sanctae Sedis Legatos apud Societates Internationales	340
»	»	20	Ad Patriarchalem Armeniae Synodum	341
»	»	30	Ad Congressum a «Populari Europae Factione» provectum	343
»	Apr.	1	Ad Seminarium a Congregatione de Institutione Catholica inductum.	345
»	»	6	Summus Pontifex occurrit iuvenibus urbis Romae et dioecesium Latii.	348
»	»	27	Ad Pontificiam Commissionem Biblicam	392
»	Maii	8	Ad Generalem Ordinariam Sessionem Pontificiorum Operum Missionalium.	446
»	»	11	Ad Congressum paratum a Pontificio Instituto «Giovanni Paolo II».	448
»	»	13	Ad Plenarium Coetum Pontificii Consilii pro Familia	450
»	»	15	Ad Plenarium Coetum Pontificii Consilii de Spirituali Migrantium atque Itinerantium cura	453
»	»	22	Ad Supremos Moderatores et Moderatrices Institutorum Vitae Consecratae et Societatum Vitae Apostolicae	455
»	Iun.	»	Ad conventum pro operibus in auxilium Ecclesiarum Orientalium.*	520
»	»	24	Ad sodales Operis Fundati «Domenico Bartolucci»	521
»	»	29	Ad delegationem Patriarchatus Oecumenici Constantinopolitani	523
»	Iul.	8	In Vigilia cum familiis celebrata	590

»	»	23	Preces habitae in Ecclesia loci v. Rhemes Saint-George (Vallis Augustanae)	594
»	Aug.	31	Ad presbyteros dioecesis Albanensis	668
»	Sept.	16	Ad Congressum Internationalem a Pontificia Academia pro Vita paratum	693
»	»	21	Ad participes conventus novorum episcoporum	696
»	»	22	Ad coetum plenarium Pontificii Consilii pro Laicis	699
»	»	23	Ad episcopos participes cursus renovationis quem paravit Congregatio pro Gentium Evangelizatione	701
»	»	25	Ad Legatos nationum plerumque Macometanae doctrinae apud Sedem Apostolicam receptos	704
»	Oct.	19	Ad IV Conventum Nationalem Ecclesiae in Italia	804
»	»	23	Ad sodales Operis Fundati « Giovanni Paolo II »	815
»	»	»	In inauguratione anni academici Pontificiorum Athenaeorum in Urbe	817
»	»	27	Ad participes sessionis Conferentiae « Christian World Communions»	819
»	Nov.	6	Ad Plenariam Sessionem Pontificiae Academiae Scientiarum	889
»	»	9	Ad Coetum Plenarium Pontificii Comitatus Eucharisticis Internationalibus Conventibus provehendis	892
»	»	17	Ad Coetum Plenarium Pontificii Consilii ad Unitatem Christianorum fovendam	894
»	»	23	Ad Suam Gratiam, Rowan Williams, Archiepiscopum Cantuariensem	897
»	»	24	Ad XXI Internationalem Conferentiam apparatus a Pontificio Consilio pro Pastoralis Valetudinis cura	899

IX - NUNTII

2005	Dec.	1	Ad participes diei studiorum de Musica Sacra	53
»	»	8	Ob diem infirmis dicatum	54
»	»	»	Ob diem ad pacem fovendam	56
2006	Ian.	24	In Die Internationali Instrumentis Communicationis Socialis fovendis	139
»	Febr.	22	Occasione XXI Diei Internationalis Iuventuti dicati	282
»	Mart.	»	Occasione XLIII Diei Internationalis ad orandum pro vocationibus	358
»	Apr.	16	Nuntius <i>Urbi et Orbi</i> in sollemnitate Resurrectionis Domini	395
»	»	24	Ad Sessionem Plenariam Congregationis de Causis Sanctorum	397
»	»	27	Ad Plenariam Sessionem Pontificiae Academiae de Scientiis Socialibus	401
»	Maii	22	Ad participes II Congressus Internationalis Motuum ecclesialium et novarum Communitatum	462
»	Iun.	6	Ad Patriarcham Oecumenicum Bartholomaeum I	597
»	Iul.	8	Ad Episcopos Hispaniae	599
»	Sept.	2	Occurrente XX anniversaria memoria a conventu habito inter religiones ad pacem impetrandam	749

»	Oct.	7	Quinquagesimo occurrente anniversario die Budapestinensis seditionis.	821
»	»	16	Occasione Diei Internationalis Alimoniae anno 2006	822

X - ITINERA APOSTOLICA

2006 a die 25 ad diem 28 mensis Maii per Poloniam

2006	Maii	25	In eucaristica celebratione apud Varsaviensem aream vulgo Pilsudski	465
»	»	26	Ad Santuarium loci Jasna Gòra in Czestochowa	469
»	»	27	In platea Rynek in Wadowice	473
»	»	28	In eucaristica celebratione Cracoviae habita apud saepta loci Blonie	475
»	»	»	Summus Pontifex invisit campum loci Auschwitz-Birkenau	480

2006 a die 9 ad diem 14 mensis Septembris per Alemaniam

Homiliae:

2006	Sept.	10	Homilia in celebratione eucharistica Monachii habita apud «Neuen Messe».	707
»	»	»	Vesperarum celebratione in cathedrali templo Monacensi	712
»	»	11	Eucharistica celebratio in area Sanctuarii Ottingae Veteris	715
»	»	»	Homilia ad Mariales Vesperas apud Basilicam Sanctae Annae in urbe Ottinga Vetere.	719
»	»	12	Homilia in eucharistica celebratione Ratisbonae habita apud «Islinger Feld».	723

Allocutiones:

2006	Sept.	12	Summus Pontifex convenit legatos Scientiarum, apud Studiorum Universitatem Ratisbonensem disserens de: «Glaube, Vernunft und Universität. Erinnerungen und Reflexionen».	728
»	»	»	Sermo habitus in oecumenica Vesperarum celebratione apud cathedrale templum Ratisbonense.	739
»	»	14	Summus Pontifex convenit presbyteros et diaconos permanentes in cathedrali templo Frisingensi	743

2006 a die 28 mensis Novembris ad diem 1 mensis Decembris in Turciam

2006	Nov.	28	Summus Pontifex convenit Praesidem a Religiosis Negotiis apud «Diyanet» Ancyra in urbe.	902
»	»	»	Benedictus XVI Ancyrae convenit Corpus Legatorum apud Sedem Nuntiaturae Apostolicae.	905
»	»	29	Eucharistica celebratio apud Ephesinum Santuarium vulgo «Meryëm Ana Evi».	909
»	»	30	Sermo Summi Pontificis Constantinopoli habitus in Ecclesia Patriarchali Sancti Georgii Patriarchatus Oecumenici	913

- » » » Ad Suam Beatitudinem, Patriarcham Mesrob II, apud Apostolicam Cathedralem Armenam 917

XI - SECRETARIA STATUS

Rescripta ex Audientia:

- » Ian. 4 De aliquibus competentibus aliquorum Dicasteriorum 65
» Sept. 29 De Ordine Synodi Episcoporum 755

Conventiones:

- 2004 Maii 24 Inter Sanctam Sedem et Sloveniae Rem Publicam de iuridicis quaestionibus. 142
2006 Oct. 9 Inter Apostolicam Sedem atque Liberam et Hanseaticam Civitatem Hamburgi. 825

Homilia:

- 2006 Ian. 22 Angeli Card. Sodano Secretarii Status, Quinto occurrente Centenario a condita Cohorte Helvetica 149

ACTA IOANNIS PAULI II

I - LITTERAE APOSTOLICAE

- 2001 Oct. 17 «*Caritas Christi*». - Venerabili Dei Servo Thomae Mariae Fusco Beatorum honores decernuntur. 291
» Nov. 4 «*Nihil prorsus*». - Venerabili Dei Servo Paulo Manna Beatorum honores decernuntur. 406
